Guilielmi Hoëli, LL. D.

ELEMENTA HISTORIÆ

AB

ORBE CONDITO

usque ad

MONARCHIAM

CONSTANTINI

MAGNI.

Imperiorum res gestas complexa novo Ordine & Methodo.

Simul & Regnorum Rerumpublicarumque illis Coætaneorum.

Unà cum Politiarum Magistratuumque succincta & brevi Enarratione.

Tironum in usum.

BIBL. CANT. ACAD.

LONDINI:

Apud *Joh. Martyn* Societatis Regiæ Typographum, ad Insigne Campanæ in Cœmeterio D. *Pauli*. 1671.

PErmissione & Licentiâ Honoratissimi Domini *Joannis Trevor* Equitis Aurati, Sacræ Regiæ Majestati à Consiliis & Secretis, hic Liber Imprimatur.

WHITEHAL,
Julii 8vo.
1670.

Jo. Cooke.

408:01

NOBILISSIMO
Ornatiſsimoque Domino
JOANNI
COMITI DE
MULGRAVE,
BARONI DE
BOTTERWICK.

GUILIELMUS HOËLUS
HÆC SUA
Elementa Hiſtorica,
(Illius in uſum primùm deſtinata)
in devotiſſimi affectûs pariter
atque obſervantiæ teſtimonium.
D. D. C. Q.

NOBILISSIMO

Ornatissimoque Domino

IOANNI

COMITI DE

SAVLGRAVE,

BARONI DE

BOTTERWICK.

GVILIELMVS HOELVS

HÆC SVA

Elementa Historica,

(Illius in usum primum destinata)

in devotissimi affectus pariter

atque observantiæ testimonium.

D. D. C. Q.

RATIO CONSILII.

CUm Nobilem quendam eundemque egregiæ indolis adoleſcentem inſtituendi, ante annos aliquot, mihi negotium daretur, in hanc cogitationem totus incubui, atque hoc egi, ut aliquam rationem ſat commodè inire poſſem, quâ ille fructus quam uberrimos ſtudiorum percíperet, me autem ſuſcepiſſe provinciæ olim non pœniteret.

De hac re deliberanti Linguarum Scientia magni momenti videbatur eſſe, nec quidem immeritò, ſeu quis earum ornatum, ſive rerum quibus introitum præbent tum dignitatem tum utilitatem, æſtimare velit. Cùm autem ex natalitiorum magnitudine & ingenii ſummo acumine Diſcipulum meum ad res magnas gerendas aptum natum

perspicerem, è re ejus etiam fore existimabam historiam doceri, cùm humanarum actionum veluti speculum sit & negotiis arduis facem præferat, atque eam in rem systema quoddam aggressus sum memoriter tenendum simul & recitandum tanquam obiter & aliud agenti (quo magis rerum summa in ejus animo hæreret) postea, prout ætas animusque ferrent, in eo explicando motuum causas, motus ipsos, consilia, stratagemata, successus, rerum gestarum civilium rationes, aliaque quæ ad Historiæ cognitionem perfectam desiderarentur, fusius enarraturus.

Cùm Libellus iste amicorum meorum nonnullis (doctis admodum) in manus & notitiam incidisset, illi rogare atquè instare ut eadem methodo, quæ vehementer illis arrisit, opus justæ magnitudinis absolvere tandem & ornare vellem, quo tum eruditioni meæ haud mediocriter consulerem, tum de literis ipsis, Historiâ præsertim, aliquantum saltem mereri viderer.

Huic eorum Consilio haud leve pondus accessit ex animi affectu quodam, qui ad Historiam proclivis semper ferebatur, atque etiam ex temporum iniquitate, quorum injuriâ otium negotio præstabat, quibusque illud verissimum comprobatum est. *Qui bene*

bene latuit bene vixit, *Institutionis* itaque nostræ *Historicæ* partem priorem absolvimus, justâ, prout nobis videbatur, magnitudine, linguâ quidem vernaculâ, propterea quòd libri majores quorum scriptores nominis claritatem nondum consequuti sunt, latine scripti, haud adeò facile veneant, & eorum pars maxima ab iis qui ex his rebus quæstum faciunt, ad exteros transmittatur.

De libro illo ad nostrates non est quòd multa loquar, nec nomini & gloriæ inhiare est hujus instituti. Gratiam vulgi captare vanissimum existimo. Si modò docti opus illud probent, aliorum judicium (utpote quorum oculi vel ex invidiâ vel ignorantiâ caligant) nihili quidem æstimavero.

Pauca tamen illorum in gratiam, quorum interesse præsertim existimo, hic attingere lubet non tàm ut de facinore aliquo meo insigni glorier, quàm consilium & rationem operis exponens, aliisque facem præferens, quid (si non feciſſe tamen) voluisse me (quod in magnis rebus aliquid haberi solet) palàm faciam.

Non diffitendum igitur (quod enim factis quis demonstrat id verbis dissimulare perquam ridiculum) me methodum Historiarum generalium (seu systematum Historicorum)

eorum) antehac in lucem editarum, vel quas mihi vidisse contigit, apud meipsum sæpius graviter incusasse, apud alios sæpe disertis verbis, utpote quæ rerum mole rudi & indigesta Tironum animos non informet sed inferciat, non impleat memoriam sed oneret, imo opprimat. Quidam enim officio suo satis fecisse se existimarunt ab orbe condito narrationum telam deducentes, nominum hominum primævorum & heroum quorundam meminisse, libatis nonnunquam quibusdam factoribus, quibusdamque ex sacra pagina adnotatis, ad *Persarum* res gestas notissimas & tandem ad *Romanas* descendisse, ordine nullo vel perquam obscuro, nullâ rerum ad eandem gentem spectantium serie vel dependentiâ, nullâ vel rarissimâ, mentione Originum Regnorum, Rerumpub. Successionum vel Causarum & Occasionum quæ bella aliosque motus præcesserint.

Alii rerum ampliorem molem ulnis amplexi plura de iisdem commentati sunt at eodem vitio laborantia, eâdem argumenti & narrationis perplexitate, qua Regnorum diversorum status & motus simul & semel narrantur, ita ut locorum maxime dissitorum res maxime dissitas & diversas putares tam loco regionis quam libri coire, existimares

ad eundem locum, ad idem tempus & rem eandem spectare. Rarissima apud hos Regnorum & Rerumpub. *Græcarum* aliarumque vetustiorum descriptio. Nomina Regum forsan & res gestas quasdam, non autem Politiam non Magistratuum Originem & munia, non *Seleucidarum*, *Ptolomæorum*, & *Macedonum* Posteriorum Historias, nisi carptim & frustulatim traditas invenies.

Romanorum res ante *Pyrrhi* tempora, vix attingere sustinent, quamvis seditionum & motuum Civilium qui *Romæ* acciderunt & Magistratuum inde emergentium occasiones & causas nosse adeò Tironum interest ut nihil magis. Hîc unam, illîc aliam Chronologiæ normam & rationem invenies; nunc hæc aliis tempore conjuncta, nunc his alia Contemporanea, tanquam inferiora essent quoad dignitatem & gloriam Imperii. Hinc temporum cognitio tam confusa, hinc rerum verarum (quæ saltem veræ habentur) falsum judicium, hinc apices quidam Historiarum memorabiliorum apprehenduntur ad animos inter confabulandum oblectandos, Historiæ autem verus & genuinus usus adeò paucis innotuit, paucis admodùm rerum gestarum series, ordo ætatum, Rerump. rationes & conversiones.

Hæc seriò mecum sæpe reputans tam meas ipsius quàm aliorum vices dolebam, quòd nationum & populorum vetustiorum particulares Historias desiderans, non nisi portiones quasdam hic illic sparsas possem reperire, atque in eo laborabam ut corpus quoddam Historiæ universæ integrum & *Institutionem* methodicam animo fingerem, qua partes singulæ debito ordine disponerentur sine confusione, sine ambagibus; quod ni fieret, omnium artium, scientiarum & disciplinarum, quæ singulæ ferè formam debitam consequutæ sunt, miserrima videbatur *Historia*, quæ tamen vix ullis cedat tàm dignitate quàm utilitate argumenti.

Asserere enim nullus dubito vix in publicis negotiis & rebus maxime eorum administrationem spectantibus, ullam rem momenti ullius occurrere posse quæ non ex Historiâ possit cognosci, intelligi & expediri, adeò facile ac Jurisconsulti nostrates ex rebus ante judicatis & in acta relatis lites universas cognoscunt & dirimunt. In Historia enim occurrit quicquid in Rep. accidit: Ibi causæ, progressus, successus & expediendi rationes: Nonnulla pro tempore & loco aliquo modo forsan diversa obveniant quæ tamen difficultatem nullam haud superandam in judicando pariunt, certè prudentiâ conciliantur

conciliantur & expediuntur: Atque hoc adeò in Historiâ obtinet, vel teste *Cominæo* qui asserere haud dubitat viros Βουληφόρους inter Consultandum nihil gravius admittere debere nisi quod ex illâ afferri, saltem comprobari possit & evinci.

Quàm utilem, imò necessariam Theologiæ navet operam nemini obscurum esse potest qui temporum diversorum diversa dogmata, qui motus infinitos illos Ecclesiasticos tam in Synodis quam extrà considerat, quos omnes cujus est nisi Historici referre, atque ea explicare sæcularia & mundana quorum, occasione altiùs petita, sacri scriptores meminere obiter & agentes aliud?

Ad jus autem Civile intelligendum tantum affert auxilii, ut ea absente, *Leguleius* insulsus quis meritò, vix tamen Jurisconsultus audiat. *Enimvero* (verba sunt *Jacobi Gothofredi* viri *Cl.*) *cum jus publicum illud sit quod statum rei* Romanæ *spectat, singulæque adeo Juris publici Constitutiones* περιστατικαὶ *ferme sint, imo* πρόσκαιροι, *quas circumstantiarum temporisque necessitas Statusque Rei* Romanæ *extorsêre, quomodo quæso sinceram earum cognitionem adsequi speret qui illius non dico ævi* Historiam Universam *seu universitatem animo prius non complexus fuerit, verum quod* Tertullianus *diceret,*

temporatim

temporatim quoque eam recensuerit: Causasque (nam ea demum ἐπιστήμη) *ex cujusque Constitutionis momentis collegerit, expenderit; denique, ut verbo dicam, privilegia a legibus distinxerit? Id vero quia haud æque semper factum est, hinc illæ jam impolitiæ, quibus solennium maxime constitutionum quæ ad jus publicum spectant, interpretationes scatent: Hinc inexplicabilium & inenodabilium quæstionum voragines unde emergere adeo arduum: Hinc sententiarum, velut inter se dissidentes conflictus, e quibus haud facilius sese quisquam quam e tricis Tellenis expediat: Nempe quia leges illæ tanquam ad Juris perpetui formam pertinentes æstimantur, ac non, quod revera sunt,* περιστατικοὶ & περίσκαιροι, *habentur.*

Quæ cum ita sint in Jure *Romano*, multò magis obtinent in Jure *Gentium*, quod adeò Historiæ innititur ut Jus *Historicum* meritò audiat, cùm enim ex Gentium moribus & consensu originem trahat, ex Annalibus vel aliis Historiæ solius formis nobis innotescit. *Historiæ enim*, inquit *Grotius*, *duplicem habent usum, qui nostri sit argumenti, nam &* Exempla *suppeditant &* Judicia. Exempla *quo meliorum sunt temporum ac populorum, eo plus habent authoritatis: Ideò* Græca *&* Romana *vetera cæteris prætulimus. Nec*

spernenda

spernenda Judicia, *præsertim consentientia*: *Jus enim naturæ, ut diximus, aliquo modo inde probatur: Jus vero gentium non est ut aliter probetur.* Qui explicationem eorum igitur quæ ad communionem inter diversos Principes & Populos conducunt aggressi sunt (e quibus *Albericus Gentilis* & *Hugo Grotius* pro *Coryphæis* habendi) hanc rationem sibi ineundam existimarunt, adeò ut omnia fere ex Historia eruant, judicent, damnent, absolvant; atque inde merito appellationem Historico-jure-peritorum pacti sunt.

Atque (in argumento tam perspicuo, Lectori, verborum inutili copiâ, non est creanda molestia) idem pronuntiandum est de *Jure Canonico*, *Jure Fecialium*, atque adeò de omni *Jure Municipali* quod interpretandum omnino & illustrandum est ex temporis statu, rerum circumstantiis, gentium moribus, aliisque non aliundè quam ex Annalium fontibus & Historico penu depromendis.

Hinc excitatus ut Historiam in talem formam reducerem quæ Artem perfectam seu disciplinam referret (ut Tironum animi facilius conciliarentur) dilacerata primùm Imperia & Regna antiqua componere & resarcire cœpi, ceu tabulas naufragii cujusdam colligens, & serie rerum continuâ ab

ipsis

ipsis originibus (quoad fieri potuerit in rebus tam obscuris) ad terminos usque deducere, rebus nullis gravioribus omissis, eò respiciens ut non solùm motuum progressus sed etiam Consilia, Causæ & Rationes administrandi cognoscerentur, quod inter Historiæ fructus vel primum sibi locum jure vendicaverit.

Verùm hoc facto aliisque quæ in Scriptoribus Historiæ Catholicæ desiderare videbar, admodùm eram solicitus de molis totius dispositione, quo modo scil. & ordine Imperia Regna & Resp. nunc integras inter se componerem, ut tempore convenirent quæ ejusdem temporis erant, licet loco & rebus gestis prorsus dissimilia. Nunc hanc, nunc illam, rationem inibam; displicuit nunc quod ante placuerat, exaravi & delevi. Tandem omnibus æquâ lance pensitatis *Imperiorum* & *Contemporaneorum* Methodus arrisit.

Cùm enim rerum gestarum Conjunctio fieri deberet, atque Historiæ corpus quoddam efformari, Majora minoribus præponenda duxi atque ab illis rationem & ordinem rerum sumendum: Illud etiam ceu caput æstimari par est, cujus consilio, arbitratu, nutu & moderamine potior tunc temporis orbis pars regebatur. Nec tamen Imperio

cuique

cuique sua solùm adjeci Contemporanea; verum notas temporis insigniores apponens effeci ut non solum quoto *Imperii* hujus vel illius anno, sed etiam *Mundi, Olympiadum, Urbis Condite*, aliarumque *Æratum* gesta fuerint quæque memorabiliora Tirones satis intelligerent.

Hinc copia cuipiam fit Historiam integram Cujusvis Imperii Regni & Reip. ferè legendi absque ulla confusione, temporum tamen rationes sartæ tectæ conservantur adeò bene ac si solitâ confarragine miscerentur omnia. Historiam Heröicam haud levi curâ tradidi cùm in istis rebus (tam obscuris licet) cognoscendis, atque vel fabulis ipsis, nisi Juvenes se exerceant, nullo modo Historiam Catholicam callere potuerint, neque scriptoribus legendis vel audiendis doctis esse idonei.

Ubi Ratio postulabat, ut Politias & Rerump. formas describerem, eas haud intactas præterii. Quandoque Criticum egi, nonnunquam Politicum, nullo tamen supercilio elatus, nullo inductus fastu, non tantum mihi tribuens quasi, ingenio proprio fretus, audire tantus gestirem qui omnes alios scriptores insciticæ, hallucinationis, vel tenuitatis arguerem.

Hic etenim invidiam deprecor obnixè Lectorem rogans ut Consilium nostrum

potius

potiùs expendat quam lance severiori pensitet omnia. Tenuitatis propriæ satis mihi conscius sum nec aliud quidem præ me fero, quanquam non ignorem eos qui primi novam rerum instituunt methodum, multis difficultatibus premi & maximè defudantes in rebus ipsis sermonis ornamentis vacare vix posse. Quis primum tentamen adeo fœlix requisiverit ut perfectum sit. Haud erubescerem confessus me quædam desiderare quæ facilè posthac accedere poterunt, atque rebus adeò fuisse occupatum ut de verbis parum essem solicitus.

Utcunque fuerit, jacta est alea, atque ita quidem se habet *Institutionis* nostræ *Historica* pars prior, cui secunda adjungenda est quamprimùm negotii ipsius ingens moles & Authoris Res privatæ permiserint. Opus quidem moveo cui infinita lectio est adhibenda, cùm libri multi iterùm atque iterùm penitus evolvendi sint, multi consulendi, plures inter se conferendi, ut rerum veritas eluceſcat, eruantur antiquitates, Politiæ tam particulares omnium gentium Civiles quam Ecclesiasticæ dignoscantur, & Res gestæ ob oculos ponantur; nec minor fere cura in totius dispositione & fugâ confusionis consuetæ. Sed libris (hujus laboris instrumentis) comparandis quanti sumptus faciendi!

quantum temporis in legendis insumendum. Opibus certe opus est ne plura dicam.

Prioris Epitomen hanc in publicum emittere, dum paretur altera, eamque latinè scriptam, tam nostratium quam exterorum interesse nonnulli existimarunt, quorum monitis si me obsecundassem dicerem & victum variorum tandem precibus, quamvis vera narrarem, nunquam tamen agerem sat commodè ut Lectori illud persuaderem, sed æquè insulsus & ridiculus ac scriptorum vulgus viderer. Dicam tamen, iis quibus Institutionis ipsius Methodus perplacuit, Elementorum horum dispositionem non posse non placere, & Tironibus aliquo modo esse consultum, ut ea memoriter tenentes in pleniorem rerum cognitionem facilius perducantur methodo usi meliori, & à summis apicibus ad integras & absolutas narrationes velut manu ducti. Illorum præcipue studiis consulens res quidem succinctâ & perspicuâ brevitate tradidi, ut in animo altiores radices agerent; atque cùm *Sleidanum* nollem plerorumque esse plerunque in manibus, ex pauculis illis, quos vir ille doctus in librum suum de 4 Imperiis (confuse satis pro more solito) congesserat, flosculis, pulchriores in proprias quosque areas reduxi cautus & inserui. Supervacaneum verò duxi pagellam hanc

hanc testimoniis onerare, cùm, in *Institutione* ipsâ, cuivis materiæ abundè suppetant.

Annus nunc *Septimus* vel *Octavus* agitur, ex quo, horis subsecivis, libellum hunc, in *Gallia*, idiomate Latino donaveram & in perfectam methodum redegeram, ubi librorum inopia & aliæ peregrinationis incommoditates impedierunt quominus vel secundæ parti *Institutionis* incumberem, vel illum ornarem prout animus resque ipsa tulissent, atque neglectus in scriniis jacuit à tempore devorandus qui ad tempus fallendum fuerat conscriptus, donec, gravi quadam impellente causa, ereptus, erutus sit, & in publicum, auspiciis utinam bonis, tandem emissus.

Extremum illud est ut tu, Lector Candide, Consilium nostrum (vel solum) expendas. Ita futurum spero, ut, licet hæc nobis nondum perplaceant, tibi haud vehementer displiceant.

Londini pridie Calendas *Julias*,
Anno M. DCLXX.

Series

Series Librorum & Capitum hujus Operis.

LIB. I.

CAP. I. *Ab orbe condito usque ad exortum Imperii* Babylonici, p. 1.

CAP. II. *Ab exortu Imperii* Babylonici *usque ad ejusdem excidium*, p. 3.

Imperio Babylonico *Contemporanea*, p. 17.

CAP. III. *De Sacrâ Historia.* ibid.

Sect. 1. *Ab orbe diviso usque ad Exodum*, ib.

Sect. 2. *Ab Exodo usque ad mortem* Solomonis *& regni divisione*, p. 25.

Sect. 3. *Regnum* Judæ. *A morte* Solomonis *usque ad excidium hujus regni*, p. 33.

Sect. 4. *Regnum* Israelis. *A Schismate usque ad Captivitatem tribuum*, p. 44.

CAP. IV. *Regnum* Ægypti *Antiquissimum Imperio* Babylonico *Contemporaneum*, p. 51.

CAP. V. *Status* Græciæ *vetustissimus & Imperio* Babylonico *Contemporaneus unà cum Regnorum & Rerumpublicarum particulari descriptione*, p. 70.

Sect. 1. *Status* Græciæ *universæ*, ibid.

Sect. 2. *Regnum* Sicyoniorum, p. 71.

Sect. 3. *Regnum* Argivorum, p. 73.

Sect. 4. *Regnum & Resp.* Athenienſium *Antiquissima*, p. 92.

Sect.

Sect. 5. *Regnum & Resp.* Lacedæmoniorum *Antiquissima*, p. 109.
Sect. 6. *Regnum* Corinthiacum *Antiquissimum*, p. 123.
Sect. 7. *Regnum* Thebanum *Antiquissimum*, p. 127.
CAP. VI. *Origo & Regnum* Romæ *Imperio* Babylonico *Contemporanea*, p. 134.
Sect. 1. *Origo urbis* Romæ, ibid.
Sect. 2. *Ab urbe conditâ usque ad Regifugium. Spatium Annorum* 245. p. 140.

LIB. II.

DE *Imperio* Persico *& Contemporaneis*, p. 159.
CAP. I. *De Imperio* Persico, ibid.
Sect. 1. *Ab* Initio *Imperii usque ad mortem* Cambysis, ibid.
Sect. 2. *A morte* Cambysis *usque ad* Xerxis *interitum*, p. 163.
Sect. 3. *A* Xerxis *interitu & initio* Artaxerxis Longimani *usque ad mortem* Artaxerxis Mnemonis. *Spatium Annorum* 103. p. 174.
Sect. 4. *Ab* Artaxerxis Mnemonis *obitu usque ad interitum* Darii Codomanni. *Spatium Annorum* 32. p. 186

Imperio Persico *Contemporanea*, p. 197.
CAP. II. *Res gestæ* Græcorum *durante Imperio* Persico, ibid.
Sect. 1. *Res quæ ab initio hujus Imperii usque ad* Xerxis *transitum acciderunt*, ibid.
Sect. 2. *Res quæ inter* Græcos *gestæ sunt ex pugnis ad* Platæas *&* Mycalen *usque ad bellum*

lum Peloponnesiacum. *Spatium Annorum* 48. p. 203.
Sect. 3. *A belli* Peloponnesiaci *initio usque ad ejus finem. Spatium Annorum* 27. p. 208.
Sect. 4. *Ab exitu belli* Peloponnesiaci *usque ad* Philippi Macedonis *initium. Spatium Annorum* 44. p. 221.
Sect. 5. *Ab initio* Philippi Macedonis *usque ad* Alexandri, *filii ejus, Monarchiam. Spatium Annorum* 31. p. 232.
CAP. III. *Res* Siculæ *durante Imperio* Persico. p. 246.
Sect. 1. *Nomina atque Incolæ hujus Insulæ unà cum iis Rebus quæ Imperium* Persicum *præcesserint,* ibid.
Sect. 2. *Res* Siculæ *Imperio* Persico *Contemporaneæ,* p. 249.
CAP. IV. *Res* Romanæ *Imperio* Persico *Contemporaneæ,* p. 266.
Sect. 1. *A Regifugio Primoque Regiminis mutatione usque ad secundam à* Decemviris *factam. Spatium Annorum* 57. ibid.
Sect. 2. *A* Decemviris *creatis usque ad bellum cum Privernatibus gestum. Spatium Annorum* 121. p. 293.

LIB. III.

DE Macedonum *Imperio & Contemporaneis,* p. 311.
CAP. I. *Ab Imperii* Macedonici *initio usque ad* Alexandri *mortem. Spatium Annorum* 6. *& mensium* 9. ibid.
CAP. II. *Ducum Res gestæ ab ejus exitu eò usque*

uſque donec, Imperio partito, Reges ſe appellaverint, Spatium Annorum 17. p. 318.
CAP. III. *Ab eo tempore quo Duces* Alexandri *ſe Reges appellarunt uſque ad mortem* Seleuci *eorum ſuperſtitis. Spatium Annorum* 24. p. 324.
CAP. IV. Macedoniæ *Regnum,* p. 328.
A Seleuci *interitu eò uſque donec* Macedonia *in Provinciam* Romanam *redacta fuit. Spatium Annorum* 139. ibid.
CAP. V. Aſiæ *&* Syriæ *Regnum.* p. 339.
A cæde Seleuci *eò uſque donec* Syria *in formam* Romanæ *Provinciæ redacta fuit. Spatium Annorum* 220. ibid.
CAP. VI. *Regnum* Ægyptiacum. p. 357.
Ab obitu Ptolomæi Lagi *uſque ad interitum* Cleopatræ *&* Ægyptum *in formam Provinciæ* Romanæ *redactam. Spatium Annorum* 254. ibid.
Imperio Macedonum *Contemporanea,* p. 367.
CAP. VII. *Regnum* Judaicum *ſeu Principatûs* Aſmonæorum, ibid.
Ab Antiochi Sidetis *ex* Hieroſolymis *diſceſſu uſque ad* Herodis *initium. Spatium Annorum* 98. ibid.
CAP. VIII. *Res* Siculæ *Imperio* Macedonico *Contemporaneæ.* p. 376.
A Timoleontis *exceſſu uſque ad Bellum* Siculum *ſeu Punicum Primum. Spatium Annorum* 73. ibid.
CAP. IX. *Res* Romanorum *Imperio* Macedonum *Contemporaneæ.* p. 381.
Sect. 1. *A bello cum Privernatibus geſto uſque ad Punicum Primum quo* Romani Italiâ *primùm egreſſi ſunt. Spatium Annorum* 66. ib

Sect.

Sect. 2. *A belli Punici Primi initiis usque ad bellum cum* Antiocho *Magno gestum, quo* Asiam Romani *primùm invaserunt. Spatium Annorum* 37. p. 385.
Sect. 3. *A bello cum* Antiocho *gesto usque ad* Carthaginis *excidium, quo* Romani *securi facti degenerarunt. Spatium Annorum* 45. p. 399.
Sect. 4. *A* Carthaginis *excidio usque ad Bellum* Mithridaticum *quod Bello primo Civili subministravit occasionem. Spatium Annorum* 58. p. 403.
Sect. 5. *A Bello* Mithridatico *Primoque Civili usque ad* Pompei Crassi *&* Cæsaris *Conjurationem Tricipitinam quæ Populari Reip. formæ exitium tandem attulit. Spatium Annorum* 28. p. 409.
Sect. 6. *Ab initio Tricipitinæ usque ad* Julii Cæsaris *Dictaturam perpetuam. Spatium Annorum* 16. p. 419.
Sect. 7. *Ab* Julii Cæsaris *Dictatura perpetua usque ad Trivumviratûs secundi finem & Monarchiam* Octavii Cæsaris, *seu* Cæsaris Octaviani. *Spatium Annorum* 15. p. 427.

LIB. IV.

De Imperio Romano, p. 435.
CAP. I. *Ab* Octavii *Monarchiâ usque ad mortem* Tiberii. *Spatium Annorum* 66. ibid.
CAP. II. *Ab obitu* Tiberii *usque ad mortem* Neronis Cæsarianæ *familiæ Imperatoris ultimi. Spatium Annorum* 20. p. 447.

CAP.

CAP. III. *A* Neronis *morte usque ad* Domitiani *interitum* Vespasianorum *postremi. Spatium Annorum* 27. p. 454.
CAP. IV. *A* Domitiani *interitu usque ad cædem Pertinacis & Imperium* Romanum *venum expositum. Spatium Annorum* 97. p. 460.
CAP. V. *Ab interitu Pertinacis & Imperio venum exposito usque ad cædem* Maximini *Imperatoris primi absque consensu Senatus Confirmati. Spatium Annorum* 45. p. 466.
CAP. VI. *A Cæde* Maximini *usque ad Monarchiam* Constantini *Magni primi Imperatoris Christiani qui Imperii sedem* Byzantium Thraciæ *urbem transtulit. Spatium Annorum* 86. p. 470.

Elementorum Hiſtoriæ.

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

Ab orbe condito uſque ad exortum Imperii Babylonici.

1. PRincipio Deus creavit Cœlum & terram: Sexto demum die homo creatus eſt, omnibus jam paratis ad mundi incolam recipiendum.

2. *Adamus* in ſtatu beato factus ab innocentia ſimul & fælicitate excidit proprio defectu, fructum vetitum comedens: Atque in eodem tam periculo

quam scelere posteri ejus omnes involuti sunt. Tanto facinore admisso, Paradiso abactus est ad terram colendam, filiosque duos ex *Eva* uxore sustulit *Cainum* & *Abelem*, quorum ille (molestè ferens fratris oblationem victimæ suæ a Deo præpositam) hunc occidit. *Adamus* porro ætatis suæ anno 130 *Sethum* genuit, numerumque annorum 930 complevit.

3. A *Seth* Ecclesia Dei, (ruitetque humanum genus ipsum) propagata fuit, *Caini* posteris ex diluvio absorptis. Anno ætatis suæ 105° *Enoshum* genuit, *Enoshus* annos natus 90 *Cainanum*. Hic anno 70° *Mahalelecum*, *Mahalelecus* 65° *Jaredum*, *Jaredus Henochum* anno 162°, *Henochus Methusalam* 65°. *Methusala* (qui exactis annis 969, vitam supra mortales omnes produxit) cùm annos vixisset 187 *Lamechum* sustulit, atque *Lamechus* anno ætatis suæ 182 genuit *Noahum* qui postquam 600 annos vitæ exegisset, arca secundùm Dei præceptum facta, se & familiam suam servavit, mortalibus omnibus aliis diluvio oppressis. Incidit itaque Diluvium in annum ab orbe condito 1656.

4. Ex *Noha* filiis tribus *Semo*, *Chamo*, & *Japheto* genus humanum reparatum est, terraque novis incolis tandem repleta. *Sethi* posteritio intra *Asiam* fuit. *Japheto* obtigit *Europa* universa præter *Asiam* Minorem, *Mediam*, *Armeniæ* partem, *Iberiam*, *Albaniam*, & regiones vastas illas olim a *Scythis*, hodie a *Tartaris* nominatas. Ut nihil de *America* dicam

in

in quam *Scythæ* per fretum *Anianum* penetrasse probabile admodum videtur, ad *Japheti* Progeniem spectant septentrionales regiones quæ officina gentium & vagina populorum haud immeritò à *Jornande* appellantur. *Chamo* minimo natu *Ægyptus*, *Africa* tota, pars magna *Assyriæ* & *Arabiæ*, (præter *Babyloniam*, *Susianam*, *Assyriam*, aliasque regiones quas *Nimrodus* nepos ejus occupavit) obtigerunt.

CAP. II.

Ab exortu Imperii Babylonici usque ad ejusdem excidium.

1. TErra divisa, *Nimrodus Chusi* filius *Chami* nepos *Babele* sedes suas posuit, ibique primus regnare cæpit, ditioni suæ adjectis *Erech*, *Accad*, & *Calneh* in terra *Sennaar*. Hic author fuerat turris illius vastæ extruendæ, ob quod ausum Deus irritatus linguarum confusione humanum genus castigavit, unde moles illa insana *Babel* nominata est. Hic *Belus* verus & *Bacchus* fuit, qui, cùm apud *Mosem* venator Magnus audiat, venatione viam ad regnum parasse a nonnullis existimatur, manu hominum contra feras collectâ, quæ terram infestam reddiderant. Regnavit annos 65.

2. Huic succeſſit filius *Ninus* qui patrem ut Deum colens idololatriæ primus author fuit. Cum Rege *Aſſyriæ* ſocietate inita, *Armeniam* & *Mediam* ſubjugavit, atque intra ſpatium annorum 17 populum *Aſiæ* univerſæ devicit præter *Indos* & *Bactros* quorum hos quoque tandem ſuperavit non obſtante Regis *Zoroaſtri* (ſeu potius *Oxyartis*) virtute. Cùm annos regnaſſet 52, urbem quandam obſidens telo ictus periit, vel *Semiramidis* uxoris inſidiis circumventus necatus eſt.

3. *Semiramis* occaſione arrepta quam filii *Ninyæ* (vel *Nini*) juventus præbebat, virilem habitum ſumpſit atque ejus loco regnavit. *Babylonem* reædificavit, auxit & munivit, imperioque *Nini* parùm contenta, *Æthiopiæ* ditione illud auxit, & in *India* bellum geſſit. Divitiis, victoriis & triumphis nulli mortalium ceſſit. Poſt annos 42 filius eam occidit, ſeu quòd rem habere cum ea recuſaret, ſive regnandi cupiditate inductus.

4. *Niniæ* Majorum ſuorum nemini ſimilis luxuriæ & ignaviæ ſeipſum tradidit; illi tamen militiæ ordinatio illa laudata attribuitur quæ uſque ad interitum hujus imperii a Principibus omnibus magni habita eſt. Per ætates 30 multi veſtigiis illius inſiſtebant, quorum nemo memoria dignus, præter *Teutamum* qui *Priamo* a *Græcis* obſeſſo auxiliares copias miſit, & ultimum qui apud ſuos *Tonos-Concoleros*, *Græcos* verò & *Romanos Sardanapalus* audit. Hic ex luxuria & interitu multùm inclaruit.

5. Fuit

5. Fuit enim omnium hominum longe effœminatiſſimus: Inter mulierculas perpetuò deſidens colum & lanam tractabat, atque adeò totus immerſus voluptatibus ut vix unquam ſui conſpectum præberet. His rebus alienati ab eo duo Præfecti, *Belochus Babyloniæ*, *Arbaces* autem *Mederum*, facta conjuratione, cùm turpitudinem ejus atque mollitiem vulgò traduxiſſent, bellum fecerunt. Rex maturè ſatis de eorum defectione admonitus ſe ad defenſionem parabat, victoriamque ter de rebellibus obtinuit; ſecurus autem ex ſucceſſu factus denuò ad voluptates rediit, rebelleſque inde alacriores redditi toties victoriam de ejus copiis reportarunt, atque obſederuunt urbem.

6. Per biennium *Sardanapalus* obſidionem toleravit, neque dubitabat ſe toleraturum donec auxilium veniret, in ſpe ſua magis confirmatus, quòd Oraculum prædixerat *Ninivem* nunquam captum iri ante quàm fluvius cum urbe inimicitias exerceret. Anno autem tertio pluviæ tantæ deciderunt ut *Euphrates* auctus nimiùm muris vim faceret; eoſque per ſtadia 20 obrueret; qua re *Sardanapalus* perculſus, conſtructa pyra, ſe divitiaſque omnes ignem conjecit, hoc uno facto virum imitatus, ut quidam ait, anno circiter 1400 a *Babylone* condita, ante primam *Olympiadem* 43°. *A. M.* 3186.

7. Cum *Sardanapalo* *Aſſyriorium* Imperium quodammodo interiit in Principatus duos diviſum. *Arbaces* enim ab exercitu Rex ſa-

lutatus, *Belocho* (seu *Belesi*) *Babylonem* concessit secundùm quod inter eos convenerat. Quidam tradunt *Arbacem* solo *Niniven* æquasse, alii autem arcem solam destructam putant, cum urbs ista Reges suos postea habuerit non potentia & Imperio prioribus comparandos, Magnos tamen, qui ex *Belocho* forsan originem duxerunt.

8. Ex Principatibus autem his duobus unus *Medorum* fuit, super quos non *Arbacem* solum sed & posteros ejus regnasse verisimilius est. Quamvis enim *Herodotus* scribat, eos, jugo *Assyriorum* excusso, per multas ætates sine Rege vixisse; *Ctesias* tamen, qui ex annalibus *Persicis* Historiam suam collegisse profitetur, *Arbacem* refert post annos 18 *Mandaucem* filium successorem suum reliquisse, cui ordine successerunt *Sosarmus*, *Artias*, *Arbianis*, *Arsæus*, *Artynes*, *Artibarnes*, & *Astyages Cyri* avus maternus. Præter *Ctesiam* *Eusebius* etiam Chronico suo successionem Regum ab *Arbace* inseruit, licèt ab illo, quoad nomina Principum, dissentiat.

9. Alter Principatus fuit *Babyloniorum* quorum *Belochus* primas tenet. Quamdiu regnavit, & quisnam illi successerit obscurum est. Post annos autem 71 *Nabonasar* (quem nonnulli eundem cum *Belocho* fuisse existimarunt) Regnum *Babylonicum* obtinuit, atque ab ejus Imperii initio & *Olympiade octava* *Æra* illa celebris *Nabonasari* deducitur, die scil. primo *Thoth* mensis *Ægyptii* (*Febr.* 26.) qui annos circiter 746 dies vero 310 *Iram*

Christi

Christi præcessit ut quidam rationem putant: annos 424 *Alexandri* Magni obitum.

10. *Arbacem* Reges novem ordine sequuti sunt, atque ab iis interregnum per annos 8. Hoc tempore defecisse videtur Regia soboles atque *Esarchaddon Assyria* Rex *Babylonios* sub jugum reduxisse. Ille enim qui post hoc interregnum *Babyloniis* præfuit, a *Ptolomæo Assaradinus* vocatur, quod nomen diversarum linguarum sono tantùm ab *Esarchaddone* existimatur differre.

11. Quod autem ad hujusce Regni *Assyriaci* exortum novum attinet, minime probabile est post *Sardanapali* interitum totum ejus imperium (ne majorem partem quidem) *Mediæ* & *Babyloni* subjectam fuisse; at *Arbacem*, quamvis *Medis* imperitaverit, populis tamen variis (quos domare non valebat) jugum novum recusantibus, libertatem permisisse. Hinc nationes trans *Euphratem* Anarchiæ tandem, & multorum malorum inde nascentium, pertæsæ *Principem* recipere haud abnuerunt, alia quamvis stirpe procreatum, qui, cum *Beli* successoribus Imperio & dignitate impar omnino esset, hinc *Græci Sardanapalum* ultimum *Assyriæ* Regem habuerunt.

12. Quisnam autem Princeps hic Primus fuerit aut quo nomine appellatus, nobis nondum innotuit. Quidam *Phulem* illum fuisse existimavit qui, regnante *Menachemo*, terram *Israelis* invasit, ejusque principium ad *Olympiadem* quartam posuit, annumque 17 ante *Æram Nebonasari*: Alter eundem cum *Tig-*

Iath-Pilesare quem *Nini* Junioris nomen sumpsisse putat. Iste *Damasci* Regnum excidit, postque annos 18 successorem reliquit *Salmanassarem* qui *Israelitas* captivos duxit, *Phæniciamque* & *Syriam* debellavit.

13. *Salmanassari* successit filius *Senacheribus* qui bello *Ægyptum Asiamque* totam infestavit, & *Hezekiam Judæ* Regem in angustias magnas conjecit, sed blasphemiis suis adeo Deum irritavit ut, percutiente Angelo, desideraret una nocte ad centum octoginta quinque hominum millia, deinde domum reversus a suis ipse liberis *Adramelecho* & *Sharezere* interfectus est, ejusque loco regnavit filius *Esarchaddon*.

14. Hic ille *Assardinus* habetur cujus in Regum Canone mentionem facit *Ptolomæus* Mathematicus insignis. Eodem tempore quo coloniam novam in *Samariam* deduxit, in *Judæam* penetrasse existimatur atque *Manassem* Regem captivum *Babylonem* deportasse; urbem enim hanc hoc tempore Regi *Assyriorum* paruisse ex Scriptura colligunt. *Assaradino*, postquam annos regnasset 13, *Saosduchinus* (seu *Sasducmus*) successit secundùm *Ptolomæum*, non autem *Merodach*, quem communis opinio voluit *Babyloniæ* regnasse, atque, illo occiso, *Assyriorum* Imperium *Babyloniis* adjunxisse; successio enim hæc *Pseudo-Metasthenis* attribuenda, (quem cum aliis ejusdem farinæ Scriptoribus *Annius* Mundo obtrusit) atque adeò rejicienda est.

15. Si

15. Si qua fides *Juditha* libro adhibenda sit, *Nebuchadonosor* ille idem cum *Saosducino* est habendus qui *Arphaxadum* Regis *Medorum* & *Ecbatanis* conditorem in campis *Ragavis* fudit & occidit. *Arphaxad* hic *Deioces* erat quem *Herodotus* eandem urbem condidisse scribit, quique *Saosducini* æqualis fuit. Atque hujus dux erat *Olophernes* qui cum *Bethsaram* arcta obsidione premeret *Judithæ* dolis circumventus periit.

16. *Saosducinum* sequebatur *Chynaladanus* qui *Saracus* ab *Alexandro Polyhistore* vocatur. Contra hunc *Phraortes Medorum* Rex, ut patris mortem ulciscereturr, profectus, quamvis *Asiam* totam & *Persiam* ditionis suæ fecisset, oppressus est: At filius ejus *Cyaxares* bellum red integravit, *Assyrios* fudit & *Ninum* urbem obsidione cinxit; sed a *Scythis*, re infecta, revocatus est, qui *Cimmerios* ab *Europa* fugatos persequuti in *Mediam* penetraverant. Ab illis in prælio fusus & fugatus Imperio totius *Asiæ* excidit, quam illi obtinuerunt per annos 28.

17. *Scythæ* his annis elapsis, cum res suas secure nimis, & malè aliàs administrarent, convivio excepti a *Cyaxare* & ebrii confossi sunt, atque Rex in fortunam pristinam & dignitatem evasit. His rebus confectis *Nabopolassar* dux exercitus Regis *Assyriæ* affinitatem & societatem contraxit cum *Cyaxare*, *Amyti* hujus (ex filio *Astyage*) nepte in uxorem *Nebuchadnesari* illius filio data. Societate hac mutuo devincti, *Chynaladanum*

(ſeu *Saracum*) junctis viribus oppreſſerunt, poſtquam annos regnaſſet 22.

18. *Nabopolaſſar* itaque, ſive *Nabulaſſar* dux *Aſſyrius* domini ſui Imperium hoc modo conſequutus eſt anno *Nabonaſari* 123°. Hic, cùm *Pharaoh Neco* bellum ei intuliſſet, urbem *Carcemiſſum* ad *Euphratem* ſitam cepiſſet, & *Cæloſyriæ Phæniciæque* Præfectus jam rebellaret, *Nebuchadneſarem* filium in ſocium Regni aſcitum cum exercitu contra *Ægyptios* & *Syros* miſit.

19. *Nebuchadneſar* in itinere *Jehoiakimum Judæ* Regem & *Neconis* ſubditum vectigalem ſuum fecit, quod *Ægyptius* permoleſtè ferens contra *Babylonium* iterum contendit & ſignis denuò collatis ad *Carcemiſſum* victus occubuit. Dum vero *Nebuchadneſar* victoria uſus ab *Euphrate Nilum* uſque bello domaret omnia, Pater *Babylone* mortuus eſt atque ille ad Regnum ſtabiliendum opportunè a *Chaldæis* revocatur.

20. Præterea *Babylonem* ornavit, novaque urbe vetuſtæ addita, ambas muris tribus munivit. Circa Regiam hortum penſilem fama valde celebratum fieri curavit, ut uxori, quam Montana more patrio delectabant, *Mediæ* continuum ſpecimen & tabulam veluti naturalem exhiberet. Hic etiam *Nebuchadneſar* ille eſt qui *Hieroſolymam* obſeſſam per biennium cepit, diripuit, incendit. Muros diruit, potiſſimam populi partem captivam abduxit, Regem *Zedekiam* exoculavit, filioſque illius atque proceres interfecit.

21. Huic

21. Huic per ſomnum imago ſtatuæ Magnæ oblata eſt, cujus erat caput aureum, pectus unà cum brachiis argenteum, venter & femur ex ære, crura ferrea, pedum pars aliqua ferrea pars fictilis. Expergefactus cum ſomnium illi memoria excidiſſet, capitis pœnam denunciat hariolis ni quale fuiſſet exponerent; quod cùm non poſſent, *Daniel Hieroſolymitanus* rem precibus aggreſſus quid ſomniaverit oſtendit, deinde quid ſibi vellet ſomnium interpretatus vaticinium de quatuor Imperiis edidit.

22. Quam horrendo ſpectaculo & exemplo ſuperbiam ejus Deus ultus ſit, operæ pretium eſt, ut cum omnes mortales tum Reges imprimis ac Viri Principes diligenter legant & conſiderent, quo videlicet Majeſtatem divinam revereantur & officium ſuum erga populum ſibi commiſſum faciant. Septem tempora (annos plerique intelligunt) ab humano conſortio ablegatus inter belluas agebat, ſed ſtatuto tempore ad ſe reverſus priſtinæ dignitati & Imperio reſtitutus eſt. Hujus rei inter Ethnicos meminit *Abydenus*. De eo ſcripſerunt *Megaſthenes*, *Diocles*, & *Philoſtratus*. Regnavit annos 43, *Ptolomei* Regum Canone *Nabocolaſſar* nominatus vel potius *Nabocodolaſſar*.

23. Illi ſucceſſit filius *Evilmerodach* qui nequitiæ & voluptatibus deditus dolis *Nerigliſſoris*, qui ſororem ejus duxerat, interiit poſt biennium. *Nerigliſſor* annos regnavit 4 & ſucceſſorem habuit filium *Laboroſardochum*, qui

qui cum malæ indolis eſſet, a ſuis interemptus eſt poſt menſes 9, & *Nabonidus Babylonius* quidam (aliis *Nabannidoebus* & *Labynitus* dictus) rei ſummam obtinuit. Hic, cùm 17 (vel ut alii volunt 27) regnaſſet annos, a *Cyro* oppreſſus eſt, qui *Babylone* potitus Imperium ad *Perſas* tranſtulit.

24. Hanc Regum ordinem tradidit nobis *Beroſus* Hiſtoricus *Chaldæus* a *Joſepho* ſæpius citatus, cui etiam hac in re *Ptolomæus* Mathematicus *Alexandrinus* celeberrimus in Regum Canone teſtimonium præbet. Et quamvis inter doctos fuerint qui *Danielis* Hiſtoriam huic in adverſum ire exiſtimaverint, alii tamen haud minùs literis imbuti eorum argumentis ſatis ſibi videntur reſpondiſſe, ut in inſtitutione noſtra Hiſtorica videndum. Cùm autem ad *Cyrum* rerum ſeries nos deduxerit, quiſnam ille fuerit, Cujas & quantus qui tantum Imperium me vertere potuerit, paucis, pro ratione inſtituti, eſt dicendum.

25. De gente ejus conſentiunt omnes quod fuerit *Cambyſis Perſæ* filius ex *Mandane Aſtyagis* Regis *Medorum* filia ſuſceptus, præter *Cteſiam* qui nullo modo *Aſtyagi* eum ſanguine fuiſſe junctum tradidit. De *Cambyſis* autem fortunâ varia narrantur. *Herodotus* eum hominem obſcurum & tenuis fortunæ vocat, dicitque *Aſtyagem* talem quæſiviſſe cui filiam locaret, cujus prolem ſomniaverat tantam futuram ut avi Regno exitium afferret. Addit infantem in lucem editum necandum fuiſſe traditum *Harpago Aulico*, qui cùm pueri miſertus

miſertus juſſa Regis non ipſe faceret, ſed Paſtori Regio rem committeret, paſtoris uxor recens puerum mortuum enixa, viro perſuaſit ut domum afferret infantem expoſitum & loco filii familias educaret.

26. *Xenophon* autem in libro ſuo elegantiſſimo, quem de *Cyri* inſtitutione inſcripſit, haud alium quàm *Perſarum* Regem *Cambyſem* fuiſſe affirmat, ſcribitque *Cyrum* in omni diſciplinæ *Perſicæ* genere (quam exquiſitiſſimam facit) exercitatiſſimum ſimul & præſtantiſſimum. Quumque *Herodotus* tradat eum inter paſtores Regios educatum, poſtquàm ex Regali animo *Aſtyagi* avo innotuiſſet, in *Perſiam* fuiſſe ablegatum, *Harpagum* vero ob neglectam eædem proprii filii Carne in convivio paſtum *Cyro* demum authorem extitiſſe in ſenem *Aſtyagem* inſurgendi & eum Regno exuendi; de his rebus apud *Xenophontem* ne verbum quidem.

27. Narrat enim *Xenophon* quomodo *Cyaxares Aſtyagis* filius cum ſobolem maſculam non haberet, filiam ſuam in matrimonio dederit *Cyro Perſæ* ſororis ſuæ filio, & quòd bello laceſſitus a Rege *Aſſyriorum* in auxilium *Cyrum* accerſiverit, qui totius exercitus Imperator factus rem fæliciter adminiſtravit, *Babylonem* cepit, tandemque avunculo ſucceſſit, cùm priùs *Cræſum Lydiæ* Regem alioſque multos imperii ſui jugum coegiſſet ſubire. De *Cræſo* autem, cùm res poſtulet ut plura dicantur, æquum eſt ut Regni *Lydici* hiſtoria paucis etiam perſtringatur.

28. *Lydia*,

28. *Lydia*, quæ & *Mæonia* dicta est, nomen accepit a *Lydo* Rege *Atis* filio & *Tyrrheni* fratre, ut *Græci* quidem perhibent. Satis autem constat *Lydiam* fuisse appellatam ex illo *Semi* filio qui *Lud* apud *Mosem* audit, ut & *Mæoniam* ex *Mæandro* fluvio. *Lydi* progenie extincta (narrante *Herodoto*) ab *Heraclidis* ibi per annos 505, ætates verò 22, regnatum est ad *Candaulem* usque, qui formæ uxoris suæ nimium attribuens *Gygem* servum nudam eam spectare coegit. Hoc cognitum adeo indigne tulit Regina, ut, (delectu *Gygi* facto utrùm moreretur ipse vel Regem occideret) servum ad parricidium adigeret & nuberet parricidæ.

23. Rex itaque *Gyges* ex servo factus est, & inimicis suffragio Oraculi *Delphici* victis, Regnum suum confirmavit, & tenuit per annos 38, *Mileto* & *Smyrnæ* urbibus bello illato, & *Colophone* sub jugum missa. *Ardys* filius ejus & successor *Prienem* expugnavit, oppugnavit *Miletum*, & eo regnante *Cimmerii* sedibus suis ejecti a *Scythis Nomadibus*, in *Asiam* penetrarunt & *Sardes* ceperunt, arce tamen haud expugnata. Alter ab illo fuit (cùm annos 49 regnasset.) *Sadyattes* filius, qui annis 12 exactis *Alyatti* cessit.

30. *Alyattes* cùm *Cyaxare Medo* bellum gessit & *Cimmerios Asia* ejecit. Cùm *Milesios* obsideret & fame pænè opprimeret, illi quantum frumenti sibi restabat in forum produxere, ex quo conjectans, contra quàm putaverat, illis victum suppetere, obsidionem

solvit

ſolvit & pacem fecit. Illi, poſtquàm annos 57. imperaſſet, *Cræſus* filius ſucceſſit annos natus 35.

31. *Cræſus* populos omnes *Aſiæ* cis *Halym* fluvium ſubjugavit, & magna gloria majorique rerum omnium abundantia claruit. Sapientibus *Græcis* *Sardes* confluentibus, *Solon* *Athenienſis* inter alios Regem viſebat. Principio quidem optime exceptus eſt; at, cùm in quæſtionem de fælicitate inciderent, fælicem *Cræſum* agnoſcere nolens & omnia mundana incerta eſſe prædicans, ut parùm æquus rerum æſtimator dimittitur. Sed *Cræſus* adeò elatus ut ſibi fæliciſſimus videretur, primùm ex duobus filiis natu majorem amiſit, cujus mors ideò gravior videbatur quòd ſuperſtes erat mutus: Deinde poſtquàm filii fatum per biennium deploraſſet, ex *Cyri* fortuna proſpera accenſus eſt in invidiam, cujus æſtus tantam excitavit flammam ut in fumum tandem abiret faſtus ejus atque luxus, & parum abfuerit quin ipſe vivus concremaretur.

32. Oraculis enim deceptus *Cappadociam* invaſit ut pœnam de *Cyro* ſumeret ob injuriam *Aſtyagi* ſororis ſuæ marito illatam, ſecundùm quod præ ſe ferebat, revera ut Regionem illam fertilem ditioni ſuæ adjiceret. *Cyrus* obviam illi proceſſit cum majoribus copiis, & quamvis æquali ſucceſſu pugnatum fuiſſet, Ductores tamen *Cræſo* vitio vertebant quòd tam inequali exercitu auſus eſſet congredi. Cùm die ſequenti igitur *Cyrus* in aciem non procederet, *Sardes* uſque in regnum ſe ſubduxit,

duxit, præstolari volens copias sociorum suorum auxiliares, ut auctis viribus vere insequente *Persam* aggrederetur.

33. *Cræsus* ab hoste admodùm securus sibi visus, quia ipse securitatem hosti præstiterat, mercenarios dimisit, quo audito, *Cyrus* opportunitatem rei bene gerendæ adesse ratus citato cursu eum insecutus est, & inopinantem opprimere statuit. *Cræsus* qua potuit celeritate usus ad defensionem se accingit, sed urbe egressus in prælio funditur, & tunc arctè obsessus 14° obsidionis die expugnatis Sardibus in victoris manus vivus devenit.

34. Ad ignem damnatus, pyra conscensa ter *Solonem* inclamavit, deinde jussus causam exponere Historiam narravit de congressu *Solonis*, & quomodo Sapiens ille assereret *Neminem, ante obitum, fælicem debere existimari.* Quod *Cyrus* serió secum reputans ut ipse fortunæ obnoxius, temperantius victoria usus est, & *Cræsum* capitis periculo liberatum inter amicos habuit & necessarios. *Olympiadis* 58ª Anno 4°, *Cyri* 15°, *A. M.* 3460.

35. *Cyrus* contra *Babylonios, Bactros, Sacas*, & *Ægyptios*, Profectionem meditans *Harpago Medo* negotium dedit *Asiam Minorem* subjugandi, quod & hic præstitit, *Jonibus, Caribus, Cauniis, Lyciis*, populisque aliis superatis. Cùm in ditionem suam redegisset reliqua Continentis omnia, contra *Assyrios* profectus est qui Commeatibus instructi intra muros *Babylonis* se receperant. *Labynitus* Rex principio copias suas exposuit, sed

fusus,

fusus, in urbem reversus & obsessus est. Quisnam hic fuerit, seu *Belshazar* sive alius, cùm disquisitionem prolixam institutum hoc non patiatur, videant Tyrones in Institutione nostra.

36. *Labynitus* diu quidem obsidionem toleravit & toleraturus videbatur, nisi *Cyrus* ex hac difficultate alia ratione se expediisset. Fossas magnas fieri curavit per quas fluvius adeo ex alveo suo derivatus est in vicinas paludes ut transitum in urbem *Persis* permitteret, qui hoc modo *Babylone* potiti sunt & *Cyrus* Imperio *Babylonico*. *A. M.* 3465°. *Olympiadis* 60æ Anno primo, ante natum *Christum* 538°.

Imperio Babylonico Contemporanea.

CAP. III.

Sacra Historia Imperio Babylonico *Contemporanea.*

SECT. I.

Ab orbe diviso usque ad Exodum.

1. SEmus *Noæ* filius annos 100 natus genuit *Arphaxadum*, *Arphaxadus* anno ætatis suæ 35° genuit *Selam*; *Sela*, cùm annos haberet 30, genuit *Hebrum* (à quo nonnulli

nulli *Hebræos* nominatos volunt) qui anno 34° *Phalegum* sustulit, ita appellatum quod ejus diebus terra divisa fuerit. *Phaleg* annos 30 natus genuit *Reu*, *Reu* cum haberet annos 32 genuit *Sarug*; hic anno tricesimo expleto *Nachorem*, & *Nachor* annos natus 29 *Teram* vel *Tharem*.

2. *Tera* Septuagenarius genuit *Abramum*, *Nachorem*, & *Haranem*; quorum *Haran* natu Maximus habendus est qui *Vre Chaldæorum* mortuus tres liberos reliquit, *Lothum* filium & filias duas. Harum *Milcah Nahori*, & *Sarai* (sive *Iscah*) *Abramo* Patruo nupsit. Secundus fuit *Nachor* pater *Chesedi* vel *Chasedi*; atque adeo Minimus natu *Abramus* qui patris anno 130. non autem 70 natus videtur, ex eo quod de ætate *Teræ*, cùm *Charrane* moreretur, & *Abrami*, eo tempore quo *Charrane* decederet Sanctus *Stephanus* prorulit. *A. M.* 2008.

3. *Abramus* 70 circiter annos natus ex patria in terram *Chananæorum* migrare jussus est, promittente Deo futurum ut in gentem Magnam Crescceret, atque ut in eo gentes totius mundi benedicerentur. Ille dicto audiens cum patre, *Lotho*, & uxore sua, *Vre Chaldæorum*, *Charranem* usque profectus, ibi habitabat. Atque quinquennium videtur eò loci exegisse patri grandævo & valetudinario consulens, donec defuncto vita sene, mandati divini memor *Chananæam* usque perrexerit. Hinc Æra commigrationis *Abrahami* & posterorum ejus *in terra non sua* per annos 430 desumenda est.

4. Sedes

4. Sedes primas in *Sichemo* posuit, ubi Deus promissum suum renovavit, altero insuper addito de terra illa semini ejus tribuenda; atque hoc in loco primum altare Domino dicavit. Anno 11°, postquam *Cananæam* ingressus esset, filium *Ismaelem* sustulit ex *Hagare* ancilla, atque anno abhinc 13° de *Isaaco* anno sequenti nascituro Deus fœdus aliud cum eo pepegit, cujus Sacramentum Circumcisionem instituit. Illo tempore pro *Abramo* *Abrahamus* vocatur, uti non *Pater Excelsus* tantùm sed & *Magnæ Multitudinis*. *Sarai* item uxor, cujus appellatio *Dominam meam* (ut unius familiæ) significabat, nomine *Sarah* insignitur, *Dominam absolutam* denotante sive *Multarum gentium*.

5. Eodem anno Deus consilium suum *Sodomam* reliquasque urbes evertendi *Abrahamo* patefecit, qui cùm iram divinam placare non posset, igne cælitùs demisso, civitates istæ conflagrarunt, *Lotho* tamen sospite. Solum in mare Mortuum-conversum est per 70000 passuum patens. In eo nullum animal vivit, bitumen solum in usum nautarum præbet, adeò ut inter Ethnicos etiam fama obtinuerit regionem hanc olim de cœlo fuisse tactam. *Lothi* uxor, cum *Sodoma* excederet, post se respiciens in salis columnam conversa est quam ad suam usque ætatem perduravisse scribit *Josephus*. Filiæ autem duæ totum humanum genus periisse existimantes cum patre ebrio facto rem habuerunt, ex quo incestu orti sunt *Moab* & *Ammon* gentium totidem præpotentium Patriarchæ.

6. Tem-

6. Tempore autem finito, secundùm quod Deus promiserat, natus est *Isaac*, cùm Pater centesimum annum expleret, mater nonagesimum, anno 400 ante *Israelitarum* reditum ex *Ægypto*. Post annos 37 mortua est *Sarah*; *Abrahamus* verò *Keturam* duxit ex qua novam prolem susceptam, dum viveret adhuc, muneribus instructam ablegavit. *Isaaco* quadragenario uxorem dedit *Rebeccam Nachoris* fratris sui, ex *Bethuele* filio, neptim quæ per annos 20 sterilis geminos demum peperit *Esavum* & *Jacobum*.

7. Tandem post annos 15 *Abrahamus* Deo Charissimus terras reliquit annos natus 175, cum in terra *Chananæa* exegisset 100, anno 25° post Semi funera, 4° verò ante Heberi excessum, regnante apud Argivos *Inacho*, ante Christum natum anno 1821. Orbis conditi 2183. Ejus *Artapanus*, *Charax*, *Berosus*, *Hecataeus*, & *Nicolaus Damascenus* (*Ethnici* omnes) meminerunt.

8. *Abrahamo* mortuo, Deus *Isaaco* benedixit atque idem fœdus cum illo pepegit. Post annos 48 mortuus est *Ismael* cùm annos 37 supra centesimum vixisset, orbis conditi 2231°. Ex *Nabaioth* filio ejus primogenito orti sunt *Nabathæi* qui *Arabiæ* partem ex *Petra* Metropoli *Petræam* dictam incoluerunt. Illis nefas erat serere aut plantare, vinum bibere vel ædes exstruere: Libertatis avidi, atque hæc non aliter quàm ambitiosorum irritamenta respicientes. *Kedar Ismaelis* filius alter nomen dedit etiam *Arabiæ* loco cujus mentio

frequens

frequens in ſacra pagina. Quamvis *Chuſæi*, *Madianitæ*, & *Iſmaelitæ*, non ejuſdem originis *fuerunt*, videntur tamen unà habitantes in unam *Saracenorum* gentem coaluiſſe.

9. Poſt annos abhinc 15, cum *Iſaacus* eſſet annorum 138, jamque oculis captus, primogenitum ſuum *Eſauum* ad venandum miſit ut ferina paſtus illi benediceret. At *Jacobus*, aſtu matris, perſonam ejus induit & cum antea juſculo jus primogenituræ emiſſet, benedictionem ſurripuit. Hoc fratre moleſtiſſimè ferente, in *Meſopotamiam* fugere coactus eſt ad *Labanem* avunculum, cujus filias duas duxit, ſervitute 14 annorum in pretium pacta.

10. Ex fæminis, illis totidemque earum ancillis filios duodecim & filiam unam ſuſcepit. Per annos viginti ſervitutem duram ſerviebat, quibus finitis, ex *Meſopotamia* reverſus eſt in *Cananæam*. Ibi *Joſephus* filius à fratribus invidia motis Mercatoribus *Midianitis* venditur & in *Ægyptum* deportatur annos natus 17 cum pater eſſet 109. In *Ægypto Potipharis* (ſatellitum *Pharaonis* Præfecti) ſervus factus ejus familiam ad miniſtravit, at poſt annos 16 à domina ſua de ſtupro ſolicitatus, cùm abnueret, ejuſdem criminis inſimulatur & in carcerem amandatur.

11. Hoc tempore avus ejus *Iſaac* diem ſuum obiit 180 annorum ſenex, & ab *Eſavo* & *Jacobo* filiis ſepultus eſt, quorum ille, cum fratre in gratiam redierat, & partitis bonis Montem *Seir* repetebat, ita Deo ordinante, ut olim ab *Iſraelitis Cananæam* vendicantibus poſteri

posteri ejus è suis sedibus non ejicerentur. Ab hoc *Edomo* appellato *Idumæa* nomen sortita est, quæ etiam *Nabathæorum* patriam complexa videtur. Atque non admodum improbabile est eum qui sororem *Nebaioth* duxerat illis se adjunxisse & præfuisse. Hicque heros ille clarus à quo non *Idumæa* sola sed etiam *Erythræum*, *Edomæum*, vel *Rubrum* Mare (omnibus idem significantibus) appellatum: Nomine enim *Erythræo Græcis* innotuit quod *Edom* est in primitiva lingua.

12. *Josephum* autem in carcerem conjectum, cùm aulicorum duorum somnia convenienter eventui interpretatus esset, biennio post ad se Rex ipse accersit, somniorum suorum interpretationem ab ariolis minimè consequutus. Cùm somnia septem saturitatis annos totidemque famis venturos significarent, consilium tale exposuit *Josephus* de annona procuranda contra famem futuram, ut ex eo Rex sapientiam ejus ultra humani ingenii vires auctam perspiciens in summam regni authoritatem hominem evexerit, data in uxorem *Asenatha* filia *Potipharis Oniorum*, sive *Heliopolitanorum*, Præsidis.

13. *Jacobus* fame pressus (nam non *Ægyptum* solam sed & vicinos *Canaanis* & *Arabiæ* locos penuria invaserat) filios suos in *Ægyptum* ad annonam emendam mittit, ubi à fratre *Josepho* dissimulante agniti callidè explorationis insimulantur. Sed profectione secunda *Simeonem* è vinculis solvit quem obsidem retinuerat, & se illis patefecit, conscientia

ſcientia in ſe olim admiſſi facinoris conſternatos erexit, omnibuſque neceſſariis inſtructos ad patrem cum tota familia celeriter adducendum dimiſit. *Jacobus* itaque ſalute & fortuna filii exhilaratus, quem ut defunctum diu antea deploraſſet, & divinitùs confirmatus alacris in *Ægyptum* deſcendit annos natus 130, anno famis tertio, orbis vero conditi 2298°.

14. Per annos 17 in *Ægypto* vixit, quibus finitis *Joſephi* filios duos adoptavit, minorem natu majori præferens, liberiſque convocatis & benedictis vitam cum morte commutavit. Per dies 70 (vel 72) defletus eſt in *Ægypto*, tuncque in *Cananæam* delatus ibi etiam 7 dierum planctu abſoluto, ſepelitur à filiis magna aulicorum & principum caterva ſtiparis. *Joſephus* fratribus iram ejus deprecantibus veniam indulſit omniaque neceſſaria promiſit ultrò.

15. Tandem, poſtquam *Ægyptum* adminiſtraſſet ſub pluribus Regibus per annos 80, vixiſſet 110, & à patris obitu ſuperſuiſſet 50, fatis conceſſit. De eo *Trogus Pompeius* multa ſcripſerat (quod ex *Juſtino* nobis innotuit) partim ex hiſtoria ſacrâ deſumpta, partimque ex fabulis conſtantia, quas Ethnici (prout ſolenne illis erat) de *Judæis* finxerunt. Cum vita *Joſephi* definit *Geneſeos* liber 2369. annorum res geſtas continens. Alter ab illo videtur eſſe liber *Jobi* quem etiam à *Moſe* conſcriptum fuiſſe *Hebræorum* ſententia conſtanter affirmavit.

16. *Joſepho*

16. *Josepho* mortuo omnibusque ejus æqualibus, *Israelitarum* indies numerus crevit atque adeo Magnus evasit ut Rex rebus suis timens rationem iniverit illum minuendi. Primùm obstetricibus præcepit ut è medio tollerent infantes masculos omnes, & cum hoc frustrà voluisset, de illis submergendis edictum promulgavit. Sub hoc tempus natus est *Moses*, *Amrami* & *Jocabedæ* filius, cumque, tribus mensibus exactis, haud celari potuerit in arca scirpea bitumine & pice oblita, ad ripam fluminis expositus est. Ibi eum inveniens *Pharaonis* filia (*Thermutim* eam *Josephus* appellat) pueruli miserta matri (incognitæ) lactandum tradidit, adoptatum postea filii loco habuit, & omni sapientia *Ægyptiorum* curavit erudiendum.

17. Postquam autem *Moses* adolevisset, per fidem *Pharaonis* nepos vocari noluit & quadragesimo ætatis anno completo invisens fratres suos *Israelitas* aspicienſque eorum onera, *Ægyptium* occidit qui *Hebræum* percussérat, quod cum *Pharaoni* innotuisset, Rexque ad ultimum supplicium eum quæritaret, fugere coactus est in terram *Midianitidem*, ubi benignè acceptus ab *Hobabo*, (sive *Jethrone*,) ducta illius filia *Zippora*, ibi annos quadraginta exegit.

18. Illis finitis, dum oves pasceret vocatur à Deo, mittiturque ad *Pharaonem* ut *Israelitas* à durissima servitute liberaret. Sed cùm ad nihil prodesset legatio, imò graviores labores præter pensum diurnum populo imponerentur,

rentur, multis ſignis præmiſſis, *Moſis* miniſterio 10 plagas *Ægyptiis* inflixit Dominus quarum, novem Regem parùm moventibus, decima (nempe primogenitorum omnium cædes,) ad *Iſraelitas* dimittendos eum compulit.

Sect. 2.

Ab Exodo ad Solomonis mortem uſque & Regni diviſionem.

1. *Iſraelitarum*, præter mulieres & pueros, 600000, qui viginti annos & amplius habuerunt, ab *Ægypto* profecti ſunt. Secundùm hunc numerum, omnium ætatum ſumma ad 1500000 aſſurget, ſi eam rationem amplectamur quam gentes omnes ineunt. Atque huic æqualis fuiſſe exiſtimatur à nonnullis multitudo illa mixta quæ eos comitata eſt. Nec dubitari debet quin ex 70 hominibus homines totidem propagari potuerint ut in inſtitutione noſtra eſt demonſtratum.

2. *Moſes* ad *Rameſſem* urbem populum congregaverat, unde ad *Succoth* venerunt ſtationem ſecundam. Illinc *Etham* & tandem *Pihahiroth* profecti ſunt, quò cùm *Pharoh* eos perſequeretur, Deus aquas *Maris Erythræi* diviſit, per medium cujus in deſertum tranſierunt, *Pharaoh* autem *Ægyptiique* eos perſequuti ab aquis recurrentibus obruti ſunt. *Joſephus* Hiſtoricus miraculum hoc ingens injuria affecit, captare volens *Ethnicorum* fidem. Hoc

enim comparat cum *Alexandri* tranſitu per *Pamphylium* ſinum; cùm ex *Strabone* ſatis conſtet in ſinu hoc, refluente mari, littus aridum relinqui, cùmque æſtus maximè eum obruerit aquas non adeò altas reperiri, quin tutus hominibus tranſitus concedatur.

3. Annum unum & dimidium exegerunt *Iſraelitæ* in deſerto, ut animi eorum ex ſervitute abjecti in bellorum rerumque civilium ſtudia paulatim erigerentur. Intra hoc temporis ſpatium Leges *Morales*, *Judiciariæ* & *Ceremoniales* à Deo ipſo latæ ſunt, *Tabernaculum* erectum, atque *Sanhedrim* ſeu Judicum 70 Conſeſſus ordinatus. Anni ſecundi menſe quinto exploratores duodecim ad *Cananæam* perluſtrandam mittebantur pro tribubus ſingulis ſinguli viri. Horum reverſorum decem opinionem malam de terra illa induxerunt, urbiumque & incolarum robur adeo prædicarunt ut populum ab aditu abterrerent, qui propterea reditum in *Ægyptum* vehementer molichatur atque ad *Joſuam* & *Calebum* exploratoribus reliquis repugnantes lapidibus obruendos ſe accingebat.

4. Deus ſubitum exitium rebellibus his minatus eſt, & quamvis *Moſis* precibus, quoad hoc tempus, flecteretur, omnibus tamen (præter *Calebum* & *Joſuam*) viginti annos & amplius natis moriendum eſſe denunciat in deſerto, ubi 40 annos omnes erraturos decernit. Atque decem quidem exploratores morte ſubita ſublati ſunt, cujus rei memoriam ad hunc uſque diem *Judæi* jejunio ſeptimi diei menſis

menſis ſexti (*Elul*) celebrant. Superſtites, cùm fines terræ promiſſæ jam attingerent, retrocedere Mare *Rubrum* verſus jubentur, & contra juſſum Domini montem conſcendentes, ab *Amalekitis* & *Cananæis* magna cladi cæſi ſunt, at coràm Domino flentes non ſunt exauditi.

5. Propter hanc calamitatem & mortem continuam *Iſraelitarum* quotidie jam cadentium in deſerto compoſuit *Moſes* Pſalmum nonageſimum in quo vitam hominis ordinariam ad 70 vel 80 annos redactam eſſe ſignificat. Atque nunc tertiùm quidem quaſi dimidiata parte brevior effecta eſt, cùm primùm ſtatim poſt *diluvium*, ſecundùm *Phalegi* tempore, dum terra divideretur, hoc factum fuiſſet.

6. Per annos reliquos 38 quæ acciderint pauca admodum à *Moſe* Commemorantur, donec ad annum quadrageſimum deventum ſit, quo jam vertente, *Aradiorum* & *Amorrhæorum* Reges devicti ſunt. Omnibus bello aptis, ſecundùm quod Deus denunciaverat, in deſerto extinctis, tertiùm *Moſes* jubetur cenſum agere, quo inventi ſunt 61173 qui viginti annos & ſupra nati erant, præter *Levitas* 23000 quorum cenſus à natis uno menſe erat; adeò ut filii parentum numerum pæne æquarent.

7. Tandem poſt *Midianitas* devictos terraſque *Sihonis* Regis *Amorrhæorum* atque *Og* Regis *Baſanis* inter *Reubenitas*, *Gaditas* & dimidiatam *Manaſſis* tribum diviſas, mortuus

est *Moses* mense quinto circiter post *Aaronis* fratris funera annos natus 120, quorum pars tertia in rebus administrandis exacta est, anno quadragesimo desinente ex quo populum ex *Ægypto* eduxerat *A. M.* 2548. *Israelitæ* per dies 30 eum lugebant. Cum illo desinit ejus *Pentateuchus*, quem sequitur liber *Josuæ*.

8. *Mose* mortuo, *Josua*, sive *Jesu*, *Navæ* filius populo præficitur, quem in *Cananæam* eduxit Mensis Primi *Nisanis* die decimo. Urbs *Jericho* statim capta est, muris virtute divina obrutis; atque *Josua* hostes persequente Sol & Luna quasi diem integrum substiterunt. Nulla Civitas cum *Israelitis* pacem fecit præter *Gibeonitas* qui eos dolo circumvenerant, sed omnes funditùs eversæ sunt, nisi quos Deus Servari voluit, quibus in populum rebellem olim uteretur.

9. *Cananitæ* sedibus suis ejecti ad Oram maritimam se receperunt, ubi *Phœnices* postea sunt appellati, atque in plurimas *Africæ* & *Europæ* regiones colonias deducentes in *Mauritania Tingitana* columnas posuerunt *Phœniciis* characteribus insculptas in hunc sensum *Nos ex illis sumus qui à facie* Josuæ *filii* Navæ *prædonis fugerunt*. Duravit autem hoc bellum per sexennium & menses aliquot; ut ex *Calebi* ætate, quo tempore divisio fiebat, intelligitur.

10. Incidit itaque *Cleruchia*, sive terræ divisio, in septimum annum ineuntem ab ingressu *Israelitarum* in *Cananæam*, atque *A. M.* 2555. etiam ineuntem, duravitque per

annum

annum unum. Numerantur itaque ab orbe condito usque ad hanc divisionem absolutam anni 2555, annorum autem hebdomades 365, quot sunt nimirum in anno solari dies naturales 24 horarum: Atque adeo fuit ab orbe condito ad possessam terram Hebdomas integra magnorum annorum, quorum singuli constant tot annis quot annus constat diebus, scil. 365. Postquàm autem bellum per sexennium duraſſet quievit populus anno χληρονόμος ut in anno sabbatico; atque hinc efficitur ut initium anni sabbatici atque *Jubilæorum* ab ingressu in *Cananæam* potiùs quam ex ipsa κληρονόμια quidam desumere maluerint.

11. *Josua* mortuo atque senioribus illis, qui adulti cùm *Ægypto* exirent observare potuerunt mirabilia Dei, successit ætas Dei immemor quæ cum *Canaanitici*s gentibus conjugia miscebat, colebatque eorum idola. His Deus irritatus in manus tyrannorum oppressorumque plurium eos tradidit qui vehementer illos affligebant. Subinde tamen Judices quosdam suscitavit qui tantis ærumnis pæne oppressos liberarent; atqui horum consiliis auscultare nolebant.

12. Statuit itaque Dominus nationes istas quas *Josua* præterierat in regione relinquere, ut iis tentare populum posset, atque bellum *Israelitas* docere. Relicti sunt enim *Philistæorum* domini quinque cum *Cananæis, Sidoniis* & *Hevæis* qui montem *Libanum* incolebant ex Monte *Baal-Hermon* usque ad introitum *Hamath*. Agebant *Israelitæ* inter *Cananæos*,

Hittæos, Amorrhæos, Perizzæos, Hevæos, & Jebusæos: Horum filias in uxores acceperunt, dederunt filias suas eorum juvenibus, serviebantque eorum Diis.

13. Post terram sorte divisam dedit illis Deus Judices circiter annos 450 usque ad *Samuelem* Prophetam, inquit *Paulus* Apostolus. At huic assertioni adversari videtur alius locus 1° Libro Regum qui Templum à *Solomone* fundatum vult annis tantùm post *Exodum* 480. Hic numerus ex triginta priore tantùm major est, cùm 100 annos ultrà continere deberet, sex annis ante χληρυχίαν, *Samuelis* item regimine, cum *Saulis* & *Davidis* regni, atque *Solomonis* annis tribus, recensitis. Hæc loca ità adversis frontibus concurrentia conciliare inter se quidam satagunt: Alii coguntur affirmare σφάλμα uni vel alteri loco inesse.

14. Horum nonnulli *Hebræorum* incorruptam fidem prædicant, eoque firmiorem esse quo magis vetustam. Sunt autem qui *Lucæ* testimonio adstipulantur, *Hebraicumque* textum librariorum erroribus & incuriæ obnoxium contendunt. Si *Judicum* atque *oppressionum* tempora seorsim numerentur sine ulla confusione, ita ut non coincidant, hæc quidam ratio primas obtinere debet. Verùm hunc nodum solvere hic labor, hoc opus; hic hæret aqua, hæc summa difficultas atque pæne dixerim unica, quæ, si tolli posset; annorum series satis sibi & nobis constare videretur. Si verò *Lucæ* locus, prout nunc se habet, admittatur,

op-

oppreſſionumque & Judicum tempora non confundantur, noverint Tyrones annos centum Æræ Mundi ordinariæ acceſſuros.

15. Per quot annos Remp. adminiſtraverit *Samuel* Scriptura Sacra non diſertè explicat; illius autem regimen per annos 20 duraſſe videtur, à morte ſcil. *Eli* ſacerdotis uſque ad *Sauli* electionem. Cùm enim filii ejus repetundarum rei peſſimè negotia publica tractarent, & *Philiſtæi*, cum *Ammonitis*, bello populum premerent, *Iſraelitæ* rebus præſentibus acquieſcere nolentes Regem à Deo obtinuerunt *Saulum* iſtum *Kiſi* filium, è tribu *Benjaminitica*.

16. Cùm *Saulus* ob morum pravitatem Deo minus eſſet gratus, in Regem ungitur *David Jeſſæi Ephrathitæ* filius ex tribu *Judæ*, qui per annos aliquot à *Saule* ad necem quæſitus, hoc mortuo evaſit. *Saulus* enim in prælio contra *Philiſtæos* occubuit unà cum tribus filiis. Cùm per ſpatium quadraginta annorum à Deo *Iſraelitis* datus dicatur, ita intelligendus videtur locus, ut etiam *Samuelis* regimen in illis contineatur.

17. *Saulo* defuncto *David* regnavit ſuper tribum *Judæ* cui acceſſerunt reliquæ poſt ſeptennium, poſtquàm *Iſhboſheth Sauli* filius ex ſuorum inſidiis periiſſet. *Hieroſolymas Jebuſæis* abſtulit ibique ſedem regni poſuit. *Philiſtæos* prælis multis fudit, undique res ſuas promovens, donec, *Bathſhebæ* ſtupro illato, atque ſublato *Uria* ejus marito ad ſcelus illud occultandum, pœnas daret ingratitudinis.

Salomone tandem filio in societatem regni ascito mortuus est post 6 menses cùm annos regnasset 40 fortissimus *bellator* idemque *Propheta* & suavissimus *Psaltes*. *A. M.* 2985.

18. *Solomon* variorum cæde regnum confirmavit. Anno regni sui quarto, *Zisi* mensis secundi die secundo, templi *Hierosolymitani* fundamenta posuit, quorum exædificatio post septennium absoluta est. Eodem tempore classem *Esiongabri* ad Mare *Rubrum* fabricari curavit, quæ ex *Ophira* talenta auri 420 quotannis attulit. Præter templum alia quoque ædificia magnificentissima extruxit. Quamvis sapientiæ plus illi quam ulli mortalium Deus, prout quod optarat, tribuisset, atque aliis donis suprà quam petiisset, eum cumulasset, eo tamen ingratitudinis devenit, ut primùm in petulantiam, deinde in idololatriam horrendam inciderit, quibus Deus offensus regnum ejus dispertiendum esse denunciavit. Quùm autem ad saniorem mentem rediisset, diem suum demum obiit (testata in libro Ecclesiastis resipiscentia) postquam annos regnasset 40. *A. M.* 3025.

SECT.

SECT. 3.

Regnum Judæ, à morte Solomonis usque ad excidium hujus Regni.

1. SOlomoni succeſſit filius *Rehoboam* ex *Naama Ammonitide* genitus, cui cùm ſupplicaret populus ut gravia onera ſibi à patre impoſita diminueret, juvenum conſilio uſus duro reſponſo decem tribus à ſe alienavit quæ accerſitum ex *Ægypto Jeroboamum Ephraimitam Nebati* filium Regem ſibi præfecerunt, eoque duce & domo *Davidis* & à vero Dei cultu pariter defecerunt. In cujus caſus triſtis memoriam die 23° Menſis *Sivan* anniverſarium jejunium inſtiturum eſt.

2. *Rehoboami* tamen in fide manſerunt tribus *Judæ* & *Benjaminis* atque *Levitarum* pars Maxima, quæ ſedibus avitis relictis novas in *Juda* & *Hieroſolymis* ſibi delegerunt; propterea quòd *Jeroboamus* ex officio ſacerdotali eos rejeciſſet. Tribui quoque *Judæ* altera *Simeonis* accenſenda eſt, cujus poſſeſſio intra illius hæreditatem continebatur. *Danitarum* quoque pars intra fines eoſdem ſedes obtinuit, cùm *Judæi* proprie dicti ſortem tantam obtinuerint, non quam ſolam poſſiderent ſed tuerentur.

3. Decem tamen tribus rebellaſſe dicuntur, tùm quod *Dan* Metropolis in *Jeroboami* ditio-

one eſſet, tum etiam quod *Manaſſis* tribus in locos diverſos partitus pro duabus recenſeri potuit, vel etiam ex *Joſepho* tribus duæ (*Ephraimis* ſcil. & *Manaſſis*) præter propriam proceſſerint. Regno ſic diviſo *Boreales* partes deſciverunt, *Auſtrales* autem ſubjectæ ſunt *Solomonis* ſtirpi. Hujus ſucceſſores Reges *Judæ* deinceps audiverunt, ut illi *Jeroboami* Reges *Iſraelis*. Notandum verò rem non ubique ſic ſe habere, *Joſaphat* enim atque *Achaz* Reges *Iſraelis* vocantur quanquam *Judæ* & tribubus conſociatis imperaſſe eos tantùm abundè conſtet.

4. *Rehoboam* bellum contra Rebelles facere ſtudens à Deo deſiſtere jubetur. Ipſe etiam, cùm ſubditis, contra Dominum rebellavit, qui irritatus *Shiſhahum Ægypti* Regem cum copiis innumerabilibus in Regnum ejus immiſit. Hic præſidiis multis captis uſque ad *Hieroſolymas* penetravit, ibi Templum Dei Regiamque expilavit, adeò ut clypeis aureis ablatis, quos *Solomon* fieri curaverat, æneis ſubſtituerentur. Regnavit annos 17.

5. Alter ab illo fuit filius *Abijah* cujus mater uno loco *Maaca* filia *Abſalomi* dicitur, alibi autem *Micaiah Urielis* de *Gibeah*. Quidam exiſtimant eam *Tamaræ* filiam fuiſſe quam *Uriel* duxerat, atque adoptivam *Abſolomi* qui nullam prolem ſuperſtitem videtur reliquiſſe. *Abijah* mores patris ſequutus caſtigatus etiam fuit ut Deum patrem ſuum atque Dominum agnoſceret. Bellum continuum geſſit cum *Jeroboamo* qui 800000 hominum

in

in aciem producens tanta clade affectus est ab exercitu *Judaico* ex dimidio minore ut 500000 ex suis desideraret, numerum scil. majorem quam in ullo unquam prælio cecidisse legimus. *Abijah* res suas valde promovit, uxores duxit 14. filios genuit 22. cum filiabus 15. regnavit verò tantùm per triennium.

6. Huic successit filius *Asa*, anno *Jeroboami* vicesimo desinente, vir pius qui restituto Dei cultu *Æthiopes* 1000000 regnum suum invadentes devicit. *Baasa* Rex *Israelis* invidia motus atque subditorum defectione continua irritatus, anno ex divisione 36°, *Raamam*, ne quis exiret, ædificavit. Hunc ut aggrederetur *Benhadad Syriæ* Rex *Asa* muneribus obtinuit, adeò ut ex impressione ista revocatus *Baasa Raamam* deseruerit quam *Asa* statim demolitus est. Quum autem humanis viribus innixus ad Deum hac in re non se recepisset, objurgatur bellumque ei continuum denunciatur, quo nuntio exacerbatus contra Prophetam excandùit quosdamque subditorum oppressit. *Podagra* ætate extrema laboravit ex qua interiit cum à *Medicis*, non à Deo, opem petiisset, anno regni 41.

7. *Asa* bono patri melior successit filius *Jehosaphat* qui, excelsis locis & lucis remotis, anno regni sui tertio *Levitas* cum principibus ad populum instituendum per civitates misit. Hoc in eo culpandum, quòd societatem iniverit cum Regibus *Israelis* idololatricis. Hinc cum magno vitæ discrimine elapsus est ex

op-

oppugnatione *Ramoth-Gileadis*, & naves, quas paraverat ut *Ophiram* proficiscerentur auri causa, confractæ sunt. Annos regnavit 25 vel potius 24 cum aliquot mensibus.

8. *Jehosaphato* successit *Joramus* optimo patri filius pessimus, qui in regno confirmatus fratres omnes & ex principibus aliquot interfecit. Illo regnante *Edomæi*, qui à tempore *Davidis Judæ* suberant, defecerunt, quod *Isaac* Patriarcha prædixerat. Defecit quoque *Libnah* sacerdotum civitas; *Philistæos* quoque & *Arabes* in eum Deus excitavit qui impressione facta, facultates omnes ejus necnon uxores atque etiam filios abduxerunt, minimo natu filio superstite *Jehoahazo*. Tandem morbo affectus est incurabili intestinorum, quibus post biennium exeuntibus, idololatriæ atque aliorum scelerum miser pœnas dedit, postquam triennium cum patre regnasset atque solus annos 5.

9. *Jehoahaz* (qui & *Achazia* & *Azaria*) ejus in regno successor *Ahabi* avi sui materni vestigia premens idololatriæ etiam patronus fuit; atque cùm avunculum suum *Joramum Israelis* Regem viseret unà cum illo à *Jehu* interfectus est, vix unico anno finito. *Athalia Ahabi* filia, filii cæde cognita, regnum occupavit, quod ut confirmaret, totam progeniem Regiam è medio sustulit præter *Joasthum* infantem nepotem suum quem *Jehosheba Jorami* Regis filia & *Jehoiadæ* sacerdotis primarii uxor in domo Dei absconderat. Hunc septennem post annos sex *Jehoiada* in medium

medium produxit, atque *Athalia* occisa, unà cum *Baalis* sacerdotibus, in Regem unxit.

10. *Joash*, quamdiu *Jehoiada* vixit, pietatem justitiamque coluit, templumque Dei, collecta viritim pecunia, resarciri curavit, quod per 155 annos nunc steterat. Illo autem mortuo cùm annos vixisset 130 (*Judæis* observantibus hunc templi Restauratorem eodem anno natum quo Ædificator mortem obiit) in idololatriam atque crudelitatem prorupit, atque eò ingratitudinis ut *Zecchariam* filium *Jehoiadæ* & successorem idolorum cultum reprehendentem in atrio templi lapidibus obrui jusserit. Vertente autem anno à *Syris* invadentibus graviter multatus est, atque postquàm illi discessissent morbis gravissimis laborans, à suis *Zachariæ* cladem ulciscentibus occisus anno regni 40. *A. M.* 3160.

11. Hunc Secutus est filius *Amasias* qui regni paterni particeps fuisse videtur per triennium, regnum auspicasse dictus secundo *Joasi* Regis *Israelis*. Regicidas morte mulctavit, liberis verò eorum pepercit juxta quod *Moses* præceperat. Cùm principio res prosperè procederent, tandem idololatra factus, posthabitis divinis monitis, præceps in discrimina & tandem in exitium ruebat. Captivus enim factus à *Joaso* quem provocaverat gravique mulcta affectus post annos 15. facta in eum conjuratione, *Lacishum* fugit ubi interfectus est ab insequentibus, postquam annos regnasset 29.

12. Filius

12. Filius ejus & succeſſor *Uzzias* ſive *Azarias* regnare cæpit anno 17° *Jeroboami* Regis *Iſraelis* ex quo intelligitur interregnum 12 annorum contigiſſe, poſt patris mortem eò uſque donec 16 annos natus in Regem à populo acceptus fuerit. Sub eo res *Judæ* Magnopere floruerunt. Circa annum ejus 35um celebrata eſt prima *Olympias* in *Peloponneſo*, ex qua temporum ſeries nobis magis innoteſcit. Cùm officium autem ſacerdotale ſacrificando invaſiſſet, lepra percuſſus ab hominum conſortio ſeparatim agebat, *Jothamo* filio res Regni adminiſtrante. Regnavit annos 52.

13. *Jotham* poſt patris exceſſum pietatis cultor nihil niſi proſperum expertus eſt. Cùm annos regnaſſet 16 locum ceſſit *Ahazo* filio quem per 7 vel 8 annos imperii conſortem habuerat. Hic idolorum cultui deditiſſimus multa nefaria commiſit, quibus Deus ſummè offenſus varios inimicos in eum excitavit, ſcil. *Pekachum* Regem *Iſraelis*, *Reſinum Syriæ*, *Edomitas*, & *Philiſtæos*. In Reges conduxit *Tiglath-Pileſerum Aſſyrium*, qui *Syria* in ditionem ſuam redacta *Rezin* cepit atque finem impoſuit *Damaſceno* Regno, quod cum per generationes decem perduraſſet, prout inceperat ita quoque definebat ex eodem nomine Regio.

14. *Syris* ſic domitis, *Tiglath-Pileſer* in *Pekachum* copias vertit atque *Gileaditas* & *Naphthalitas*, ut autea *Damaſcenos*, in *Aſſyriam* deportavit. *Achaz* autem *Aſſyrii* mancipium factus haud meliori conditione fuit, rebus

rebus ſuis timens, at in nequitia confirmatus Tertio ante obitum anno *Hezechiam* filium in regni ſocium aſcivit tandemque mortuus eſt annis 16 in regno exactis.

15. *Ezechias* religionem reſtauravit templo aperto, jugumque ſervitutis excuſſit. Hoc inique ferens *Senacheribus* Rex *Aſſyrius Laciſhum* obſidet, cùmque mercede accepta recepiſſet ſe deceſſurum, fidem fallens *Hieroſolymitanum* populum ad defectionem ſolicitat. Fruſtra hoc facto *Libnam Judæ* urbem munitam contendit, nuncio autem accepto *Sichakum Æthiopem* adventare obſidionem ſolvit: Sed opibus *Judaicis* adhuc inhians epiſtolam blaſphemiæ & minarum plenam ad *Ezekiam* mittit, quod non tulit impunè, nam una nocte militum illius percuſſit angelus Dei 180000, & domum reverſus à ſuis ipſius liberis interfectus eſt.

16. Hoc tempore cùm *Ezechias* valdè ægrotaret, ut 15 anni vitæ ſuæ adderentur precibus obtinuit. Legatis *Babyloniis* de ſalute recuperata gratulatum miſſis theſauros ſuos omnes oſtendit, qua levitate animi & oſtentatione Deus offenſus denunciavit fore ut omnia hæc *Babylonem* deportarentur. Regnavit opibus affluens & honore clarus per annos 29 (quorum tres unà cum patre) & funere celeberrimo (deducente lugente populo) cohoneſtatus eſt.

17. *Manaſſes* filius ejus & ſucceſſor (quem poſt valetudinem recuperatam genuerat) 12 annos natus imperium capeſſivit. Hic omnes

alios

alios imò gentium Reges, quod ad idololatriam atque alia scelera attinet, longè superavit. Sed à *Babyloniis* captus & compedibus vinctus resipuit, & Deus exoratus restituit eum dignitati pristinæ. Domum reversus regnum ab idolis repurgavit anno ante obitum, ut *Judæi* volunt, tricesimo tertio. Regnavit autem annos 55.

18. *Amon* filius ejus & successor (in regno atque idololatria non autem resipiscentia) post biennium ex proditione domesticorum in domo sua occisus est. Regicidas supplicio affecit populus & *Josiam* occisi filium octennem Regem constituit *Olympiadis* 35ᵃ anno 4°. *A. M.* 3368. *Josias* inter optimos principes principatum meruit, refarcitis templi ruinis vetustissimoq; simul & purissimo Dei cultu restituto. Exacto pænè anno 33°, cùm bello contra *Neconem Ægyptium* temerè suscepto, contineri non voluerit quin in prælium descenderet, occisus est maximo cum populi luctu & sui desiderio.

19. Dum *Neco* aliis rebus distineretur, *Jehoahazum* (seu *Shallumum*) filium ejus populus in Regem unxit, qui cùm quod malum visum erat in oculis Domini faceret omninò prout fecerant Majores ejus, Rex trimestris tantùm fuit. *Neco* enim, perfecto quod contra *Babylonium* destinaverat opere, hunc in *Ægyptum* abduxit, fratremque Majorem *Eliakimum*, nomine in *Jehoiakimum* mutato, in patris solium evexit, graveque tributum regno imposuit.

20. Ne-

20. *Necone* autem extincto in ſecunda contra *Babylonium* profectione ad *Carcemiſhum* (ſeu *Cercuſium*) *Nebuchadneſar* primo anno ſuo *Hieroſolymas* venit & *Jehoiakimum* quartum regni annum agentem vectigalem fecit. Poſt quadriennium rebellavit, tertioque rebellionis anno regiminis verò undecimo, *Nebuchadneſar* reverſus captivum eum cepit *Babylonem* deportandum, atqui ante deportationem mortuus eſt & *Aſini* ſepultura ſepultus quod *Jeremias* prædixerat. In hujus locum victor *Jehoiachinum* promovit qui ingenium patris ſecutus ſecundo anno dejicitur, atque Regno præficitur *Mattanias Joſiæ* filius, qui propterea quòd victoris in verba juraſſet, *Zedekiæ* nomen accepit.

21. *Sedekias* fratris & nepotum veſtigiis inſiſtens populum etiam habuit in impietate aſſeclam. *Pharaonis* ſocietate innixus fidem fefellit quam ut vindicaret aſcendit *Babylonius* urbeſque omnes *Judæ* cepit præter *Hieroſolymas Laciſhum* & *Azekam*, quas etiam obſedit. Anno ſequente *Pharao* ut ſuppetias *Sedekiæ* ferret extra *Ægyptum* profectus eſt, audito autem *Nebuchadneſarem* adventare retrò pedem vertit. *Babylonius* itaque reverſus obſidionem redintegravit, atque cum fame valde premeretur, tandem anno *Sedekiæ* 11° deſinente, menſis die primo, occupata eſt civitas.

22. *Sedekias* aufugiens cum bellatoribus, in campeſtribus *Jerichuntis* captus & *Riblam* deductus eſt, ubi occiſis liberis priùs in conſpectu

ſpectu ipſius, occæcatur & numellis chalybeis vinctus *Babylonem* deportatur ibique demum in exilio vitam finivit. Menſis 5^i^ die decimo (*Auguſti* 27.) ipſoque ſabbati die, in quem forſan mandati exequutionem diſtulerat, *Nebuzaradan* ſatellitum præfectus templum Dei & Regiam cum reliquis ædificiis concremavit. Eodem menſe muris circumquaque dejectis, eos qui relicti fuerant in urbe eoſque qui defecerant ad *Babyloniæ* regem & reliquum vulgi unà cum theſauris Regis Principumque & inſtrumentis Domus Dei deportavit *Nebuzaridan* in *Babyloniam*.

23. Hæc rerum cataſtrophe, impietatis & idololatriæ præmium, accidit anno à morte *Joboiakimi* 12°, à morte *Solomonis* & ſchiſmate 390°, quibus annis duobus additis ad quorum finem & *Gedeliæ* mortem captivitas abſoluta eſt, *Jubilæi* octo hoc temporis decurſu continentur; ex *Sauli* initio 490°; unde patet regnum *Judæ* duraſſe per *Jubilæos* decem vel ſeptem annorum hebdomades, tot quot à *Daniele* Reip. *Judaicæ* attribuuntur à reſtauratione illius uſque ad *Meſſiæ* adventum; à templo condito 420, quod ſtetit itaque per *Jubilæos* 8. cum hebdomadibus 4. vel annorum hebdomades 60.

24. Atque ſi modò numerentur ab ingreſſu in *Cananæam* anni 967, (addendo ſcil. centum illos annos de quibus diximus in hiſtoria *Judicum*) hic numerus continet hebdomades 138; ab *Exodo* etiam ſecundùm hanc rationem effluxerunt anni 1007, per quod tempus

Satanas

Satanas veluti vinctus fuit & Populus Dei liber; denique ab orbe condito 3515, qui hebdomades 502 efficiunt sive 71 *Jubilæos* cum 5 annorum hebdomadibus.

25. *Judæorum* reliquiis admodùm contemnendis præfectus est *Gedalias* qui omnia bona ultrò subjectis offerens, ante annum completum ab *Ismaele* quodam è Regio sanguine procreato & ad epulas vocato interficitur. *Judæorum* itaque Rectore destitutorum multi in *Ægyptum* migrarunt repugnante licet *Jeremia* Propheta quem consuluerant & nunc unà proficisci compulerunt, quemque postea idololatriæ eos arguentem certamque ruinam tam illis quam *Ægyptiis* denunciantem lapidibus obruerunt, ut veteres credidere.

26. Anno denique *Nebuchadnesaris* 23°, cùm Rex *Tyrum* obsideret, *Nebuzaradan* reliquias *Judæorum* & *Israelitarum* quæ inventæ sunt deportavit ad capita hominum 745, quæ fuit ultima deportatio. Atque tam *Jeremiæ* quàm *Ezechielis* Prophetiæ nos satis edocent, *Judæos*, qui in *Ægyptum* descenderant, unà cum incolis, captivos à *Nebuchadnesare Babylonem* deportatos vel occisos fuisse, nihil ad saniorem mentem redactos ex tantis impietatis pœnis quas gens eorum dederat.

SECT.

SECT. 4.

A Schismate usque ad Captivitatem Tribuum.

1. TRibus decem, quum contra *Rhehoboamum* rebellassent, sibi in Regem Elegerunt *Jeroboamum Nebati* filium *Ephraimitam*. Hic, magna industria usus in munitionibus administrandis, toti rei domus *Josephi* à *Solomone* præfectus fuerat. Quum autem Deus Regis idololatria vehementer offensus illi decem tribuum regnum promisisset ad necem quæsitus in *Ægyptum* fugit ubi ad *Solomonis* usque mortem latitavit. Post illius funera accersitus Orator Populi primum & demùm Rex decem tribuum factus est.

2. *Jeroboamus*, ne novi subditi deficerent, impia Religionis specie eos ab *Hierosolymis* adeundis avertit, duobus aureis vitulis *Bethele* & *Dane*, qui à stolido populo colerentur, propositis. Cùm ex hoc consilio nec Dei promissis averti potuisset, neque postea ad resipiscentiam ullis minis adduci, anno regni sui 22° mortuus est. Filius ejus & successor *Nadab Gibbethonem Philistæorum* obsidens anno secundo suo à *Baasa Issacarita* occisus periit cum tota *Jeroboami* stirpe.

3. *Nadab* dicitur regnare cæpisse anno secundo *Asæ* & regnasse annos duos, *Baasa* autem regnum auspicatus anno *Asæ* tertio. Quæ ut quadrent invicem, dicendum est *Jeroboamum*

boamum non regnaſſe totos 22 annos ſed partem aliquam tantùm viceſimi ſecundi (ita ut longe maxima pars anni primi *Nadabi* coincidat cum majore parte anni ſecundi *Aſæ*) *Nadabum* etiam non totos duos annos regnaſſe ſed annum unum cum parte aliqua; ſic nempe fiet ut primus *Baaſæ* annus coincidat cum longè maximâ parte anni tertii *Aſæ*.

4. In hac enim Regum *Judæ* & *Iſraelis* hiſtoria hæc veluti ſolennia quædam obſervanda ſunt. 1. Annus inchoatus numeratur pro integro & abſoluto, ſeu completo. 2. Patres adhuc ſuperſtites filios ſuos in regni ſocios aſciverunt. 3. Nonnulli bis inaugurati fuerunt ut *Joramus* & *Hoſea*. 4. Multa fuerunt interregna, ſed mos iſte maxime in Regno *Iſraelis* obtinuit.

5. *Baaſa* regnaſſe dicitur annos 24 ſcil. non totos ſed partem duntaxat exiguam viceſimi quarti. Defuncto *Ela* filius ſucceſſit anno *Aſæ* 26° & poſtquàm biennium regnaſſet cum tota familia *Zimri* inſidiis ſublatus eſt. *Zimri* poſt dies ſeptem ab *Omri*, quem exercitus *Gibbethonem* obſidens Regem ſibi conſtituerat, opprimitur, ſed Schiſmate inter Populum orto, pars *Thibnin Ginathi* filium ſibi præfecit; perque triennium ſchiſma iſtud duravit donec *Thibnis* moreretur.

6. *Omri* regnare cæpiſſe dicitur anno *Aſæ* 31. quod ita omnino intelligendum eſt ut cæperit regnare ſolus, nam *Zimrim* interfecerat ſub finem anni 27 vel initio 28 illius Regis. Poſtquam *Tirzæ* annos ſex regnaſſet Sedem

Imperii

Imperii *Samariam* transtulit à se ædificatam in monte à *Semero* quodam empto. Annos regnavit 12, qui si à morte *Zimri* numerentur, totumque regiminis spacium complectantur, tunc *Ahab* filius & successor unà cum illo regnavit per biennium, anno ejus undecimo in 38 *Asæ* incidente; sin autem regnum à morte *Thibni* arcessendum sit, tunc *Ahabum* regnasse oportet unà cum patre per quinquennium.

7. *Ahab* impietate majores omnes longe superans uxorem duxit *Jezebalam Ethbaalis Sidonii* Regis filiam cujus idolum *Baalum* coluit. *Syros Samariam* oppugnantes magna clade affecit, atque secunda impressione facta *Benhadadum* Regem cepit, sed fœdere icto captivum dimisit ob quod pœna capitis illi à Deo denunciatur. Atque tandem cum *Nabothum* vineæ ejus gratia falsis testimoniis oppressum lapidibus obrui curasset, triennium verò à fœdere percusso exactum fuisset & bellum redintegratum, ex vulnere in prælio accepto interiit anno regni sui 22°.

8. Illi successit filius *Ahazia* quem imperii antehæc consortem fecerat. Regnavit annum unum & partem secundi cum dicatur regnum cœpisse anno 17° *Jehosaphati*. Hoc tempore *Moabitæ* ab *Israele* defecerunt cui à *Davidis* tempore subjecti fuerant. Post hunc regnavit *Jorâmus* frater qui *Moabitas* affixit & à *Syris* afflictus est. Cùm adversus *Hazaelem* (qui Domino *Benhadado* occiso regnum occupaverat) bellum gereret, vulnus in prælio

lio accepit & *Jezreelem* rediit ad ſanitatem recuperandam. Inde autem digreſſo eo, ex filiis Prophetarum unus ab *Eliſæo* mittitur ad *Jehu* in Regem ungendum qui exercitus è ductoribus erat. Hic *Jezreelem* progreſſus *Joramum* occidit poſtquam annos regnaſſet duodecim.

9. *Jehu*, tota *Ahabi* ſtirpe è medio ſublata, cultum tamen retinuit idolorum. Quamvis igitur Deus ob *Ahabi* familiam punitam ad quartum uſque gradum poſteris ejus regnum promiſerat, attamen Regnum *Iſraelis* illo ſuperſtite diminutum eſt, *Hazaele* prædicto non *Gileaditas* tantùm ſed & quicquid erat ultra *Jordanem* ſubjugante & adverſus omnes ſæviente ut *Eliſæus* ipſe prædixerat. *Jehu* autem regnum capeſſens quo tempore *Athalia* uſurpare *Judæ* regimen cæperat annos regnavit 28.

10. *Jehoachaz* patri *Jehu* defuncto ſucceſſit anno *Joaſi* 23°. *Jeroboami* vitiis aureis etiam hic adhæſit, cui idololatriæ acceſſit etiam *Lucus Samaritanus*. Hujus diebus omnibus *Hazael Syrus Iſraelitas* oppreſſit, & quamvis Deus liberatorem mitteret, Princeps tamen & populus haud reſipuerunt. Poſt annos 17. mortuo ſucceſſit *filius Joas* qui cum regnare cæperit anno *Joaſi* Regis *Judæ* 37° per triennium unà cum patre imperaſſe videtur. *Syros* ter vicit & civitates recuperavit quas pater amiſerat. *Hieroſolymas* cepit unà cum Rege *Abazia* murique perrupit quadringentos cubitos, atque acceptis templi & Regiæ theſauris

omnibus

omnibus *Samariam* reversus est. Idololatriæ reus annos regnavit 16.

11. Ab illo imperavit filius *Feroboamus* per quem Deus *Israelem* servavit imo evexit ad summum ditionis apicem, recuperata illi *Damasco* & *Hamatha* (quæ jure ad tribum *Judæ* pertinuerant) & antiquo illius termino ab aditu *Hamathæ* usque ad mare campestrium, secundùm quod locutus fuerat Dominus per *Jonam* filium *Amithai*, qui cùm è *Gatho-Chepheri* fuerit oriundus oppido tribus *Zabulonis* in *Galilæa* gentium, ex *Galilæa* Propheta suscitatus est, contrarium quamvis *Nicodemo* Pharisæi docti (adversus Christum pertinaci animo) oggerebant.

12. Tot etiamsi tantisque beneficiis *Feroboamum* Deus cumulasset, adeò ingratus fuit ut inveteratæ illius *Feroboami* erga vitulos idololatriæ patronus fuerit, *Samaritanis* Regibus omnibus hoc velut arcanum sanctumque quoddam imperii mysterium colentibus, imprudentissimis certè hominibus quibus ex tam multis indiciis certissimis abunde constare poterat divina providentia.

13. Annos regnavit 41 post cujus obitum mutare res familiæ hujus cæperunt & tandem regni. Interregnum enim 24 annorum seculum est vel Proregis cujusdam administratio. Siquidem *Zachariæ* filius non nisi anno *Uzziæ* 38° regnare cæperit: *Feroboami* autem ultimus coinciderit cum *Uzziæ* 14°; *Uzziæ* enim regnare cæpisse dicitur *Feroboami* 27° qui regnavit annos 41.

14. Za-

14. *Zachariæ*, majorum ſuorum mores imitatus, ſummæ rei præfuit per ſex menſes tantùm, occiſus à *Shallumo* qui regnum occupavit anno *Vzziæ* 39°. *Shallumus* Regicidii pœnas dedit *Menahemo* poſt menſes duos, qui vitulos *Jeroboami* colens, pro more Regum impio, Dominum irritavit ad *Pulem Aſſyriæ* Regem excitandum, qui regnum invaſit poſtquàm per undecim fere menſes, turbatis rebus, de regni poſſeſſione contendiſſet. Dono autem mille talentorum argenti effecit *Menachemus* ut regnum ſibi confirmaretur, quod poſtquàm per decennium tenuiſſet, mortuus eſt.

15. Mortuo ſucceſſit filius *Pekahiah* anno *Azzariæ* (ſeu *Vzziæ*) quadrageſimo. Hinc colligitur interregnum anni unius contigiſſe (ut minimum) poſt *Menahemi* mortem, niſi illud arriſerit quod nonnullis videtur, *Menahemum* non niſi poſt annum unum vel circiter à *Shallumo* occiſo pacatè regnaſſe. Tunc oportet *Pekahiam* regnum inchoaſſe anno 50° *Vzziæ* incipiente, & menſibus aliquot *Menahemi* decennio additis non opus erit interregno. *Pekahia* autem vir ejuſdem indolis cum majoribus, biennio exacto, à *Peka Remaliæ* filio occiſus interiit.

16. *Peka*, junctis cum *Syris* viribus, *Ahazum Judæ* Regem vehementer affligebat. Interfecit enim ex *Judæis* 120000 omnes robuſtos die uno. *Maſeſeia* quoque Regis filio cum aliis principibus interfecto, captivos ducebant *Iſraelitæ* ex *Juda* & *Hieroſolymis* 200000

mulierum puerorum & puellarum, multa præda onuſti. Sed per *Odedum* Prophetam effectum eſt ut captivi dimitterentur.

17. *Abaz* rebus ſuis timens *Tiglath Pileſeri Aſſyriæ* Regis auxilium imploravit qui *Damaſci* Regno funditùs everſo populum *Gileadis* ſive *Peræa*, ſcil. *Reubenitas Gaditas* & dimidiatam tribum *Manaſſis* abduxit in *Chalachum, Chaborem, Haran* & *Nehar-Goſanem*; deinde, tranſmiſſo *Jordane*, *Galilæam* occupavit, ejuſque incolas cum *Naphthalitis* omnibus (quos cædes à *Benhadado* priùs accepta reliquerat) deportavit in *Aſſyriam*. *Peka* autem poſt annos 20 occiſus eſt ab *Hoſea* filio *Elæ* qui Regnum invaſit.

18. *Hoſea* undeviceſimus atque ultimus *Iſraelis* Rex regnare cæpit anno *Abazi* 12°, qui per annos 7 vel 8 unà cum patre regnavit, & ſolus regnum adminiſtravit anno *Pekæ* 17; adeòque *Hoſea* rectè dicitur regnare cæpiſſe anno 20° ex quo *Jotham* inauguratus eſt. Hoc omninò dicendum, niſi interregnum 8 vel 9 probemus per quod *Hoſea*, rebus turbatis, imperio pacatè potiri haud potuit. Atqui, hac ratione inita, totidem anni durationi hujus regni addendi ſunt.

19. *Hoſea* idololatriæ prout Majores, non autem animo adeo contumaci, deditus fuit. Communicato cum *Suo* Rege *Ægypti* conſilio annuum tributum *Salmanaſeri* mittere deſiit; qua propter *Aſſyrius*, comperta ejus conjuratione; *Moabitarum* agrum (ne quid inimicum à tergo relinqueret) occupavit, deinde

inde in totam regionem *Iſraeliticum* impreſſione facta, anno 4° *Hezekiæ* atque *Hoſeæ* 9° *Samariam* obſidet.

20. Sub finem anni tertii urbem cepit *Iſraelitaſque* deportavit in *Chalachum*, *Chaborem*, *Nehargoſinem* & in civitates *Mediæ*, eò quòd contra Dominum Deumque ſuum rebellaſſent. In eorum autem ſedes novos incolas induxit qui ad fluvium *Chuthum* habitaverant, & poſtea *Samaritani* ſunt appellati. Hic finis Regni *Iſraelis* fuit, anno à ſchiſmate 255°, ante *Hieroſolymas* exciſas & *Judæ* deportationem 134°, *A. M.* 3280.

CAP. IV.

Regnum Ægypti vetuſtiſſimum Imperio Babylonico Contemporaneum.

1. ÆGyptus unà cum *Africa* tota, terra diviſa, *Chami* poſteris obtigit, atque ibi ipſe videtur habitaſſe. Ex eo fit ut *David* ſæpius terram *Chami* eam vocet, *Plutarchus Chemiam* appellatam legerit, & *Stephanus Hermochymiam*. Incolæ item ipſi eam *Chamum* appellarunt, Nomoſque ſuos, ſive terræ diviſiones, *Chemmim*, *Pſochemmim*, & *Pſittachemmim*.

2. Vicini etiam *Africæ* loci hinc appellationes ſortiti ſunt. Invenitur enim *Ammonis* urbs ad fluvium *Cinyphum*, *Ammonis* delubrum in inſula *Meroe*; in *Marmarica* urbs *Ammonis*, vulgo *Paræonium* dicta, atque in Regione *Ammonia* Oraculum *Jovis Ammonis* vel *Hammonis* celebratum. Nec *Arabia* quidem finitima teſtimoniis ſuis caret. Ibi enim vox *Ammon* (aſpiratione, ut alibi, dempta) ubique agnita eſt, ut, ex *Ammone* fluvio, *Ammonio* promontorio & *Ammoniis* populo, ſatis vel incredulis conſtare poſſit.

3. *Chamo* defuncto *Miſraim* filius, ejus, ordine ſecundus, principatum obtinuit, ſeu ille cui nomen hoc attribuit *Moſes* ut eorum principi qui *Terram Miſraim incoluerunt*; cùm enim dualis numeri ſit, vix nomen hominis proprium exiſtimari poſſit. Regio hæc in Scriptura ſæpe *Maſor* audit quæ vox videtur ſingularis eſſe *Miſraiim* ex *Meſoraiim* contractæ & locum munitum ſignificantis vel anguſtum qualis ex ipſa natura præ aliis *Ægyptus*.

4. *Arabes* ad hodiernum uſque diem *Alcairo* Metropolim *Meſre* vocant; & *Ægyptiis* olim menſis primus *Meſori* erat. Dualis autem numerus innuere videtur *Ægypti* in *Superiorem* & *Inferiorem* diviſionem, quarum prior *Nilo* fluvio irrigata, unico in alveo decurrente, in *Thebaidem* & *Heptanomum* dividebatur, poſterior vero à Græcis *Delta* vocata eſt ex figura triangulari, fluvio hîc in alveos multos derivato.

5. *Miſraim*

5. *Miſraim* idem ac *Oſiris* exiſtimatur fuiſſe, *Saturni* filius atque etiam *Jovis Hammonis*. Cùm enim *Oſiris* à *Græcis Dionyſus* vocetur, hanc appellationem obtinuiſſe hunc hominem *Diodorus Siculus* affirmat ex *Patre* & *Patria*, priore *Jovem* ſignificante & poſteriore *Nyſam Arabiæ Fœlicis* urbem à *Chamo* conditam ubi natus *Miſraim* videtur. Ab *Oſiridis* Regno ad *Alexandri Magni* deſcenſum numerarunt *Ægyptii* Sacerdotes annos 10000 atque nonnulli 23000.

6. Cùm autem agnoſcant omnes varias annorum formas olim in uſu fuiſſe ex vario Planetarum per Zodiacum motu, hinc conjiciendum eſt hos annos fuiſſe tantùm *Lunares* vel ſingulos ex unico menſe conſtantes. *Jacobus Cappellus* itaque 1889. annos numerandos cenſet ab *Oſiride* iſto ad *Alexandri* deſcenſum, quorum principium deſumendum eſt ab *A. M.* 1778. cùm à Diluvio 132 effluxiſſent, eodem tempore quo *Nimrodus*, ejuſdem ex fratre *Nepos*, Imperium *Babylonicum* inchoaverit.

7. De *Oſiride* & *Iſide* ſorore in uxorem ducta multa narrantur, quæ de *Baccho* & *Cerere* fabulantur *Græci*. *Thebas* cum centum portis condidit, quas Reges primi primam Regni ſedem habuerunt. Occiſus fuit tandem à *Typhone* fratre impio qui regno occupato ab *Iſide* & *Oro* imperio ſimul & vita exutus eſt. *Iſis* autem mariti membra colligens (*diſcerpſerat* enim eum *Typhon*) divinos honores illi inſtituit. Sanxit etenim ut tribus ſingula ſacer-

dotum certum aliquod animal consecratum pro illo coleret. Varia quamvis animalium genera pro locis diversis consecrata fuerint, consensu tamen universo *Apis* bos pluris habitus est & præcipuè cultus ob usum quem præbet animal istud in hominis victum.

8. Erat autem *Apis* niger toto corpore, maculam albam quadratam habebat (in fronte *Herodoto*, in latere dextro *Plinio*) similem cornibus lunæ crescere incipientibus (nam & lunæ sacer fuit sicut *Marcellinus* ait) in tergo effigiem aquilæ, in lingua nodum canthari forma, duplices in cauda pilos. Quo mortuo ingenti cum luctu alius quærebatur: Nec finis erat luctûs, priusquàm quem *Apidem* facerent illis insignem notis invenirent.

9. Hunc adorabant *Ægyptii* ut Maximum Deum, & sicut *Macrobius* ait, cultu attonitæ venerationis; nec licebat ei certos excedere annos; cùm eò perveniſſet à sacerdotibus mersus in fovea enecabatur. Quidam autem hunc bovem in honorem *Apidis Argivorum* Regis, qui in *Ægyptum* descenderat, adoratum volunt: Rex enim ille pro Deo habitus est & *Serapis* dictus. Cùm autem varii fuerint in locis variis hujus nominis Reges, unà à scriptoribus confunduntur.

10. Atque vi temporum sacerdotumque figmentis (simulabant enim quod in honorem, dissimulabant verò quicquid in vituperium patriæ cederet) effectum est, ut vix aliquid certi de hisce temporibus priscis constare possit. *Dynastiæ* multæ *Abrahami* tempora præ-

præceſſiſſe dicuntur cum cujus ortu ad annum *Nini* 43 collocato initium decimæ ſextæ conjungitur. Multum laboris in eo quidam ponunt, multùmque ſudatur ut ſibi conſtarent hæ *Dynaſtiæ*. Sin admittantur, anni 200 tantùm prioribus 15 tribuendi ſunt ob temporis anguſtiam.

11. Nonnulli eas exiſtimant non *Regum* ſucceſſiones ſed potiùs *Proregum* quorundum ordinum ſeu claſſium diverſorum, qui, dum Reges otioſiùs agerent, Remp. adminiſtrarent. *Euſebius Dynaſtias* iſtas, ut temporibus ordinandis inſervirent, adeò variè tranſmutavit, ut *Jacobus Cappellus* absre putet Regum Catalogum Chronico ſuo inſerere, Cùm *Manetho*, per quem *Scaliger* errores *Euſebii* corrigere vellet, minime omnium fide dignus ſit. Propterea autem quod incerta temporum certò ſcire Tyronibus haud incongruum fuerit, imò perquàm utile, ea, quæ ex multis majorem fidem mereri poſſunt, paucis ſunt explicanda.

12. *Typhone* ſublato, *Iſis* regnaſſe dicitur unà cùm *Oro*, ſive *Horo*, filio, poſtremo Deorum habito. Annum ille inſtituit tribus ex menſibus conſtantem, atque inde annus ΘΡΟΣ appellatus. Primus poſt Deos regnavit *Menas*, ſive *Menis* quàm vocem quidam dignitatem ſolam denotare exiſtimantes, *Oſirim*, alii *Triſmegiſtum*, nonnulli *Seſoſtrim* intelligi volunt. Sed alii contendunt nomen hominis proprium ſignificari. Quis autem illi ſucceſſerit obſcurum eſt, cùm ſacerdotes finxerint

Principes 52 eum per annos 1400 ſecutos.

13. In iſto itaque itinere prorſus incerto, ad ductum Dynaſtiarum, cæcum quamvis, recurrendum eſt, quarum 17 omiſſis, quibus anni fermè 400 attribuuntur, decima octava initium ſumit ſecundùm rationem noſtram ex anno nono rationes *Euſebii* præcedente, anno nempe *Jacobi* Patriarchæ centeſimo ſeptimo. Primuſque hujus ordinis fuit *Amos* ſive *Amoſis*.

14. *Amoſis* regno tribuuntur anni 25, atque hoc modo ille habendus eſt qui *Joſephum* in ſummam dignitatem evectum *Ægypto* præfecit. Ab illo numeravit *Euſebius* Reges 11 ad *Cenchrem* uſque, qui cùm *Iſraelitas* peſſimis & indigniſſimis modis tractaſſet, fugientesque perſequeretur, Mari *Rubro* abſorptus eſt. *Judæos* ex ſe profectos agnoverunt ſemper & gloriati ſunt *Ægyptii*, ſed ad dedecus evitandum propriamque celandam cladem putidiſſima mendacia vulgo hominum obtruſerunt, famulantibus inter alios Hiſtoricos Spurciſſimos *Manethone*, *Chæremone*, *Lyſimacho*, & *Apione* Grammatico, quorum fabulis abunde à *Joſepho* reſpondetur.

15. Quidam vir doctus *Manethonis* Catalogum alteri *Euſebii* præferens *Cenchri* nomen *Rameſſis Miamun* fuiſſe vult, qui *Iſraelitas* adeo dura ſervitate premere cæpit. Imperii illius per annos 60 & menſes duos longa duratio aliquid hujuſmodi innuere videtur, atque ex nomine ipſo probabile ad modùm fit

Ra-

Rameſſem urbem, cui condendæ populus *Iſraeliticus* materiam parabat, fuiſſe vocatam. Filius ejus & ſucceſſor *Amenophis* crudelitatis pœnas luit poſt annos 19 & menſes 6 fluctibus obrutus. Poſt *Amenophim Sethoſis* à *Manethone* ponitur, qui *Armai* fratre Prorege conſtituto copiis tam navalibus quam terreſtribus magnis orbem longe lateque ſubjugavit: cùm autem audiret regnum à fratre occupatum eſſe, domum ſe recepit, ſubditique ad priſtinam fidem redierunt.

16. Addit inſuper *Manetho Sethoſim* iſtum *Ægyptum*, (ex quo regio ipſa denominationem ſumpſit) *Armain* verò *Danaum* fuiſſe cognominatum. Quæ ſi ita ſint, *Amenophis* à mari Rubro abſorptus *Belus* ille habendus eſt, quem *Græci Ægypti Danaique* patrem fuiſſe tradiderunt. *Belus* autem hic cum *Nini* patre non confundendus (quod facere ſolent *Mythologi*) ante *Trojam* captam annum circiter ter centeſimum viceſimum ſecundum vixiſſe dicitur, quæ ratio optime *Amenophis* temporibus videtur accommodari poſſe. Huc accedit quod *Rameſſis Miamun* nomen cum *Neptuno* ſatis quadret, cùm *Mia* ex *Moy* derivari abſque ulla fingendi ſcientia queat, quæ vox (ſi modo fides *Joſepho* ſit habenda) *Ægyptiacè* aquam ſignificabat.

17. *Neptunus* porro *Buſiridem* genuiſſe fertur, qui hoc tempore circa *Nilum* habitans contra advenas inhumaniſſimè ſæviit, adeoque fabula hæc ex *Amenophis* in *Iſraelitas* crudelitate deſumpta videtur. Deinque cum

Gellius affirmaverit crudeles & immanes à Poetis *Neptunos* appellari ſolitos ut è mari ſpumante & turbido genitos, hinc anſa conjiciendi arripitur nominis hujus non niſi eandem rationem extitiſſe.

18. Nunc autem ut hanc hiſtoriam cum altera *Græcorum* comparemus. *Neptunus*, aiunt, ex *Libya Epaphi* filia *Belum* genuit & *Agenorem*. *Agenor* in *Phæniciam* deceſſit ibique regnavit. *Belus Ægyptum* obtinens ex *Anchinoe Nili* filia *Ægyptum* ſuſtulit & *Danaum*. Hunc miſit in *Africam* vel *Libyam* ita à matre ſua appellatam, ille vero cùm *Melampodum* (ſeu pedum nigrorum) patriam ſubegiſſet, *Ægyptum* à ſeipſo nominavit, quæ antea *Aeria* atque etiam *Potamitis* vocabatur. *Seſothis* autem iſte *Manethonis* apud *Joſephum* idem videtur ac *Diodori Seſooſis* & *Herodoti Seſoſtris*, cùm conſimilia de potentia, belli apparatibus, victoriis, ſucceſſibus, & hominis magnificentia narrentur.

19. Poſt *Seſoſtrim* filius ejuſdem nominis multique alii regnarunt ad *Amoſim* uſque, qui tyrannide viam ſtravit *Æthiopibus*, quorum Rex *Actiſanes* potentia ſua moderatè uſus capitali ſupplicio fontes non affecit ſed naribus præciſis in confines *Ægypti* & *Syriæ* abegit ubi urbem extrui curabat *Rhinocoluram* dictam ex incolarum mutilatione. Locus de induſtria talis electus eſt, qui ex ſoli ſterilitate aeriſque intemperantia ad victum anxiè quærendum eos adigeret, quem compararunt ex maris vicini piſcatura.

20. *Æ-*

20. *Ægyptii*, recuperato Imperio, Regem creaverunt ex propria gente *Mendem* qui operam totam in ſepulchro extruendo poſuit, quod quamvis inimitabile *Dædalo* tamen exemplar extitit. Poſt longam Anarchiam *Cetes* ignobilis quidam Rex factus eſt Græcis *Proteus* dictus, qui belli *Trojani* tempore Aſtrologus fuit inſignis ventorumque ſcientia peritiſſimus. Cum talis eſſet, Regeſque *Ægyptii* animalia varia, arbores, ignemque capitum ornamentis pictos, geſtare ſolerent, inde *Græci* argumentum ſumpſerunt fingendi eum in formas omnes tranſmutari ſolitum.

21. *Remphis* ejus filius in pecunia quærenda totus verſabatur. Proximus memoria dignus fuit *Nileus*, qui cùm multam operam in hoc contuliſſet ut aquam ex *Ægypto* fluvio in locos circumjacentes derivaret, meruit ut pro *Ægypto Nilus* de ſuo nomine vocaretur. Octavus à *Nileo* fuit *Chemmis* qui pyramidum trium maximam extruxit, inter 7 Orbis miracula recenſeri ſolitam. Refert *Herodotus Cheopem* quendam inſanis his molibus extruendis primum animum ſuum applicuiſſe, filiamque ſuam proſtituiſſe ut pecunia operi ſuppeditaretur: Maximam autem pyramidem non niſi 20 annorum ſpatio abſolutam fuiſſe per operariorum 100000, in quorum victum pro apio cæpis & allio mille & ſexcenta talenta erogata.

22. Poſt annos multos res iterùm ſumma ad *Æthiopias* rediit quorum Rex *Sabacus* ſive

ſive *Sabacon* *Ægypto* potitus neminem ſupplicio capitali affecit, ſed pro ratione delicti quemque damnavit ad aggerendam certam menſuram aggerum intra urbem ubi habitabat; ex quo urbes ſublimiores factæ ſunt, in quem uſum terra primùm egeſta fuerat ab iis qui ſub Rege *Seſoſtre* rivos effoderant. Idem cum *Soo* *Ægyptio* fuiſſe putatur qui cum *Hoſea Iſraelitito* adverſus *Salmanaſarem* conjurationem inivit.

23. Hunc excepit *Sathon Vulcani Sacerdos* qui, militibus nihili habitis, à Deo ſuo opem contra *Aſſyrios* impetraſſe dicitur. At ex ſacra Scriptura ſatis conſtat illos in *Ægyptum* penetrantes magnum incolarum numerum captivum abduxiſſe. Proximum ab illo quidam ponunt *Tiracum* ſive *Tirhakam* qui *Senacheribum* pedem retro referre coegit, impreſſionem in *Europam* fecit, atque ad columnas *Herculis* penetravit.

23. Hunc Anarchia per biennium, & demum 12. virorum adminiſtratio ſecuta eſt, quæ in Monarchiam *Pſammetici* illorum unius abiit. Hic *Azotum* ſive *Aſhdodum* in *Syria* urbem per annos 29 oppugnavit, primuſque Principum *Ægyptiorum* cum *Græcis* commercium habuiſſe fertur, ex cujus principatu omnia quæ deinceps acciderunt nota ſine ulla ambiguitate fuiſſe *Herodotus* affirmat. Filius ejus & ſucceſſor fuit *Necus* qui *Pharao Neco* in ſacra pagina vocatur & foſſam ad mare Rubrum uſque navigia ferentem primus facere aggreſſus eſt, quam *Darius Perſa* poſtea depreſſit

preſſit longitudinis 4 dierum navigationis, latitudinis ut per eam duæ poſſent ſimul agi triremes.

25. In illa tamen defodienda ſub *Neco* 120000 *Ægyptiorum* perierunt, atque in medio opere Rex deſtitit hoc interpellatus oraculo: *Eum id opus barbaro præmunire.* *Ægyptii* autem, prout *Græci*, barbaros omnes vocarunt qui ipſorum lingua haud locuti ſunt. Superſedens autem è foſſa facienda *Necus* ad copias militares ſe convertit, & contra *Aſſyrium* Regem profectus eſt, quo tempore *Joſias Judæ* Rex profectioni ſe opponens in prælio vulnus lethale accepit. *Necus Jehoahazinum* filium defuncti in ſolium evexit, quem, cùm *Nebuchadneſar* à fide avertere ſtuderet, *Ægyptius* iterùm ad *Euphratem* profectus & occiſus eſt.

26. *Herodotus* ſcribit *Necum* cum *Syris* in *Magdalo* congreſſum victoriam reportaſſe, & *Cadyti* magna *Syriæ* urbe (quæ eadem poteſt eſſe ac *Kadeſh* à *Moſe* memorata) fuiſſe potitum. Illo mortuo *Pſammis* vel *Pſammitichus* filius & deinde *Apries* nepos ſucceſſit qui proſpera diu fortuna uſus, cùm ſe ſupra hominem efferens *Cyrenæos* oppugnaret, cladem accepit quam milites illi imputantes & vitio vertentes deſciverunt.

27. Id ubi reſcivit ad eos ſedandos miſit *Amaſim* qui Rex ſtatim ab exercitu ſalutatur. *Apries* brevi poſt cùm mercenariis ſolis adjuvaretur in hoſtium manus devenit & ſtrangulatus interiit, poſtquàm ea fuiſſet opinion-

opinione nullum neque deorum neque hominum ſibi poſſe regnum adimere, adeò ſibi videbatur illud ſtabiliviſſe.

28. Talis quidem *Apriei* fuit exitus, ſi modo fides *Ægyptiis* adhibenda eſſet, qui quicquid in infamiam patriæ cederet celarunt ſeduli. Conſentaneum magis Scripturæ ſacræ refert *Joſephus* quòd *Nebuchadneſar* anno ſuo 23°, & ab *Hieroſolymis* everſis 5° *Ægyptum* ſubjugaverit, Regem è medio ſuſtulerit, aliumque ſubſtituerit in ejus locum. Quidam *Amaſim* putant huic negotio miniſtraſſe & Proregem fuiſſe conſtitutum; alii autem Proregem *Aſſyrium* ſervitutis Miniſtrum ab *Amaſi* cum exulibus reverſis occiſum.

29. *Amaſis* ignobili loco ortus, principio parvi, tandem plurimi habitus eſt, cùm gloriarentur *Ægyptii* ſub eo patriam maximè beatam in iis quæ vel regioni ex flumine, vel hominibus ex regione proveniebant, urbeſque, quæ tunc temporis incolebantur, fuiſſe numero mille & viginti. Legem *Amaſis* tulit qua demonſtrare quiſque tenebatur apud Præſidem unde viveret, quod qui non faceret, aut demonſtrare ſuæ vitæ juſtam rationem non poſſet, morte erat mulctandus: Hanc autem legem ex *Ægypto* ſumptam *Solon Athenienſibus* ſuis promulgavit, qua illi ſemper uſi ſunt.

30. Probabile admodum eſt *Amaſim* Imperii *Aſſyrii* vectigalem rebellaſſe vel Proregem expuliſſe & hoc fuiſſe in cauſa (quicquid ſacerdotes finxerint) quòd *Cambyſes* *Perſa*

Persa bello *Ægyptum* aggressus eam Imperii *Persici* Provinciam fecerit. Hoc quidem *Amasi* superstite penitus effectum non est, cùm in ipso pæne defensionis molimine moreretur. At *Psammenitus* filius inæquali Marte occupatus regno pariter & vita excidit.

31. *Ægypti* Regnum, quantum ad vetustatem pertinet, vix ulli cessit, quamvis *Epochen* ejus veram longè transgrederentur sacerdotes. *Abrahami* ætate admodum floruit cùm nondum *Israelitarum* Populus existeret. *Æthiopes* se vetustiores esse gloriati sunt fabulæ innixi *Ægyptum Nili* donum fuisse, quùm liquidò satis constare possit rem indagantibus per quædam millia annorum nullam talem accessionem ex fluvii limo factam, sed urbes in eadem distantia, quod ad *Nilum* attinet, inveniri.

32. Antiquitas quam *Græci* præ se ferunt mimica & ridicula est, semperque cum nausea excipienda, si huic *Ægyptiorum* comparetur: *Rerum Publicarum Græcarum* splendor hesternus tantùm, *Leges*, *Politiæ*, *Religio* & *Ritus* res quidem novæ &, *Ægyptiis* judicibus, mutuatæ. Haud obscurum quidem est literarum Scientiam, disciplinam civilem, multarumque rerum inventiones maturitatem quandam apud *Ægyptios* consecutas, antequam in *Græcia*, *Italia* aut locis Occidentalibus vel minimùm pullulaverint. Prædicare autem gestiunt hæc ab *Ægypto Græcos* desumpsisse.

33. Totum inprimis Religionis cultum cum nominibus Deorum, quibusdam levioribus additis

additis ad celandam veritatem. *Oſirim* aſſerunt verum fuiſſe *Bacchum*, fabulamque *Semeles* ab *Orpheo* inventam; atque præter *Iſidem Cererem* nullam extitiſſe; *Herculem* vero ſuum non ætate bellum *Trojanum* antecedente natum, ſed cum rerum primordiis, quibus clavæ geſtatio & leonis exuviæ magis congruunt, uti monſtrorum & belluarum cædes quibus terra, inculta adhuc, magis abundavit; per *Apollinem* denique *Orum* intelligi, quem artem vaticinandi & ſanandi mater *Iſis* docuerat.

34. Hic vero Tyronibus obſervanda eſt Ethnicarum vanitatum incertitudo & inconſtantia. Eadem enim his *Iſis*, illis *Ceres*, aliis *Theſmophoris*, aliis *Juno*: Nonnullis vero omnia hæc nomina eandem denotant. *Oſiris* item nunc pro *Serapide*, nunc pro *Dionyſio*, nonnunquam pro *Plutone*, aliquando pro *Ammone* & *Jove*, & non rarò pro *Pane* accipitur, ipſo *Diodoro Siculo* obſervante.

35. Etiamſi pro rato non ſit habendum quòd uſum literarum Mundus illis acceptum referre debeat, apud eos tamen ab ultima antiquitate pæne propagari cæperunt liberaliores diſciplinæ. Præter vulgatem ſcribendi modum *Hieroglyphicis* etiam uſi ſunt, quibus verbum ex litera & ex verbis ſententiæ integræ exprimuntur. Quod ad *Aſtronomiam* attinet, etiamſi *Babylonii* illis hac in re non cedant, aſtrorum tamen ſcientiæ planities ſoli & aeris ſerenitas valde conducere potuerunt.

36. Rārō

36. Rarò enim *Ægypto* pluit cum humoris hujus locum ſuppleat *Nili* annua inundatio. Siquid orbis illis debeat in arte *Geometrica*, debetur hoc fluvio benefico, qui limites notaſque agrorum vi fluctuum obliteraverat adeò ut ad novam ſudinde rationem menſurandi ineundam incolæ quodammodo adigerentur. Quod autem artes ingenuæ & leges optimæ inde in *Græciam* delatæ fuerint hoc modo demonſtrant.

37. Sacerdotes, qui in Archivis ſacris Catalogum ſe inveniſſe gloriari ſunt, aliiſque indiciis rem comprobaturos, *Orphei* meminerunt, qui ex *Ægypto Cereris* myſteria & fabulam inferorum tranſtulit, cùm locos ſingulos & *Charontem* nautam *Acheruſia* palus (ubi mortuos cymba tranſmiſſos ſepelierunt) fingendi occaſionem miniſtraverit. *Muſæum*, *Melampum*, *Dædalum*, & *Homerum* eò peregrè profectos volunt ad petendum ingenii cultum. His annumerant ex legumlatoribus *Lycurgum Spartanum*, *Solonem Athenienſem* & *Platonem*; ex Philoſophis *Pythagoram Samium*, *Democritum Abderitam*, *Oenopium Chium* & *Eudoxum* Mathematicum qui omnes ſapientia ex *Ægypto* deprompta *Græciam* ſterilem ſatis & aſperam irrigarunt.

38. Philoſophiæ autem legumque inventio cum ſapientia *Ægyptiaca* univerſa *Hermi* ſive *Mercurio Triſmegiſto* à quibuſdam attribuitur, de quo tamen vel quod ad tempus vel virum ſpectat nihil certi affirmari poteſt. *Mercurios* quinque fuiſſe apud *Ciceronem* narrat

rat *Cotta*: Primum *Cælo* patre & *Die* matre natum; ſecundum *Valentis* & *Phoronidis* filium qui ſub terris habetur, idem *Triphonius* eſt; Tertium *Jove* tertio & *Maia* natum; Quartum *Nilo* patre quem *Ægyptii* nefas habebant nominare; Quintum quem colunt *Phœneatæ* qui *Argum* dicitur interemiſſe, ob eamque cauſam *Ægypto* præfuiſſe, atque *Ægyptiis* leges & literas tradidiſſe.

39. Hunc *Ægyptii Theut* appellant. Alii autem meritò literarum inventionem Primo *Mercurio* attribuunt qui verus fuit ille *Theut*, *Thoyoth*, *Thot*, vel *Tautus*, cùm nihil à veritate magis abhorreat quam literas à *Græcia* *Ægyptum* fuiſſe tranſlatas. Quidam duos *Mercurios* *Ægyptios* fuiſſe exiſtimant, quorum Minor Majoris *Nepos* habendus; nonnulli præter *Joſephum*, alii præter *Moſem* nullum extitiſſe. Quicunque fuerit, ex libris ejus perditis & adhuc ſuperſtitibus ſatis apparet eum veræ Theologiæ haud ignarum fuiſſe & meruiſſe *Sibyllis* vel Prophetis *Ethnicis* annumerari.

40. Colonias multas deducendi *Ægyptii* ſibi gloriam arripiunt. Primam deduxit in *Babyloniam*, *Belus Libyæ* & *Neptuni* filius, *Danaus* ſecundam in *Græciam*, ubi *Argis* ſedes poſuit urbium *Græcarum* omnium pæne vetuſtiſſima. Ex circumciſione *Colchos* & *Judæos* ſuos demonſtrare ſe putant. *Cadmum* & *Phœnicem Thebas* ſuas incoluiſſe volunt atque nomen urbis in *Græciam* tranſtuliſſe. *Cecrops* Athenienſes primos ex *Sai Nili* oſtio adjacente deduxit.

deduxit. *Peleus Meneſthei* pater atque etiam *Erechtheus* *Ægypto* fuerunt oriundi; & cùm *Erechtheus* magnam frumenti copiam *Athenas* deportaſſet, inde fabulam ortam volunt *Cererem* eodem tempore in *Græciam* veniſſe.

41. Regimen *Ægypti* ab ultimis temporibus (ut ubique) Monarchicum fuit. Principes tamen adeò laudatis inſtitutis vinciri ſe paſſi ſunt, ut æqui bonique cancellos ab iiſdem poſitos tranſgredi non poſſent, ſed ità Remp. adminiſtrarent ut eſſent domi fælices glorioſique foris. Regionem diviſit *Seſoſis* (ſive *Seſoſtris*) in *Nomos* 36 quorum ſinguli urbes certas cum vicis & agris complexi ſunt. Horum 10 ad *Thebaidem* pertinebant, 10 ad *Deltam*; reliqui verò ad regiones interiacentes: Singuli vero ſuos *Nomarchos* habuerunt, qui illis præerant Regiumque tributum colligebant. Ager inter ſacerdotes, Regem & Milites hæreditario jure, Populus in Paſtores Agricolas & Artifices dividebatur.

42. Foro præerant *Judices* 30 probitate & juris ſcientia præſtantiſſimi, ex *Heliopolitana* provincia decem, totidem ex *Memphitica*, totidemque ex *Thebaide*, è quorum numero Præſide electo, alius ex eadem in ejus locum ſuffectus eſt. Cauſidici nulli illis in uſu erant utpote qui veritatem argutiis verborum opprimerent. Leges multæ eæque laudabiles memorantur inter quas celebrior nulla *Amaſis* illâ qua ſinguli tenebantur rationem reddere unde viverent, idque capitis periculo.

43. In-

43. Institutum quoque illud perquam singulare quo qui furtis operam dare vellent nomina apud furum Principem profiterentur & è vestigio furtum ex pacto ad eum referrent. Qui res autem suas amiserant, consimiliter unumquodque omissorum literis consignatum exhiberent, loco die & hora quibus jacturam fecerant adscriptis. Hoc modo cunctis facile repertis, æstimatione rerum facta, quadrantem persoluentes sua recuperabant. Cùm enim fieri non possit ut omnes à furto abstineant, rationem inibat Legislator qua tota res sublata præter exiguum redemptionis pretium servaretur.

44. Primus leges *Ægyptiis* dedisse *Mnevis* dicitur quas populo dixerat se à *Mercurio* accepisse. Secundus Legislator fuit *Saſyches*. Tertius *Sesostris* Magnus ille bellator. Quartus *Boechoris*, cujus apothegmata multa diu superfuere. Quintus *Amasis* qui sapientia egregia res *Ægypti* haud parùm promovebat. Agmen claudit *Darius Hystaspis* filius *Persarum* Rex.

45. Quod ad Mores attinet. *Ægyptiis* quot vellent uxores ducere integrum erat præter sacerdotes. Liberi tam ex ancillis quam uxoribus susceptì eodem loco habebantur. Parcè admodùm educati in quorum victum non nisi drachmæ 20 erogatæ sunt. Unusquisque filios habuit tam artis suæ quam bonorum hæredes. Omnis aliquo saltèm scientiæ genere institutus. Musica illis neglecta quasi homines molles redderet. Mense semel corpora

pora purgabant. Medicus nullus apud eos qui totum corpus curandi artem profiteretur. Quotquot erant ex publico alebantur, certis formulis regulisque adstricti, quas si transgrederentur ægrotique perirent cum vitæ dispendio temeritatis pœnas luebant.

46. Ità res *Ægypti* olim se habuerunt incolis ipsis referentibus. Quibusdam autem hæc Politia vix stabilita videtur, cum qua Regum qui Pyramides extruxerunt, ingenium adeò pugnabat. Hoc inprimis observandum, quòd si hæc rerum proprietas in usu fuerit, abolitam prorsùs fuisse *Josephi* ordinationem qua Rex unicus terræ Dominus agnoscendus erat.

47. Superstitio illa sanè cæca & insana qua Populus erga boves, oves, canes, feles, Ichneumones, Ibides, Accipitres, Aquilas, Hircos, Lupos, Crocodilos, & Olera, cum rebus ejusmodi affectus est, adeò vel primo aspectu horrenda apparet, ut nihil prudentiæ (pœne dixerim ratiocinationis communis) conjunctum cum ea videri possit. Quicquid enim præ se tulerint, nulla rationis imago agnosci potest, imò insanus prorsùs hic mos videbitur, homini vulgari tantùm naturæ lumine donato.

CAP.

CAP. V.

Status Græciæ vetuſtiſſimus atque Imperio Babylonico Contemporaneus unà cum Regnorum Rerumpublicarumque particulari deſcriptione.

SECT. I.

Status Græciæ univerſæ.

1. HUjus Regionis Incolæ, quamprimùm unico vocabulo appellari *Cæperunt*, *Græci* ſunt nominati. Poſtea *Hellenes* audire geſtiebant, utroque nomine ex *Theſſaliæ* populis deſumpto. *Theſſali* enim quidam, cùm *Græci* priùs vel *Vetuſti* vocarentur, tandem ex *Hellene Deucalionis* filio qui illis imperitabat, cognomentum acceperunt. Hoc autem communicatum Populus univerſus adeo mordicùs retinuit, ut alterum penitus neglexerit, quod vicinis gentibus tamen præcipue innotuit, eoque *Callimachus*, *Sophocles* aliique *Poetæ* uti haud dedignati ſunt.

2. *Græci* vetuſtiſſimi erratico quodam ſeu palanti vitæ genere uſi ſunt, latrociniumque exercentes mutuum alii aliis prædæ fuerunt. Nihil ad bellum *Trojanum* uſque præclarè ab illis

illis geſtum. Paulò antè *Minos* mari potitus piratas cohibuerat, ex quo tempore urbes tàm in inſulis quàm continente ædificari, atque augeri res *Græcæ* ceperunt. Adeò tamen tenui adhuc fortuna uſi ſunt, ut *Trojam* profecti agricultura & præda ſe aluerint haud neceſſariis inſtructi ut urbem impetu aggrederentur.

3. Eorum tam diutina abſentia magnis permutationibus occaſionem dedit. Poſtquàm gens ad quietem rediiſſet, colonias emiſit. *Attica*, ſcil. in *Joniam* mariſque *Græci* inſulas, *Peloponneſus* aliæque regiones in *Italiam* & *Siciliam*, Tyrannideſque nunc paſſim erectæ. *Corinthii* primi de rebus navalibus claruerunt, deinde *Jones*, *Polycrates Sami* Tyrannus aliique. Nullum terreſtre bellum memoratu dignum olim inter ſe geſſerunt donec in partes *Chalcidenſium* & *Eretrienſium* diviſi fuerint. Vix per totum hoc temporis ſpatium leges ullæ ſcriptæ ſunt *Homero* teſte qui voce ipſa nuſquam utitur. Atque communes *Græciæ* res ſic ſe habuere.

SECT. 2.

Regnum Sicyonium.

1. AD ſinum *Corinthiacum* & *Achæorum* fines *Ægialeus* Regnum primus inchoavit, *A. M.* 1915. à *Diluvio* 270. *Noæ* 859. ante *Inachum* 232. ante *Olympiades* per *Iphitum*

tum reſtauratas 1313. *Nino* in *Aſſyria* regnante.

2. Ab *Ægialeo* urbs primùm *Ægialea* vocata eſt atque etiam pars peninſulæ quæ à *Pelope* tandem *Peloponeſus* eſt dicta. Poſt annos 52 ſucceſſorem habuit filium *Europem* quem ſecutus eſt *Telchines*, hunc *Apis* ex quo peninſula *Apios* eſt appellata, & hunc *Thelxion*, quo regnante uſque adeò ibi mitia & læta tempora fuerunt, ut mortuum pro Deo colerent ſacrificando & ludos celebrando quos ei primitus inſtitutos referunt.

3. Octo alii deinde recenſentur ad *Coracem* uſque, qui cùm ſine liberis deceſſiſſet, *Epopeus Theſſalus* quidam regnum occupavit. Hic *Antiopem Nyctei Thebanorum* Regis filiam rapuit, ex qua injuria quum bellum oriretur, Rex uterque lethale vulnus accepit. Regnum tunc obtinuit *Lamedon Coracis* frater qui *Antiopem* tradidit *Thebanis*. *Antiope* in itinere geminos peperit *Amphionem* & *Zethum* qui à paſtore inventi & educati ſunt. *Amphion* Muſicus inſignis & *Zethus* Paſtor injuriam matri oblatam poſt ulciſcebantur.

4. *Lamedon* bello implicatus *Sicyonem* filium *Metionis* & *Erechthei* nepotem ex *Attica* accerſit, quem generum ſuum factum ſucceſſorem reliquit. Ab hoc urbs *Sicyon* & Regio *Sicyonia* appellata. Eum octo alii ſequuti ſunt, quumque jam Regnum per annos 962 duraſſet, *Apollinis Carnii* ſacerdotes potentiam obtinuerunt per annos 38, ut quidam referunt. Scribit autem *Pauſanias*, cùm *Laceſtad*

ceſtadæ *Hippolyti* filius *Sicyone* regnaret, *Temenum Phalcis* filium qui *Argivos* rexerat noctu urbem *Doribus* ſuis occupaſſe, quia autem ambo ex *Heraclidis* procreati erant, illum regni participem feciſſe. Hoc modo *Sicyonii Dores* facti *Argivis* accenſeri cœperunt, poſt *Trojam* exciſam anno 871, ante primam *Olympiadem* 120°. *A. M.* 2908.

Sect. 3.

Regnum Argivorum.

1. HUic Regno ſecundas, ſi non primas, ſemper detulit antiquitas. *Sicyonium* forſan Vetuſtius fuit; ſin autem de potentia, opibus rerumque geſtarum gloria quæſtio oriatur, nihili fuerit æſtimandum. Juxta promontorium *Scyllæum Myrtoumque* Mare fuit ſinus *Argolicus*, cui proxima regio *Argolis* in qua *Argos* urbs & *Mycenæ* longo poſt tempore conditæ, fluvii *Inachus* & *Eraſinus*, & pars *Laconiæ*.

2. Hic *Inachus* Primus regnare cœpit anno circiter 244° poſt Regnum *Sicyonium* inchoatum, *Abrahæ* 142°, ante *Trojam* exciſam 676°, ante primam *Olympiadem* 1082°. *A.M.* 2149°. Ex illius vetuſtate Adagium illud *Inacho Antiquior* de quo conſulendus *Eraſmus*. Ei *Meliſſa* ſoror & uxor *Phoroneum* peperit & filiam *Iô* quæ cum *Iô* minore *Faſti* fi ia nequaquam eſt confundenda, quod facere ſolent

Mythologi. *Inachus* poſt 50 annos ſucceſſorem habuit *Phoroneum*.

3. Quidam *Phoroneum* primum mortalium exiſtimarunt & *Inachi* fluvii filium atque adeò generis humani patrem, urbſque ab eo *Phoronici* nomen accepit in quam populum diſperſum congregaverat. Totam peninſulam ditionis ſuæ fecit atque ex nympha *Laodice* filium genuit *Apin* dictum, & *Nioben* filiam quam *Jupiter* omnium mulierum primam amaſſe dicitur atque ex ea *Argum* genuiſſe. *Phoroneus* poſtquam 60 annos regnaſſet diem ſuum obiit.

4. *Apis* filius ejus & ſucceſſor peninſulam ex ſe nominari voluit. *Thelxionis* & *Telchinis* inſidiis circumventus periit poſt annos 34 nulla prole relicta. *Apollodorus* ſcribit eum ob tyrannidem fuiſſe interfectum, alii in *Ægyptum* deſcendiſſe, ibique pro Deo habitum *Serapidemque* appellatum; ſed cùm hujus nominis Reges plures extiterint unà confunduntur à Mythologis. *Argus* itaque *Niobes* ex *Jove* filius *Argivorum* regnum obtinuit. *Jupiter* iſte ad hoc tempus in *Creta* regnavit. Quoniam verò multi *Jovis* nomen conſequuti ſunt, atque propterea ambiguum eſt hoc vocabulum, quædam de eo Tironum in gratiam ſunt dicenda.

5. Primus hoc nomine poſt funera inſignitus fuit *Chamus Noæ* filius pro Deo cultus titulo *Jovis Hammonii*. Nepos ejus *Nimrodus Babyloniæ*, & *Aſſyriæ* Rex primus *Belus* vocatur & *Jupiter Belus*. In *Creta* quidam temporibus

poribus priſcis regnavit hoc nomine notus, à *Curetibus* ſeu *Idæis Dactylis* nutritus, & alius poſt eum circiter annos 150 vixiſſe exiſtimatur eâdem inſulâ, qui cùm primus *Jupiter* eſſet fœminarum amoribus deditus, *Niobe* dicitur omnium mulierum prima à *Jove* amata.

6. *Æolus Deucalionis* filius adeò apud poſteros claruit ut *Jupiter* & *Neptunus* audiret. *Picus Aboriginum* Rex *Jupiter* eſt nonnullis, atque *Æneas Jupiter* Indiges *Romanis* dictus. Natio quæque olim ſuum *Jovem* habuit velut parentem communem. Mos quoque apud veteres invaluit vetuſtiſſimum quemque Regem *Saturnum*, filium ejus primogenitum *Jovem*, nepotumque fortiſſimum *Herculem* appellandi. Obſervandum quoque fœminæ nobilis partum ex illegitimo concubitu vulgò *Jovi*, nonnunquam *Marti* & *Apollini* fuiſſe adſcriptum.

7. Ab *Argo* urbs *Argos* vocata, cives *Argi* & *Argivi*, peninſula item *Argos*. Illo regnante ſuis uti frugibus cœpit *Græcia* & habere ſegetes in agricultura, delatis aliunde ſeminibus. *Argus* itaque poſt obitum Deus haberi cœpit templo & ſacrificiis honoratus. Qui honor eo regnante & ante illum delatus fuerat homini privato & fulminato cuidam *Homogyro*, eò quod primus ad aratra boves junxiſſet. Fratrem habuit *Pelaſgum* (*Lycaonis* patrem) à quo *Pelaſgi* qui *Arcadiam* (inde *Pelaſgiam* dictam) primùm, poſt varias alias regiones, incolnère.

8. *Argus* ex *Euadne Strymonis* filia *Jasum*, *Peiranthum*, *Epidaurum* & *Criasum* genuit quibus *Phorbas* à *Pausania* additur. *Peiranthus* (sive *Pirasus*) primus *Junoni* templum dicavit filiamque suam *Callithyam* (*Callirrhoën* vel *Iô*) sacerdotem constituit, cujus ordinis mulieres adeò claruerunt ut ex earum sacerdotii annis publicas rationes *Argivi* desumpserint. *Pirasus* à *Pausania* solo regnasse dicitur. *Criasus* tamen, ut aliis videtur, *Argo* successit, à quo regnavit *Phorbas*, deinde *Triopas*.

9. Hujus filii fuerunt *Jasus* & *Agenor*, ut scribit *Pausanias*, qui *Jasum Argivorum* Regem habet, quanquam ab *Eusebio* Regum albo non inscribatur. Ex eo genita est *Iô* illa celebratissima quæ ex *Jove* compressa, *Junonis* invidiâ in bovem versa dicitur, atque freto *Thracico* trajecto *Bosphori* cognomentum attribuit. In *Ægyptum* demum progressa & humanæ speciei restituta *Epaphum* peperit *Memphis* conditorem, atque Dea habita *Isis* vocabatur. *Herodotus* scribit hanc fœminam à *Phœnicibus* mercatoribus raptam, atque hanc originem fuisse invidiæ inter *Græcos* & *Asiaticos*, quanquam cum *Inachi* filia eam confundat.

10. Ex *Jaso* urbs *Jasos* appellata est & *Cives Jasii*. Huic successit *Crotopus* ex fratre *Agenore* nepos quem *Triopæ* avo alii successisse dicunt. Filiam *Psamathen* quæ ex *Apolline* pepererat & *Linum* infantem exposuerat, re comperta, interfecit, qua re *Apollo* graviter offensus

offensus peste *Argivos* mulctasse dicitur; hi verò, ut eam placarent, solennem luctum pro puero instituerunt. Hic puer autem non idem ac poeta *Linus* celebris habendus est, ut nonnulli autumarunt. *Crotopum* verò post annos 21 secutus est filius *Sthenelas* qui, cùm annos regnasset 11, *Gelanorem* filium reliquit regni hæredem.

11. *Gelanore* regnante *Danaus* *Ægypti* frater *Argos* veniens litem de regno movebat uti ex *Epapho* oriundus, populusque in ejus partes discessit. *Danao* fuerunt filiæ 50, quas filiis fratris totidem nuptum dare veritus (oraculo monitus ut sibi à genero caveret) se in exilium conjeceratz *Ægyptus* autem timens ne frater ex filiarum conjugio amicos quæreret, filios suos cum exercitu *Argos* misit, hoc in mandatis dato ut vel virgines ducerent vel tollerent patruum.

12. *Danaus* fratri morem gerere visus filiabus suis pugionibus instructis imperavit ut sponsum quæque suum prima nocte jugularet, quod omnes feciisse dicuntur præter *Hypermnestram*, cui nonnulli *Bebrycen* addunt. *Hypermnestra* à patre accusata officii neglecti & in jus vocata ab *Argivis* absoluta est. Reliquæ parricidio pollutæ dedecore perpetuo obrutæ sunt, apud inferos ad vas aqua implendum damnari dictæ quod rimis plenum tantum emiserit receperit quantum.

13. Ex *Danao* cives *Danai* dicti qui priùs erant *Pelasgiotæ*. Ille arcis ædificator habitus post annos 50 *Lynceo* nepoti suo simul & genero

genéro (*Hypermneſtræ* marito) regnum reliquit. *Lynceo* ſucceſſit filius *Abas* qui ex *Ocalea* geminos ſuſtulit *Acriſium* & *Prætum*. Hi, dum in utero adhuc eſſent, contendiſſe de Imperio dicti certamen magnum de regno habuerunt. Poſtquam vi res geſta ſæpiùs fuiſſet, clypeiſque primi, ut fertur, pugnaſſent, de diviſione patrimonii actum & conventum eſt. *Acriſius Argos* obtinuit; *Prætus* verò *Hiræum*, *Midèam*, *Tirynthem* oraſque maritimas. Atque adeo *Argivorum* regnum in partes duas fuit diviſum.

14. *Acriſius* ex *Eurydice Danaen* genuit, quam, quia ex nepote ruinam certam illi Oraculum prædixerat, unà cum nutrice intra turrim concluſit; *Jupiter* autem in aureum imbrem verſus aditum invenit & *Perſeum* genuit. Illa puerum enixa cum filiolo arcæ imponitur & fluctibus committitur, ſed ad inſulam *Seryphum* evaſerunt ubi *Dictys Perſeum* educavit. *Perſeus Græcorum* athletarum primus præclara multa fecit. *Meduſam Gorgonem Phorci* filiam, quæ ad lacum *Tritonem* habitabat, vicit & occidit. *Gorgones* autem tres fuiſſe dicuntur, *Meduſa*, *Steno*, & *Euriale*, *Phorci* filiæ & marini monſtri.

15. *Perſeus Andromedam Cephei* ex *Caſſiopeia* filiam balænæ faucibus ereptam uxorem duxit, tandemque in *Pelaſgia* (ſeu *Theſſalia* à *Pelaſgis* populo erratico & vagabundo appellatâ) diſci à ſe inventi jactu, dum ludos *Teutamiæ Lariſſæorum* Rex in honorem patris defuncti celebraret, fortuitò avum *Acriſium* inter-

interfecit. Ex quorundam sententia *Acrisio*, ceu Authori, potius, quam *Amphictyoni Deucalionis* filio (qui ante annos 180 *Athenis* regnaverat) concilium *Amphictyonum Delphis* haberi solitum attribuendum est.

16. Haud absurdum videtur tamen *Amphictyonem* consessum hunc *Thermopylis* primùm ordinasse, illincque *Acrisium* eum *Delphos* transtulisse. Locus hic umbilicus *Græciæ* atque totius Mundi habebatur; ibi fuit Oraculum *Apollinis Pythii* celebratissimum. Hìc *Græciæ* universæ publicum concilium fuit & maximæ authoritatis ad lites inter civitates dirimendas, bis in anno haberi solitum, vere scil. & autumno, civitatibus singulis certum numerum consiliariorum qui *Pylagoræ* dicti sunt, deligentibus. Per multa sæcula nullâ temporis injuriâ immutatum duravit, donec *Philippus Macedo*, suffragia à *Phocensibus* sublata ad regnum suum transtulerit. Longo pòst tempore *Augustus Cæsar* quædam commutavit. *Antonino Pio* regnante haberi non desiit ex viris triginta constans.

17. *Perseus Argos* reversus ad infamiam parricidii evitandam *Megapenthi Prœti* filio persuasit ut regnum secum commutaret. Hoc facto *Mycenas* condidit sic appellatas quod eo in loco ei ensis fungus (id est capuli ipsum capitulum) excidisset. *Perseus* ex *Andromeda* quinque filios suscepit, *Persem*, *Alcæum*, *Sthenelum*, *Electryonem*, & *Mestorem*. Horum *Perses* (ita creduli *Græci* sibi imponebant) *Persis* originem dedit; *Alcæus* genuit *Amphitryonem*

phytrionem. *Sthenelus* patri *Perseo*, postquam annos 58 regnasset, in regno *Mycenæo* successit. *Alectryon* autem *Alcmenam* genuit *Amphytrionis* uxorem.

18. Hoc tempore *Argivorum* Regnum, cùm per annos steriſſet 544, in tres vel quatuor partes diviſum eſt. *Anaxagoras* enim *Megapenthis* filius tertia regni proprii portione contentus duas reliquas *Melampodi* & *Bianti Amythaonis* filiis tribuit, vel quod *Melampus* (qui artem purgandi inveniſſe dicitur) *Prœti* filias (*Anaxagoræ* amitas) ex inſania liberaſſet vel ſaltem remedium inveniſſet ad furorem illum epidemicum ſedandum qui fœminas hujus regionis invaſerat.

19. A *Biante* regnarunt deinceps viri quinque per ætates quatuor uſque ad *Cyanippum Ægialei* filium omnes à *Nileo* materno genere originem ducentes: A *Melampode* ſex per totidem ætates uſque ad *Amphilochum Amphiarai* filium; at indigenarum gens *Anaxagoræ* nepotes regnum longiore multo tempore retinuerunt.

20. *Iphis* enim *Alectoris* filius *Anaxagoræ* nepos *Sthenelo Capanei* fratris filio regnum reliquit; ac deinde cùm poſt everſum *Ilium Amphilochus* in eum locum migraſſet qui poſtea ab eo *Amphilochi* appellati ſunt, & *Cyanippus* ſine liberis deceſſiſſet, ſolus *Cylarabes Sthenelî* filius regnum obtinuit. Cùm neque is liberos ullos relinqueret, *Oreſtes Agamemnonis* filius paterno regno ejectus *Argivorum* primùm deinde *Spartæ* regnum occupavit, ut poſthac dicetur.

21. *Sthenelus*

21. *Sthenelus* autem *Perſei* filius & ſucceſſor *Euryſtheum* genuit regni hæredem, poſt cujus ortum menſe circiter ſeptimo in lucem editus eſt *Alcæus Hercules* cognominatus *Amphytrionis* & *Alcmenæ* filius. Cum *Iphicles* gemellorum alter poſt *Herculem* natus eſſet, illius *Amphytrion*, hujus vero *Jupiter* ipſe pater habitus eſt.

22. Hinc *Juno* vehementer eum ſemper odiſſe dicitur atque *Ilythia* (*Lucinæ* vel *Lunæ*) auxilio partum per dies 7 impediſſe. Primùm *Alcæus* puer ex avo nominatus eſt, poſtea ob multa præclara facinora edita *Hercules* cognominatus. Cum autem varii hujus nominis extiterint (quod famam per aerem effuſam ſignificat) atque labores multorum *Græci* ſuo attribuiſſe videantur, pauca de hoc argumento ſunt addenda.

23. *Cicero Hercules* ſex fuiſſe ſcribit: Primum antiquiſſimum *Jove* antiquiſſimo & *Lipito* natum qui concertaſſe cum *Apolline* de tripode dicitur: Alterum *Nilo* natum *Ægyptium* quem ferunt literas *Phrygias* contempſiſſe: Tertium *Indigetem Idæis* cui inferias attulerunt: Quartum *Aſteriæ Latonæ* ſororis filium quem *Tyrii* maxime colebant cujus *Carthaginem* filiam ferunt. Quintum in *India* qui *Belus* dicitur: Ultimus fuit *Alcmenæ* filius.

24. *Diodorus Siculus* tres *Hercules* ponit, *Servius* quatuor; varro 44 recenſet. *Tacitus* ſcribit *Libyes* dixiſſe antiquiſſimum *Herculem* apud ſe natum, eoſque qui pari virtute fue-

rint in cognomentum ejus ascitos. Atque hic repetendum quod monet ille qui *Æquivoca* scripsit quæ *Xenophontis* nomine circumferuntur; *Saturnos* vocari solitos familiarum nobilium Reges antiquissimos, primogenitos eorum *Joves*; nepotes fortissimos *Hercules*.

25. Horum omnium ille qui clavam, & leonis exuvias gestavit, monstra sustulit, & Diis contra Gigantes opem tulisse dicitur. *Ægyptius* potius habendus est quam *Græcus* qui unica generatione *Troicum* bellum antecessit. Ille autem qui columnas ad Mundi limites erexit omnino *Tyrius* fuit dux *Phœnicum* illorum qui in Hispaniam *Gades* usque penetrarunt. Illud enim *Græcorum* ambitionem satis arguit, quod in hac insula templum fuit antiquissimum quo *Hercules* non *Græco* sed *Tyrio* ritu colebatur.

26. *Sanchoniathon Phœniciorum* annalium scriptor vetustissimus *Demacuntis* filjum *Herculem* hunc fuisse dixit & proprio nomine *Melcarthum* (quod *Regem urbis* significat) qui *Melicertes* & *Palæmon* apud *Græcos* audivit. *Diodas* etiam apud suos dictus est quia ab amatoribus invocatus. Quidam eundem cum *Libyco* vel *Ægyptio* quem *Pausanias Macerin* appellat, existimarunt, qui *Delphos* profectus est & cujus filius *Sardus* in *Ichnusam* coloniam ducens *Sardiniæ* nomen insulæ imposuit.

27. *Amphitryon* autem *Alcæi* seu *Herculis* pater *Tirynthi* præfuisse videtur. Postquàm autem *Electryonem* patruum suum & socerum

ſocerum interfeciſſet, *Thebas* fugere coactus eſt. *Hercules Thebis* educatus, quum multaque miranda prorſus virtutis ſpecimina edidiſſet, 20 annos natus cum *Argonautis* (ab *Argo* navi ſic dictis) ad aureum vellus obtinendum *Colchos* navigavit.

28. Hujus profectionis author & dux fuit *Jaſon Æſonii* filius ex *Æoli* poſteris quem 53 *Græcorum* nobiliſſimi ſequebantur. Intra menſes 4 domum redierunt; *Medea* enim *Æetæ* filia *Jaſonem* deperiens vellus illi prodidit cumque eo *Corinthum* venit. Dum autem *Colchos* verſus navigantes ad *Sigæum Troadis* promontorium ventis agebantur, *Hercules* balænam occidit *Heſionenque Laomedontis* filiam monſtri faucibus deſtinatam eripuit. *Laomedonte* verò pactam gratiam referre nolente, *Hercules Trojam* cepit, Regem occidit, filiumque ejus *Priamum* in ſolium evexit.

29. *Hercules* in *Græciam* reverſus ludos *Jovi Olympico* inſtituit. Poſtea ex *Euryſthei* hortatu (qui rebus ſuis timens eum perditum volebat) duodecim certamina celebratiſſima ſuſcepit. 1. *Leonem Nemeum* interfecit. 2. *Hydram Lernæam* cui 100 ex uno corpore cervices ac totidem anguinea capita extabant, unoque horum deſecto duplum ejus loco prodibat. 3. *Aprum Erymanthium* qui in *Arcadiæ* campis morabatur vivum attulit, atque eadem profectione *Centauros* vicit. 4. *Cervam* aureis cornibus, oppriмè velocem Regi captam adduxit.

30. Quintùm

30. Quintùm ex palude *Stymphalide* aves exturbavit. 6. *Augeæ Stabulum*, nemine adjuvante, *expurgavit*, *Penco* fluvio illuc derivato. 7. *Taurum* (in quem *Pasiphaën* exarsisse fama est) ex *Creta abduxit*, quùm etiam Diis contra Gigantes opem tulisset solvisset que *Prometheum*. 8. *Diomedis* equas ferocissimas è Thracia *abduxit*. 9. Militiâ contra *Amazonas* institutâ *Hippolyta zonam asportavit*.

31. Decimum illi certamen ab *Eurysthea* impositum fertur ut *Geryonis* boves in locis *Iberiæ* ad Oceanum conversis pascentes abigeret, cùm *Geryon* non in *Iberia* seu *Hispania* regnaverit, sed in *Epiro* circa *Ambraciam* & *Amphilochum*; hæc itaque in *Hispaniam* profectio *Herculi Tyrio*, quod suprà monuimus, relinquenda est in qua dicitur *Antæum Busiridemque* interemisse, columnasque ad Mundi fines erexisse. 11. *Cerberum ab Orco ad superos eduxit*. 12. Postremùm *Africam* denuò trajiciens *Hesperidum mala* inde asportavit.

32. Multis aliis rebus egregie gestis, tandem uxor *Dejaneira*, zelotypiâ ardens vestem illi misit veneno tinctam quod *Nessus* Centaurus moriens (propterea enim quod vim uxori ferre volebat *Hercules* eum occiderat) ad amorem conciliandum vehementer conducere affirmaverat. Vipereum virus in subuculam transfusum ardore suo carnes toto mox corpore depasci dicitur, ex quo vehementer cruciatus pyram in monte *Oeta* conscendit & crematus est. Quidam putant hominem furore correptum

correptum in ignem se conjeciſſe. Periit annos natus 52. *A. M.* 2776.

33. *Euryſtheus* vehementer rebus ſuis timens *Heraclidas* bello aggreſſus eſt, ſed re male geſta victus occubuit, cum omnibus filiis. Illi reditum moliri auſis ſuis hoc tempore exciderunt, atque adeò *Atreus Pelopis* filius qui *Argis* nunc potiebatur Regnum *Mycenarum* obtinuit. Hic *Pelops Tantali* Phrygis filius ante annos centum ab *Ilo* Rege *Ilii* victus in *Graciam* fugiens *Hippodamiam Oënomai Piſæ* Principis filiam duxerat. Cùm *Piſæ* jure matrimonii teneret, peninſulam pene totam poſtea in ditionem ſuam perduxit, quæ ab eo *Peloponneſi* nomen accepit.

34. Ex *Hippodamia* multos liberos ſuſtulit quorum matrimonio, vel potiùs magna pecuniæ vi, quam in *Graciam* attulerat, in civitates pleraſque ſe ingeſſit. Filiorum ejus præcipui erant *Atreus*, *Thyeſtes*, & *Pliſthenes*. *Priores* duos, cùm annos 54 regnaſſet, ſucceſſores reliquit. *Pliſthenes* juvenis adhuc mortuus pueros duos *Atrei* fidei commiſit *Agamemnonem* & *Menelaum*. *Atreus Aëropen* puerorum matrem, *Minois* filiam, duxit, cum qua *Thyeſtes* in adulterio deprehenſus primùm in exilium actus ac deinde revocatus filiorum ſuorum carnibus inter epulandum paſtus eſt.

35. *Atreus*, *Euryſtheo* mortuo, totius *Peloponneſi* dominus factus *Heraclidas* in fugam vertit. Aſtrologus inſignis eſt habitus, Duoſque nepotes ſuos adoptavit *Agamemnonem*

&

& *Menelaum* qui ei succesſerunt; ante bellum *Trojanum* anno 18°. *Agamemnon* vir tam virtute quam prudentiâ egregius non *Mycenas* tantùm & *Argos* ſed totam Regionem *Sicyonem* uſque & *Corinthum* obtinuit, eamque quæ tunc temporis *Ionia* & *Ægialea*, poſtea verò *Achaia*, dicebatur. *Menelaus Lacedæmone* regnavit, in uxorem ductâ *Helenâ Tyndarei* Regis filiâ, quam cum *Paris Priami* filius rapuiſſet, inde bellum *Trojanum* ortum eſt. Quod antequam pro more noſtro paucis expediamus, de ipſo *Trojanorum* Regno, ſecundùm idem inſtitutum, pauca ſunt præmittenda.

36. *Dardanus* ex *Jove* & *Electra Atlantis* filia genitus, *Arcadiâ* relictâ, Coloniam in *Phrygiam* duxit, ubi *Bateâ Teucri* filiâ *Scamandri* nepte in uxorem acceptâ ſedes ſuas poſuit, in ea ſcil. regione quæ poſtea *Troas* appellata fuit, ibique *Dardanum* urbem condidit, circa *A. M.* 2530. *Sthenelo Argis* regnante. *Erichthonius* filius ejus & ſucceſſor ditiſſimus ex *Callirrhoë Scamandri* filia *Troem* ſuſtulit ex quo Regio *Troas* vocata.

37. *Tros* tres filios habuit *Ilum*, *Aſſaracum*, & *Ganymedem*. *Ilus* patri ſucceſſit. *Aſſaracus Capyn* genuit *Anchiſæ* patrem *Æneæ* avum, *Ganymedes* puer formæ egregiæ à *Tantalo* raptus eſt, unde bellú exarſit quo *Tantalus Paphlagonia* exutus. *Ilus* Rex urbem in Campeſtribus condidit quæ Metropolis facta à Latinis *Troja* (quod nomen Regioni magis convenit) *Græcis* ſemper *Ilium* vocatur. Cum *Ilo Pelops Tantali* filius

filius bellum gerens rem male gessit. *Laomedon* filius *Ili Herculem*, mercede propter salutem filiæ pacta, fraudare volens, regno simul & vitâ excidit.

38. *Podarces* filius *Laomedontis Priamus* cognominatus, divitiisque & regni amplitudine clarus 50 filios genuit, quorum 17 ex legitimo concubitu. Horum *Paris* (*Alexander* dictus) *Lacedæmonem* veniens *Helenam* rapuit, quod cum Principibus *Græciæ* innotuisset, unâ concurrentes & haud aliter ac proprio incommodo affecti *Agamemnonem* sibi ducem præficiunt, bellum contra *Priamum* decernunt, Sacramentoque se obstringunt nunquam nisi *Trojâ* captâ domum esse reversuros.

39. Horum præcipui erant *Nestor*, *Ajax* uterque, *Achilles*, *Ulysses*, *Thoas*, *Podalirius*, *Machaon*, & *Tlepolemus*. In classe navium 1000 exercitus virorum 120000 trajecisse dicitur. Quam primùm *Trojam* appulissent, levi certamine finito, legatos ad *Helenam* repetendam miserunt, sed à *Priamo* juniorum conciliis usо nimisque *Paridi* indulgente tulerunt repulsam. Tunc ad vim utrinque conversum, atque bellum per decennium gestum.

40. Ex *Græcis Protesilaus*, *Patroclus*, *Euphorbus*, & *Achilles*; ab altera parte *Hector Troilus* & *Paris* (*Priami* filii) *Memnon* ejusdem nepos ex *Tithono* fratre, & *Penthesilea Amazon* occubuerunt. Urbe tandem per insidias captâ, *Menelaus Helenam* uxorem recuperavit, occiso *Deiphobo* qui à *Paridis* morte eam duxerat. *Priamus* à *Pyrrho* (seu *Neoptolemo*) *Achillis*

Achillis filio interfectus est. *Antenor* autem & *Æneas* inter alios è *Græcorum* manibus evaserunt. Accidit hæc clades *Trojana* anno obsidionis decimo, 408° ante primam *Olympiadem*, 1182° ante *Æram* Christi. *A. M.* 2821.

41. *Græcorum* superstitum *Ajaces* ambo ante reditum perierunt, *Telamonius* quidem propria manu, judicio exercitus in certamine de *Achillis* armatura, vel dolis *Ulyssis*, victus; alter vero *Oilei* filius naufragio; *Ulysses* errore multorum annorum circumactus dicitur, *Menelaus* non ante annum octavum rediisse: *Agamemnon* vero domum reversus statim occisus est ab *Ægistho Thyestis* filio cum quo *Clytæmnestra* uxor (*Tyndarei* filia) stupri consuetudinem habuerat, atque ad tam detestandum parricidium perpetrandum conjurationem iniverat.

42. *Agamemnon* filium *Orestem* ex *Clytæmnestra* genuerat cum filiabus tribus. *Orestes* metu *Ægisthi*, ante patris reditum, peregrè missus ab *Electra* sorore, anno octavo à patris cæde regnum recuperavit, *Ægistho* & matre occisis. Ob matris cædem furiis vehementer agitatus *Areopagitis* se submisit, quorum sententiâ absolutus est, totidem pro eo suffragiis, quot contrà, latis. *Menelao* defuncto *Sparta* regnum occupavit *Argis* anteà potitus, *Cylarabe Sthenelı* filio sine liberis mortuo.

49. Atque adeò *Argivorum* Regnum rursùs coaluit anno circiter 140, postquàm in quatuor

tuor partes divisum fuisset. Coloniam *Æolum* in *Asiam* duxit *Oreſtes*, ætate quarta ante quàm illuc *Jones* migrarent, atque in *Arcadia* demum mortuus est postquàm annos 70 regnasset. Duos filios reliquit *Tisamenum* ex *Hermione Menelai* filiâ genitum, aliumque nothum ex *Ægisthi* filiâ. *Tisamenus* patri successit, (quamvis *Paterculus* scribat ambos, *Oreſte* mortuo, regnasse) paulò autem post ab *Heraclidis* Regno exutus est.

44. *Heraclidæ* reditum in *Peloponnesum* sæpiùs frustrà tentaverant. *Hyllus Herculis* filius semel atque iterùm, *Clodæus* atque *Aristomachus* eodem successu. *Aristomachus* tres filios reliquit *Temenum*, *Cresphontem* & *Aristodemum*. Tres *Peloponnesi* partes præcipue sibi vendicarunt, *Argos* scil. ut *Perſei* posteri, cùm *Tisamenus* qui regnum ad hoc tempus obtinebat ex *Pelope* oriundus esset cui nihil juris in hac regione: *Lacedæmonem*, quòd *Hercules Tyndareum* ab *Hypocoonte* ejectum restituerat ea lege ut Regnum velut depositum acciperet: *Messeniam* quòd *Hercules Pylo* excisâ, Regionem hanc etiam apud *Nestorem* deposuisset.

45. Classe fabricatâ apud *Ætoliæ* oram maritimam (ubi locus hinc *Naupactus* dictus) iter per isthmum præ se ferebant sed ad *Molycrium* navigabant. *Peloponnesum* appulsi, quòd destinaverant haud magno negotio, consequuti sunt. *Argos Temenus* obtinuit; *Cresphontes Messeniam* subdolè sortitam; *Lacedæmonem* verò *Procles* & *Eurysthenes Aristodemi* filii gemini,

gemini, quem *Pylade* & *Electra* filii (*Tisameni* verò consobrini) interfecerant.

46. *Tisamenus* & *Achæi*, hoc modo *Argolide* & *Lacedæmone* exuti ab *Heraclidis* & *Dorien-sibus*, certis conditionibus ab *Jonibus Peloponnesum* tunc temporis incolentibus recepti sunt. Sed cùm hos incessisset suspicio ne uterque populus *Tisamenum*, cùm ob virtutis tùm generis claritatem, Regem sibi eligerent, ad arma ventum est, & *Tisamenus* in prælio occubuit. *Achæi* verò *Ionas* in *Atticam* fugarunt, ubi ab *Athenien-sibus*, Rege *Melantho* authore, in civitatem recepti sunt, non tam pristinæ amicitiæ gratiâ, ut quidam existimarunt, quam *Dorien-sum* metu.

47. *Temenum* autem *Argis* potitum filii invidiâ moti interfici curarunt quod nimiùm attribueret *Deiphonti* genero. *Cisus* natu minimus patri successit, adeò tamen Populus *Deiphonti* addictus erat, atque ab initio libertatis studiosus, ut Regiâ potestate in angustos limites coarctatâ, *Cisi* liberis ejusque posteris nihil omninò aliud quam Regni nomen reliquerit. Atque adeo in Democratiam convertum est hoc Regnum anno circiter 40° ab *Heraclidarum* reditu, ab *Inacho* 690, *A. M.* 2940.

48. Vir quidam doctus ex *Æschylo* Tragico probare vult hoc *Inachidarum* Regnum summè Monarchicum fuisse, alius autem ex *Pausania* colligit illud fuisse moderatum admodùm seu mixtum Populi quadam authoritate, propterea quod *Argivi* ab initio libertatis perstudiosi dicantur, atque *Meltam Lacidai*

cidæ filium *Medonis* nepotem damnatum Imperio ſpoliaverint. Quanquam enim apud *Herodotum* Rex *Argivorum* occurrat, nihil vox iſta niſi Magiſtratum Populi Imperio ſubjectum ſignificat, ut in multis aliis locis.

49. Populus autem poteſtate ſuprema potitus in tres tribus dividebatur. Huic ſuberat *Senatus* annuatim, ut videtur, eligendus ad res præparandas quæ Comitiorum forſan judicium ſubire debebant, legum vim exequendam, aliaque leviora conſtituenda. *Collegium* etiam fuit aliud virorum 80 partem Reip. curans; & cum eo δημίους quos urbanos Magiſtratus fuiſſe, judiciis etiam præfectos, conjectes. Omnes in formula fœderis inter *Athenienſes* & *Argivos*, *Mantineos*, & *Eleos*, quæ apud *Thucydidem* extat, nominati.

50. Plura de Reip. *Argivæ* ordine vix inveniuntur in veterum Monumentis quæ ad nos pervenêre. Geſſit hæc civitas frequentia bella cum cognatis & vicinis ſuis *Lacedæmoniis*, imprimis de agro *Thyreo* quem in confinio populus uterque ſibi vendicabat. Accedebat æmulatio mutua, cum uterque populus alteri ſe præferret. Atque ut *Lacedæmonii* popularem ſtatum, quo gaudebant *Argivi*, inviſum habebant, ita hi viciſſim *Oligarchiam Lacedæmoniorum* oderant. At de *Argivis* alibi plura.

Sect.

SECT. 4.

Regnum & Reſp. Athenienſium antiquiſſima.

1. *Athenienſium* Regnum à *Cecrope* fundatum eſt qui primus in *Attica* (tunc temporis *Actæ*) regnare cœpit, quo tempore *Triopas Argivos* regebat, anno 374 ante *Ilium* exciſum, 780° ante priman *Olympiadem*, A. M. 2449.

2. De nomine civitati novæ attribuendo *Neptunus* & *Minerva* contendiſſe dicuntur. Res ad Comitia delata eſt, ubi mares illi, fœminæ verò huic operam ſuffragiis ſuis navarunt. Effecit autem mulierum numerus ut *Minerva* vinceret quod ægrè admodùm *Neptunus* ferens cives novos agrorum ſuorum inundatione mulctavit. *Athenienſes* ut eum placarent, mulieres pœna triplici affecerunt. 1. Ut ſuffragia nunquam poſtea in Comitiis ferrent. 2. Ut nemo naſcentium maternum nomen acciperet. 3. Nequis eas Ἀθηναίας vocaret, unde Ἀθηναῖαι ſunt dictæ.

3. Quandoquidem hic de *Minerva* mentio fit, obſervandum eſt multas mulieres hac nomine inſignitas reperiri. *Cicero* tertio de natura Deorum quinque memorat: Primam *Apollinis* matrem ex *Vulcano*: Secundam *Nilo* ortam quam *Ægyptii Saitæ* coluerunt: Tertiam

Tertiam *Jovis Calli* filiam : Quartam *Jove* & *Coryphe Oceani* filia natam, quam *Arcades Coriam* nominant & quadrigarum inventricem ferunt.

4. Quintam *Pallantis* filiam quæ patrem dicitur interemisse virginitatem filiæ violare Conatum. Harum secunda *Athenarum* Dea habenda est *Ægyptiis Neuth* dicta quæ *Saitarum* etiam urbem condidit. *Cecrops* illi statuam in *Ægypto* erexisse dicitur atque nomen *Jovis* invenisse. Fuit autem *Athenienſibus* Mensis, quem novâ Lunâ *Decembris* exorditi sunt, ποσειδεων nominatus de memoria illius certaminis ποσειδεω, hoc est *Neptuni*, cum *Pallade*.

5. Verùm illud non ignorandum est *Athenas* triplices fuisse, ut scripsit *M. Varro* in libris de *Analogia*. Ab aliis *Athenienſes*, ab aliis *Athenæos* ab aliis *Athenopolitas* nominatos. Fuerunt enim *Athenæ Attica*, unde *Athenienſes*, & *Athenæ Euboicæ* in *Eubœa* insulâ, à *Cecrope Erechthei* filio conditæ, cujus incolæ, ût videtur, à *Latinis* dicuntur *Athenæi*, nam *Græci Athenarum Atticarum* cives Ἀθηναῖος vocant. *Athenopolitæ* autem fuerunt in *Gallia Narbonenſi* populi qui *Athenopolin* habitarunt *Maſſilienſi* agro. Fuit & in *Laconica* terra *Athenæ* oppidum.

6. *Cecrope Athenis* adhuc superstite regnavit in *Theſſalia Deucalion Promethei* filius, cujus Historia paucis attingenda est ob nomina ab ejus posteris *Græcis* tributa. *Japetus* tres filios habuit : *Atlantem*, *Prometheum*, & *Epimetheum*.

metheum. *Atlantes* fuerunt tres: Ille ius *Maurus* qui fuit *Maximus*: Alter *Italicus* pater *Electræ*: Tertius *Arcas* pater *Maiæ*, unde natus eſt *Mercurius*. Scriptores hos confundunt, ut ſolent.

7. Primus circa montem *Atlantem* habitaſſe dicitur, cui, propter magnam ejus in Aſtronomicis rebus peritiam, cœlorum ſupportatio attribuitur, hic etiam *Electræ* pater habitus eſt. *Prometheum* ferunt propterea è Iuro formaſſe homines, quia optimus fuit ſapientiæ doctor. *Epimetheus Pyrrham* genuit.

8. *Deucalion Promethei* filius *Epimethei* filiam *Pyrrham* duxit, atque eo regnante Diluvium *Deucalionis* dictum accidit, quo ſedes illius *Hellas* propriè appellata obruta præcipuè eſt; ad *Ægyptum* autem atque ejus vicinias nequaquam pervenit. Tria autem diluvia *Græciæ* omnino accidiſſe legimus. Primum ſub *Ogyge* de quo dicendum eſt *Thebarum* Hiſtoriâ: Secundum fuit hoc *Deucalionis* circiter annos 248 poſt primum, & 737 ante primam *Olympiadem*: Tertium accidit poſt annos 86, regnantibus *Dardano* & *Cadmo*.

9. *Deucalion* ex *Pyrrha Hellenem* genuit & *Amphictyonem*. Ab *Hellene* ſubditi *Hellenes* dicti ſunt qui antea *Græci* audiebant, atque Regio ipſa *Hellas*, quæ prius *Pelaſgia* à *Pelaſgis*, *Hæmonia* ab *Hæmone* (*Pelaſgi* filia) & *Pyrrhæa* à *Pyrrha* vocabatur. *Hellen* tres filios habuit *Xuthum*, *Æolum* & *Dorum*. *Æolo* Regnum reliquit dimiſſis reliquis ut ſibi ſedes

alibi

alibi quærerent. *Æolus* adeo apud subditos suos claruit ut *Jupiter* & *Neptunus* cognominaretur. *Dorus Histiæotin* incoluit regionem circa *Ossam* & *Olympum* Montes sitam. *Xuthum* fratres è *Thessalia* ejecerunt quod paternam sibi solus pecuniam vindicasset. Is cum *Athenas* confugisset ab *Erechtheo* dignus est habitus cui filiam desponderet, ex qua *Achæus* & *Ion* nati.

10. *Xuthus* postea *Athenis* pulsus, quia arbiter constitutus ab *Erechthei* filiis Regnum *Cecropi* natu majori adjudicasset, in *Ægialiam* (regionem inter *Elèos* & *Sicyonios* ad mare Orientem versus jacentem) migravit, ibique mortuus est. Ex filiis ejus *Achæus*, assumptis ab *Ægialo* & *Athenis* auxiliis, in *Thessaliam* veniens paternum recepit imperium, sed postea ob homicidium fortuitò commissum in *Laconiam* fugit, ubi posteri ejus manserunt eò usque donec à *Dorienſibus* & *Heraclidis* illinc expellerentur.

11. *Archander* & *Architeles* filii *Achæi* è *Phthiotide Argos* commigrarunt, ubi is *Scæan* hic verò *Automaten Danai* filiam duxit. Cùm verò *Argis* pariter & *Lacedæmone* crevisset *Achæi* filiorum potentia, obtinuit ut earum civitatum incolæ vocarentur *Achæi*, idque nomen iis fuit commune, quamvis *Argivi* peculiari nomine *Danai* dicti essent.

13. *Ionem Xuthi* filiorum alterum bellum *Ægialenſibus* il'aturum pacavit *Selinus* Rex, desponsata ei *Helice* filia. Cum *Selinunti* in Imperio succeſſisset à se conditam urbem ex

uxoris

uxoris nomine appellavit *Helicen* (quæ postea cum *Bura* à mari absorpta est) gentem ipsam à se *Ionas* nuncupavit, quamvis istud eis non mutationem nominis attulit sed additamentum. Vocabantur enim *Ægialenses Ionei*; sed regioni priscum nomen potius mansit, quod *Homerus* in delectu *Agamemnonis* copiarum notum fecit.

14. *Ion* postea ab *Athenienſibus* contra *Eleuſinios* dux electus in *Attica* obiit. Mansit autem penes ejus posteros in *Ægialenſes* Imperium, usque dum ab *Achæis* quos *Lacedæmone* & *Argis Heraclidæ* & *Dorienſes* expulerant regno spoliati cum universo populo profugerunt *Athenas*, ubi non multos annos manserunt à *Codri* filiis in *Asiam* abducti. Ut omnia ista unà traderentur Tironum memoriæ consultius duximus.

15. Sub *Cecropis* Imperio (ut ad institutum nostrum revertamur) *Eusebius Areopagitarum* concilium initium habuisse putat: Quidam sub *Solone*, alii vetustiorem hunc Senatum fuisse contendunt, nec minor de nominis ratione contentio, quamvis omnes à *Marte* (*Græce Ares*) *Areopagum* denominatum fateantur. *Cecropi* autem post annos 50 mortuo succeſſit *Cranaus* Civium locupletiſſimus, qui exactis annis 7 in imperio ab *Amphyctione Deucalionis* filio regno exutus est. Atque post decennium *Amphyction* ab *Erichthonio* similiter solio fuit ejectus.

16. *Erichthonius*, *Vulcani* & terræ filius habitus, *Apollini* & *Minervæ* ludos instituit, atque

atque post annos 50 successorem habuit *Pandionem* filium, qui postquam annos 40 regnasset locum dedit *Erechtheo* filio. Hic vir maximi nominis bellum contra *Eleusinios* gessit. *Ione* nepote ex filia, duce usus, hostiumque Imperatore occiso ipse cecidit imperii sui anno quinquagesimo. Eo regnante cives *Cecropidæ* priùs dicti ex urbe ipsa appellari cœperunt *Athenienses*. Tres filios reliquit: *Cecropem*, *Metionem*, & *Pandorum*.

17. *Cecrops Xuthi* judicio regnum obtinuit, & populum in 12 oppida congregasse fertur, eo quod nimis dispersi *Carum* & *Bœotiorum* (*Æonarum*) latrociniis obnoxii essent. *Pandion* post annos 40 patri *Cecropi* successit qui à *Metionis* filiis regno pulsus *Megaram* fugit ubi Principatum soceri *Pylæ* obtinuit. Exul factus quatuor filios sustulit: *Ægeum*, *Lycum*, *Pallantem*, & *Nisum* qui patre defuncto *Metiontidas Athenis* expulerunt, regnumque in partes 4 divisêrunt, quod illis pater præceperat. *Megara Nisô* obtigit, qui illic longo tempore regnavit.

18. Quamvis autem partitio dicta fieret, *Ægeus* summa rerum potitus est. *Pallantis* filii 50 numero eum insidiis petebant, quibus despectus erat quòd liberos non haberet. Tandem *Pittheus Pelopis* filius qui *Træcene* regnabat, ut cum *Æthra* filia sua concumberet effecit, ex qua *Theseus* natus est. Hic *Athenas* veniens & à patre agnitus *Pallantidas* oppressit, utque populi animos sibi conciliaret, *Marathonium* taurum, *Tetrapolis* habi-

tatoribus haud mediocriter moleſtum domuit, vivum per urbem compellens oſtentavit ac deinde mactavit *Apollini Delphinio*. Poſtea *Cretam* navigans *Minotaurum* monſtrum *Athenienſibus* pueris devorandis deſtinatum *Ariadnæ Minois* filiæ opera occidiſſe dicitur. Quæ de re plura ex inſtitutione noſtra peti poſſint.

19. *Ægeus* navis gubernatori ſolventi mandaverat ut ſi ſalvo *Theſeo* rediret velo albo uteretur, ſiquid verò illi accidiſſet, nigro infortunium indicaret. Cùm autem præ gaudio hoc neque gubernatori neque *Theſeo* *Atticæ* appropinquanti in mentem veniſſet, *Ægeus*, deſperata incolumitate ſuorum, è ſaxo præcipitem ſe dedit. Ex hoc *Ægeo* quidam *Mare* *Ægeum* denominatum volunt: Alii ab *Ægis* inſula prope *Eubœam Neptuno* ſacra: Alii ab *Ægis* ejuſdem *Eubœæ* oppido; quidam ab *Æga* *Æolidis* promontorio: Nonnulli ab *Ægæ* ſcopulo inter *Tenedum* & *Chium*.

20. Sunt qui à crebris inſulis, quæ procul aſpicientibus apparent veluti αἶγες vel capræ, *Mare* *Ægeum* denominatum volunt, alii ab *Ægea* *Amazonum* Regina quæ ibi periit, à *Neptuni* nomine *Ægeo* apud *Pherecydem*, ab *Ægeone* qui idem eſt cum *Briareo*, à capra quæ cœleſtis forſan, à capra terreſtri quod capræ inſtar agitatur, nomen derivant; *Samuel Bochartus* Vir Cl. ab *Az Hebræo* quod durum & aſperum ſignificans quandoque *Matis*. apud ſcriptores ſacros eſt *Epitheton*.

21. *Theſeus*

21. *Theſeus Athenienſes* per 12 oppida diſperſos in unicam congregavit urbem, & poteſtate Regia valde diminuta Monarchiæ nervos præcidit. Populum in *Nobiles Agricolas* & *Artifices* diſtinxit. Multa præclara facinora edidit. Ludos *Iſthmios Neptuno* inſtituit. Contra *Amazonas* in Mare *Euxinum* navigavit, atque inde *Antiopem* uxorem duxit. *Pirithoi Ixionis* filii conſortio adjutus *Helenam Tyndarei* filiam rapuit, at illum viciſſim adjuvans in *Aidonei* Regis *Moloſſorum* filia rapienda captus eſt, & cuſtodiæ mandatus (ſocio necato) *Herculis* precibus tandem fuit liberatus. Rex iſte *Pluto* dicitur, filia ejus *Proſerpina*, canis autem *Cerberus* cui *Pirithoum* devorandum objecit.

22. *Theſeo* peregrè profecto *Caſtor* & *Pollux* ſororem ſuam *Helenam* liberarunt. *Meneſtheus* autem *Pelei* filius (*Erechthei* ex *Orneo* filio nepotis) ejus exiſtimationem apud populum imminuere conatus eſt tantumque, odii in eum conflavit, ut reverſus in inſulam *Scyrum* ſe ſubduceret, ubi à *Lycomede* Rege ſibi à gloria ejus metuente necabatur. *Meneſtheus* inſidiis regnum adeptus, cùm *Atreus Argis* & *Mycenis* regnaret, navibus 50 *Trojam* profectus eſt, atque urbe capta funebrem Orationem habuit in *Telamonii Ajacis* laudes. Hoc enim officium præſtare ſolebant *Athenienſes* iis qui bello moriebantur. Brevi poſt tali officio argumentum præbuit ipſe, in *Melo* inſula dum *Trojam* rediret.

23. *Meneſtheo* mortuo, *Demophon Theſei* ex *Phædra* filius regnum avitum obtinuit, quem *Elpenor Chalcedonis* filius in *Eubœa* regnans unà cum fratre ejus *Achamo* educaverat & *Trojam* duxerat. *Demophon Palladium* ab *Argivis* redeuntibus & in *Atticam* vi ventorum actis ſurripuit. Poſt annos 34 regnum reliquit *Oxyntæ* filio cui, 12 aliis exactis, ſucceſſit filius *Aphidus*. Hunc, poſtquàm annum unum regnaſſet, excepit *Thymœtes* Rex decimus quintus qui, cùm eſſet ſpurius, fratrem *Aphidam* interfeciſſe dicitur. Poſt annos autem 8 regno excidit ultimus Regum *Erechthidarum*.

24. Inter *Athenienſes* & *Bœotios* de *Celanis* in confinibus poſitis bellum ortum eſt, placuitque ut Regum ſingulare certamen litem dirimeret. *Thymœtes* pugnare nolens regno privatur, & *Melanthius Meſſenius* domo ab *Heraclidis* pulſus certamen cum *Xantho Bœotiorum* Rege ſuſcipit, eoque ſtratagemate victo *Athenienſium* imperium in mercedem accipit. *Melanthio Codrus* filius ſucceſſit ultimus *Athenienſium* Rex.

25. *Codrus*, cùm *Heraclidæ* bellum contra *Athenienſes* ſuſcipientes Oraculum haberent ſe haud aliter victores fore quàm ſi hoſtium Regem non læderent, gregarii militis habitum induit atque inter denſiſſimas pugnantium turmas irruens occiſus eſt: Quo cognito *Heraclidæ* obſidionem ſolventes deceſſerunt, licet quidam urbem intraverant qui ab *Athenienſibus* incolumes ſunt dimiſſi. *Codri* hic caſus

incidit

incidit in annum à *Cecrope* 486, ab *Ilio* exciso 114um, ab *Heraclidarum* reditu 35, ante primam *Olympiadem* 293, *A. M.* 2935.

26. A *Codro* nemo *Athenis* regnavit. *Archontes* enim Remp. Capessebant, qui Principatum, quamdiu viverent, retinebant, diminuta potestate & populo subjecta. Primus *Archon* fuit *Medon Codri* filius licèt in regni spem educatus. *Nileus* ejus frater cum eo vehementer contendebat: Negabat enim se *Medontis* imperium ferre posse qui pede altero claudicabat; rei autem cognitione Delphico oraculo permissa respondit vates deberi *Medonti Athenienſium* imperium.

27. Dimissi itaque in coloniam sunt *Nileus* aliique *Codri* filii, atque tùm ex *Athenienſibus* quicunque nomina sua dedissent, tùm multo maximam *Ionum* manum abduxerunt. Contribuerunt etiam in eam se coloniam *Thebani*; ex *Orchomenii Minyæ*, *Phocenſes* exceptis *Delphis*, *Æbantes* etiam ex *Eubœa*. Ab his 12 *Ionum* civitates in *Asia* conditæ sunt: *Miletus*, *Epheſus*, *Priene*, *Colophon*, *Myus*, *Teos*, *Lebedos*, *Clazomenæ*, *Erythræ*, *Phocæa*, *Chius*, & *Samus*, de quarum primordiis *Pauſanias* in *Achaicis* est consulendus.

28. *Medontem* 12 alii Principes ab illo *Medontidæ* dicti per annos 15 sequuti sunt. Horum postremus fuit *Alcmæon Æſchili* filius, qui cùm moreretur, vix biennio in principatu exacto, Populus perpetuam *Archontum* potestatem molestè ferens intra decennii terminos coegit. Mutatio hæc facta

eſt circa initium *Olympiadum*, primuſque *Charops* principatum decennalem ſuſcepit. Duravit hæc rerum forma per annos 70, agmenque claudit *Erixias*, quo, poſt ſexennium in imperio exactum, vel mortuo vel rebus adminiſtrandis ſubmoto, nova ſubinde Reipſacies apparuit.

29. Populus enim potentia turgens libertatiſque velut œſtro percitus, unius imperio prorſus abrogato *Archontum* 9 collegium quotannis eligendorum inſtituit. Horum primus *Princeps Collegii* fuit atque *Eponymus*. Secundus *Rex* dicebatur cui rerum tam criminalium quam civilium quarundam judicium commiſſum. Tertius *Polemarchus* cui in rebus bellicis ſummum imperium erat. Sex reliqui *Theſmothetæ* appellati ſunt, ſeu legum conſuetudinumque Propugnatores. Novem una coeuntibus, ut Regibus & *Archontibus* antea, populum congregare, deque rebus arduis proponere integrum erat.

30. Tanta hactenus fuerat exædificatio ſuper libertatis fundamenta à *Theſeo* jacta. Fræno autem ſemel plebi permiſſo quo ſe fiſteret nunquam habuit, huc illuc Demagogorum orationibus ſeu pelagus quoddam ventorum impetu agitata. Optimatum potentia v hementer offenſa eſt & eo potiſſimùm nomine, quòd cùm civitas nondum ullis certis legibus uteretur, Judicum ſententiæ pro legibus erant. Poſt annos itaque 50 cum plebis querimonia juſtitiam præ ſe ferret, *Draconi* cuidam homini probo & prudenti, ſed auſtero

austero admodùm, legum condendarum negotium datur.

31. Multas sane condidit & *Ephetarum* curiam reformavit, quam ex viris 51 constare placuit annos 50 vel suprà natis. Sed propterea quòd leges ejus sanguinolentæ & essent & audirent (levissimæ enim culpæ capitis supplicium adjudicabant) nihilque fructus plebs rude perciperet ære alieno pæne oppressa, hominum animi adeo efferebantur, tantæque simultates & suspiciones exortæ sunt, ut omnia in præceps ruere viderentur. Tandem omnium oculi in *Solonem* conversi sunt hominem prudentem simul & spectatissimæ probitatis. Hunc rogarunt ut Medicum Reip. ageret quam ut melius curaret viribus idoneis fretus, *Tyrannidem* ei obtulerunt ultrò.

30. *Solon*, quamvis Populo se gratum esse sciret ob *Salaminam* insulam astutia sua recuperatam & Sapientiæ laudem, ægrè tamen Remp. attigit, quòd pauperum cupiditatem, divitum verò superbiam metueret; *Tyrannidem* autem plane respuebat, à familiaribus tametsi objurgatus, ut qui propter nomen à regimine abhorreret, quasi verò non statim id in regnum virtus ejus mutare posset quod antè *Eubœnsibus* evenerat, cùm *Tynnonidæ*, & non ita pridem *Mitylenæis* cum *Pittaco* Tyrannidem obtulissent.

33. Nihil horum suo à consilio deduxit *Solonem*, sed amicis suis fertur respondisse *Tyrannidem locum esse pulchrum, exitum autem nullum habere*. Tandem Remp. emendandi

negotium datum accepit, antequàm vero eam attingeret, ut partes omnes in gratiam reduceret, debitorum remiſſionem, *Siſachtheam* dictam, induxit. Electus Princeps ſeu *Archon* poſt *Philombrotum* ſimulque & arbiter & legum conditor *Draconis* primùm omnes leges, præter eam quæ de cædibus erat, abrogavit, propter duriciem & magnitudinem ſupplicio-rum.

34. Tunc cenſum civium inſtituit quos in tribus 4 diſtinxit ut munia in Repub. ſecundùm facultates diſtribuerentur, nulla Magiſtratus gerendi copia pauperrimis facta ad conciones tantùm & judicia admiſſis. Et ne plebs nimia potentia turgens ſe nimis efferret, *Senatum*, præter *Areopagitas*, inſtituit quadringentorum hominum (centum ex ſingula tribu annuatim electis) formandæ moderandæque concioni, ad quem negocia omnia ad populum pertinentia referebantur ab eoque examinabantur & decreto interpoſito vel terminabantur, ſi momenti eſſent minoris, vel ſi pondus haberent majus, porro ſubjiciebantur Populi judicio.

35. *Collegio* novem *Archontum*, quamvis poteſtate diminuta, eadem pæne deſignavit quæ prius acceperant munia, addita ſolenniori inſtitutione, & præmio laborum poſt examen ſeveriſſimum Senatu *Areopagi* conſtituto. Hunc enim Senatum venerandum atque labis omnis expertem eſſe voluit qui ſummam authoritatem in tota civitate eſſet habiturus. Nam cenſuram morum ac vitæ omnium civium,

civium, maxime vero juniorum, Senatui huic assignavit.

36. *Concioni*, seu Populo congregato legum condendarum abrogandarumve, Pacis & belli rationes constituendi, legatos emittendi, exterosque civitate donandi jus erat. Locus concionis communiter fuit aut forum aut *Pnyx* prope arcem fori instar, interdum etiam amplissimum Theatrum *Bacchi*: Ordinarium tempus dies tres stati in singulis prytaneis, sive intra dies 35 æqualiter fere inter se distantes, extraordinarium pro rebus natis: illæ ἐκκλησίαι, hæ κυρίαι ἐκκλησίαι, aut σύγκλητοι ἐκκλησίαι dicebantur.

37. Varia etiam præter Senatum *Areopagiticum* rerum Juridicarum fuerunt tribunalia. *Ephetarum* inprimis illud quod instituit *Demophon Thesei* filius: Concilium item *Heliasticum* à loco subdiali sic dictum ex 500, vel 1000 & aliquando 1500 hominibus (qui sorte electi 30 annos vel amplius haberent) constans. Erat & *Arbitrorum Concilium* cui viri 220 ex tribubus adscripti & æqualiter divisi res earum cognoscebant & judicabant. Aliud etiam virorum 30, postea 40, fuit, qui Populos in quos divisam fuisse civitatem diximus, obibant & de minoribus rebus, minonoreve pecuniæ summa inter litigantes judicabant, & lites finiebant.

38. *Solon* opere finito, offensas civium & calumnias effugere cupiens in peregrinationem ab *Atheniensibus* decennium impetravit. Spectabat enim hoc temporis spacio cives legibus

adſuetutos. Illo autem digreſſo (quod eſt plebis potentia turgentis ingenium) illicò in diverſas factiones diſceſſerunt. *Pediæorum* Dux erat *Lycurgus*, *Paraliorum Megacles* filius *Alcmæonis*, & *Diacriorum Piſiſtratus* cui ſe conjunxerat turba Mercenariorum maximè divitibus infenſa. Quamvis adhuc uterentur legibus, omnes tamen ſtudium rerum novandarum inceſſerat, cupiditaſque ſtatus Reip. mutandæ, quod in ea immutatione factio ſingula potiores partes ſe habiturum exiſtimabat.

39. Cùm hæc eſſet rerum forma, *Solon* reverſus & ſeorſim cum Principibus factionum congreſſus componere diſſidia ſtudebat, idque eo magis quod *Piſiſtratus* animum ipſi advertere videbatur. Erat is vir in colloquio blandus, iuvandorum pauperum ſtudioſus, circa inimicitias moderatus & famam captabat ex imitatione eorum quæ natura ipſi non aderant. *Solon* ingenium & inſidias hominis facilè deprehendit & ad ſanam mentem revocare conatus eſt.

40. *Piſiſtratus* autem tantam gratiam apud plebem inierat ut Tyrranidis ſpe elatus omnia conſilia facile contemneret. Tandem impoſitis ſibi ipſi vulneribus, bigis in forum provectus animos civium irritavit tanquam Reip. cauſa ita ab hoſtibus per inſidias acceptus, &, repugnante licet totis viribus *Solone*, effecit ut populus legem juberet, qua ſtipatores 50 cuſtodiæ corporis cauſa conduducere & alere poſſet. His ſtipatus arcem occupavit & Tyrannidem invaſit.

41. Summa

41. Summa rerum per triennium potitus est; quo finito *Megacles* & *Lycurgus* conjuratione inita cum expulerunt. At vero cum conjuratores inter se dissiderent, *Megacles* cum reduxit ea lege ut *Pisistratus* ejus filiam duceret, idque dolo satis ridiculo effectum est. Erat in tribu *Paanica* mulier nomine *Phya* statura quatuor fermè cubitorum, alioquì formosa.

42. Hanc omni armatura instructam & in curru positam eo habitu quo venustissima videretur, in urbem agunt præmissis qui *Athenienſibus* dicerent ut bona mente *Pisistratum* exciperent, quem *Minerva* ipsa præcipuo inter homines honore prosequuta in suam reducebat arcem. Cùm hoc modo statim rumor in tribus emanaret *Pisistratum* à *Minerva* reduci, qui in urbe erant persuasi hanc mulierem esse Deam ipsam, fœminæ supplicarunt pariter & *Pisistratum* acceperunt.

43. *Pisistratus* Tyrannide recuperata ex pactione inita *Megaclis* filiam in uxorem accepit, quæ à marito contumelia affici *conqueſta* patrem contra eum denuò irritavit, atque eo res rediit ut *Eretiam* se subducere cogeretur *Olympiadis* 54ᵃ anno tertio, cùm per decennium à potentia recuperata *Athenas* obtinuisset. Alterum decennium in exilio exegit, tunc autem ab *Hippia* filio ad aliquid audendum excitatus *Thebanis* & *Argivis* conductis *Marathonem* occupavit & *Athenienſibus* in fugam actis urbe haud magno negotio tertiùm potitus est. Tyrannidem iterum recuperatam

ratam haud aliis artibus quam ſocios quærendo pecuniis colligendis operam ſeduſam navando, inimicorumque filios in obſides accipendo ſtabilire conatur.

44. Illud enim *Piſiſtrato* ſolum objici potuit quod Tyrannidem invaſerat, vix aliud jugum ſenſerunt *Athenienſes* præter illud quod animis eorum incumbebat Imperii Monarchici impatientibus. Haud alia tributa exegit quam fructuum decimas Regibus ſolui ſolitas. Neminem necavit, exilio neminem multavit, neminem facultatibus exuit vel contumeliis affecit, *Solonis* leges & Magiſtratuum ordinem inviolatum reliquit, ipſumque adverſarium licèt, ſingulari benevolentia & honore proſequebatur.

45. Doctus ipſe de literis optimè meruit. *Græcorum* enim primus Bibliothecam inſtituit & *Homeri* poemata priùs diſperſa in eum ordinem redegit quem etiamnum retinent. Filiis ſuis *Hippiæ* & *Hipparcho* Principatum reliquit qui potentia moderatè uſi optime Remp. adminiſtrarunt, donec *Hipparcho* occiſo alter exacerbatus omni potentia tandem exciderit. Hæc cum *Dario Hyſtaſpis* filio regnante acciderint hujuſce loci non ſunt. Mortuus autem eſt *Piſiſtratus* eodem tempore quo *Cræſus Lydus* à *Cyro* victus, *Olympiadis* 57æ anno 2°. *A. M.* 3460.

SECT.

SECT. 5.

Regnum & Resp. Lacedæmoniorum antiquissima.

1. REgio à *Lelege* indigena primùm *Lelegis* & *Lelegia*, postea à *Lacedæmone Jovis* & *Taygetæ* filio *Lacedæmon* dicta est. Hic *Eurotæ* filiam *Spartam Mylis* neptim, *Lelegis* proneptim duxerat ex qua urbs *Spartæ* nomen accepit. Ita enim propriè appellatur, si inter eam & regionem distinctio fiat, quamvis nonnunquam *Lacedæmon* etiam audiat: Necnon urbis incolas *Spartiatas* rite appellaveris, regionis autem *Lacedæmonios*. Condita est hæc civitas *Crotopo Argis*, *Amphytrione Athenis* regnante anno 304 ante *Ilium* excisum, ante *Olympiadem* primam 712°. *A. M.* 2518.

2. *Lacedæmoni Amyclas* filius, huic *Argalus* successit, qui regnum *Cynortæ* fratri reliquit. Alter à *Cynorta* fuit *Oebalus*, à quo Regio *Oebalia* vocata atque *Castor* & *Pollux* apud *Statium* poetam, audiunt *Oebalidæ-fratres*. *Oebalus* autem ex uxore prima *Hypocoontem* genuit & *Icarium*, ex secunda *Gorgophone Persei* filia *Tyndareum* suscepit, qui cum fratre majori de regno contendebat. *Tyndareo Hercules* opem ferens *Hypocoontem* cum filiis decem occidit, regnum tamen illi ut usufructuario tantum

tantum tradidit, liberis ſuis olim reddendum.

3. *Tyndareus* ex *Leda Theſtii Ætoli* filia *Caſtorem* & *Pollucem* ſuſtulit *Dioſcuros*, ſeu *Jovis* filios dictos atque vel ex eadem vel alia aliqua *Helenam* filiam. *Helenam Menelaus* uxorem duxit (primùm à *Theſeo* poſtea à *Paride* raptam) atque cum ea regnum *Lacedæmonis* accepit, *Dioſcuris* ante *Tyndareum* mortuis. *Menelaus* ex *Helena Hermionem* genuit, quam prius *Oreſti Agamemnonis* filio nuptum datam abſtulit & *Pyrrho Achillis* filio tradidit. *Oreſtes* tamen æmulo occiſo eam recuperavit. Duos ex ſerva ſuſtulit filios *Menelaus*, *Nicoſtratum* & *Megapenthem*, qui cum toro illegitimo procreati eſſent, *Lacedæmonii Oreſti* Regnum tradiderunt.

4. *Oreſti Tiſamenus* filius in regnis ſucceſſit, quibus omnibus ab *Heraclidis* exutus eſt, ut ſupra monuimus. *Lacedæmon Procli* & *Euryſtheni* filiis *Ariſtodemi* ex ſorte obvenit. Ex hoc tempore *Lacedæmonii Dores* habiti ſunt, ex *Doribus* qui unà cum *Heraclidis* deſcenderunt. *Dores* autem iſti non ex *Doro Hellenis* filio nomen acceperunt, ex *Achæis* enim fuiſſe dicuntur qui *Troja* reverſi à gentilibus repulſi ſunt ad novas ſedes quærendas; atque à duce ſuo *Dores* ſunt appellati: Sin verò *Achæi* fuerint origine, tantum, imò plus, juris ſibi hac in regione vindicare potuerint quam *Heraclidæ*. Accidit hæc rerum imutatio anno circiter 80 poſt *Trojam* captam

ut

ut *Thucydides* quidem rationem putat, 327° ante primam *Olympiadem*, *Melantho Athenis* regnante. *A. M.* 2901.

5. *Eurysthenes* & *Procles*, cùm gemelli essent, atque uter in lucem primus ederetur obscurum maneret, æquo jure regnarunt. Illis inter se pessime convenit, atque æmulatio & discordia hæc ad posteros fuit propagata *Eurysthenidæ* & *Proclidæ* dictos. *Eurysthenis Agis* filius successit à quo posteri *Agidæ* nuncupati sunt: *Procli* vero *Soüs*. *Agis Helotas*, urbem incolentes ab *Helio Persei* filio minimo conditam, civitate privavit, & postea libertate, cùm tributum impositum solvere nollent; quibus in servitutem sic redactis, ex se tam celebri effectum re, ut omnia *Lacedæmoniorum* mancipia *Helotæ* dicerentur.

6. *Agidi* successit filius *Echestratus*, *Soo* autem *Eurypon*, *Euryphon* & *Eurytion* dictus. Ab hoc posteri *Eurytionidæ* vocati sunt. Regalem enim potentiam diminuendo primus Populi gratiam captabat, saltem plebi gratissimus fuit. *Echestrato* filius *Labotas*, *Eurytioni Prytanis* successit, quo regnante discordia primùm inter *Lacedæmonios* & *Argivos* orta est. *Labotam* excepit *Doryssus* & hunc *Agesilaus*. *Prytanis* autem *Eunomo* filio regnum reliquit.

7. *Eunomus* è stirpe *Proclidarum* oriundus ex uxore priori *Polydectem* genuit, ex posteriore *Lycurgum* anno 150 ante primam *Olympiadem*. Ex quo *Eurytion* nervos Regali potestati præ-

præciderat, populus ferocire cæpit & magna rerum perturbatio secuta est. In hac confusione *Eunomus*, cùm contentionem quandam dirimeret, cultro lanii ictus occubit regno relicto majori filio *Polydectæ*. *Polydectes* non multo post tempore diem suam obiit, & *Lycurgus* frater, illo sine liberis mortuo, regnum obtinuit.

8. Sed cùm cognitum esset fratris sui uxorem in utero habere, se tutoris loco tantùm Regnum administrare, si quidem masculus existeret, professus est: Et quamvis mulier se paratam ad abolendum fœtum significaret, modo ipsi *Spartæ* regnum tenenti nuberet, simulans se consilium hoc probare, sed ingenium fœminæ odio habens, quam primùm editus in lucem esset infans, regnum ei ultrò detulit in Regis solio collocato.

9. Regius puer *Charilaus* appellatus est ex eo quod animi magnitudinem & justitiam *Lycurgi* admiratus gauderet Populus. Virtus autem quæ laudem & amorem meruit vituperium & odium invenit. Mater enim pueri, quæ contumeliâ affecta sibi videbatur, cum cognatis & familiaribus, eum conviciis prosciidit quasi puero insidias pararet; quod ille ægerrimè ferens & incerta casuum metuens peregrinari statuit, dùm fratris filius ad adultam ætatem perveniret regnique hæredem progeneraret. Locos varios regionesque visit, *Homerique* versus nullo ordine concinnatos collegisse dicitur primusque in *Græciam* asportasse.

10. *Ly-*

10. *Lycurgum* autem absentem *Lacedæmonii* desiderarunt ac vocarunt sæpenumero. Omnia enim in præceps ruere videbantur. Populus quamvis officia omnia Regibus detrectaret, nondum tamen insanum desiderium expleverat seu malacia quadam libertatis laborans. *Lycurgus* Reip. morbum compertum habens, corpus omni genere morborum plenum purgando evacuare primùm, deinde novam diætam instituere decrevit. Sed religione hominum animos duci sciens *Delphos* proficiscitur, unde *Rhetram* attuliſſe fertur ſecundùm quam Remp. ſe ordinaturum dixit.

11. *Reges duos* ut antea Reip. præeſſe voluit titulo & nomine quidem tales, nullis autem Majeſtatis juribus, utpote quibus Senatui ſubjectis domi vix aliquid magni momenti, foris quidem exercituum præfectura demandabatur. *Senatus* ex *Senibus* annos 60 ut minimùm natis, præter Reges, conſtabat, quem Regibus oppoſuit ut Medius eſſet inter ipſos & Populum, & utroſque intra limites officii contineret. Nec erat rationibus reddendis obnoxius; quod quidem *Ariſtoteles* velut modum Reipub. liberæ excedens & iniquis deſideriis frænum laxans, quemadmodum & quædam alia in hac *Lycurgi* νομοθεσία reprehendit.

12. *Populus*, quicquid Reges perdiderint, haud multum lucratus eſt, Magiſtris 30, loco duorum, ſubditus. In concione enim à Senatu & Regibus habita, nulla de re referendi facultas ulli concedebatur: Multitudinis tantùm

tùm fuit ea quæ Reges & Seniores proposuerunt jubere. Ut autem hæc rerum forma perduraret, seditionum materia tollenda erat, hoc autem ut fieret: possessionum æqualitas erat invehenda. Aurum & argentum itaque prorsus sustulit, nummumque ex ferro conflavit.

13. Unà cives cænare voluit in Conventibus publicis *Andriis*, *Phyditiis* & *Syssitiis* dictis; Pueros educari & institui ex publico severissimè sub *Pædonomorum* & *Irenum* Imperio. Atque ut hos certaminibus exerceri voluit acribus quidem & periculosis, ita virgines quoque cursu, luctâ, discique & Mistilium jaculationibus, omni delicata educatione mollicieque muliebri sublata.

14. Ut luxui & vitiorum illuvici viam præcluderet, nemini peregrinari permisit, atque eos, qui *Spartam* nullius utilis negocii causâ confluebant, urbe expulit. Urbem ipsam muniri vetuit cui virtus civium pro mœnibus esset patriæ soli invigilantium. Nemini enim artes illiberales tractare licebat. *Helotæ* agros colebant, constitutoque Dominis reditus pendebant; ne autem in numerum his formidabilem augerentur, à juvenibus in agris latitantibus (unde *Cryptia* vocantur hæc certamina) crudeliter nonnunquam cæsi sunt.

15. *Lycurgus* absoluto opere eam gratiam invenit ut lapidibus peteretur atque oculum baculi ictu amitteret. *Valerius Maximus* eum furore publico ejectum aliquando, ad ultimum ipsa patria pulsum scribit. *Plutarchus* narrat

narrat eum Reges Senatum Populumque jure-jurando obstrinxisse, se usuros Reipub. forma jam constituta donec ille rediret, profecturus enim erat ut oraculum consuleret de uno eoque maximo quod adhuc faciendum restabat.

16. Cùm autem responsum accepisset Leges bene conditas esse, manuramque urbem clarissimam si *Lycurgi* institutis insisteret, statuisse cives nunquam sacramenti religione solvere, itaque abstinentia cibi vitam finiviſſe. Quidam retulerunt eum in *Creta* mortuum corpusque suum concremari & cinores in mare dispergi jussisse, ne reliquiis *Spartam* reportatis cives jurejurando se solutos existimarent. *Tertullianus* eum vitam finiisse vult inedia, propterea quod *Lacedæmonii* legum novarum mutationem aggrederentur.

17. *Lycurgo* mortuo Respub. jam quietè agens bellum cum *Argivis* redintegravit, atque arma contra *Tegeatas* (*Arcadiæ* Populum) & *Achæos* suscepit. *Charilaus* Rex à *Tegeatis* captus est sed statim dimissus. Illi successit filius *Nicander*; *Teleclo* verò ejus Collegæ *Alcamenes*. Anno *Nicandri* 34.° *Olympica* certamina ab *Iphito* restituta sunt priscis temporibus ab *Hercule* (tam *Idæo* quam *Alcmenæ* filio) *Pelope*, *Endymione*, *Neleo*, *Peliade*, *Lycurgo* aliisque celebrata.

18. Post *Heraclidarum* reditum *Oxylus* (qui ob illis navatam operam *Elidem* receperat) ludos istos etiam renovaverat sed per annos 300. iterum celebrari desierunt, donec *Græciâ* seditionibus agitatâ *Iphitus* ex illius

illius posteris Oraculi monitu eos restauraret. Locus unde denominationem acceperunt erat urbs *Olympia*. Quinto quoque anno incipiente celebrata sunt, cùm luna orbem suum impleret, paulo ante solstitium æstivum, mense *Hecatombæone*.

19. In *Græcis* autem certaminibus erat lucta, cursus, saltus, jactatio disci, pugillatus qui clavis fiebat quos cestus vocant: *Græci* hos πύκτας nominant. Ex istis quinque exercitamentis πεντάθλοι dicuntur & Quinquertiones Latinè. Notandum porrò secundum temporis intervallum à *Varrone* traditum in hac ludorum *Olympicorum* restitutione terminari. Ille enim tria discrimina temporum fuisse voluit.

20. Primum ab hominum principio ad Cataclysmum priorem quod propter ignorantiam vocatur ἄδηλον sive obscurum. Secundum à Cataclysmo priore ad *Olympiadem* primam, quod, quia in eo multa fabulosè referuntur, vocatur μυθικὸν sive Fabulosum. Tertium à prima *Olympiade* ad ipsius tempora quod dicitur ἱστορικὸν vel Historicum, quia res in eo gestæ veris Historiis continentur. Accidit autem hæc *Olympiadum* restauratio anno 408, post *Trojam* captam, 714 ante *Æram Christi*, *A. M.* 3229.

21. *Olympiade* septima exeunte Magna rerum mutatio *Lacedæmone* facta est. *Ephoratu* instituto, cùm anni 130 jam effluxissent ex *Lycurgi* νομοθεσία. *Ephori* numero quinque fuerunt ex plebe annuatim electi, quorum Primus

Primus *Elatus* hoc officium obtinuit. Plerique Scriptores eos initium sumpsisse volunt regnante *Theopompo Nicandri* filio *Charilai* nepote; quem autem in finem instituti fuerint obscurius est.

22. Multi contra Regum potentiam creatos volunt, alii autem à Regibus ipsis, cùm bellum ad versus *Messenios* traheretur, quòd ipsi expeditionibus occuparentur, quosdam amicorum delectos dicunt quos ut suos vicarios Populo reliquerunt, *Epboros* ab inspectione dictos. Hi, cùm primum nihil aliud quam administri Regum essent, paulatim potestatem sibi ipsis arrogarunt, magistratumque, animadvertente nemine, constituerunt. Quemcunque autem in finem creati fuerint, postea in tyrannidem crevit eorum potentia Regum ipsorum capitibus periculum intentans. Ex Collegii Principe *Eponymo* dicto anni singuli rationes publicæ desumptæ sunt.

23. *Olympiadis* 9ª anno secundo *Lacedæmoniis* bellum cum *Messeniis* ortum est, quamvis simultates ante *Epboratum* institutum oriri cæperint. Quòd enim *Cresphontes* dolosè *Messenicum* agrum sortitus fuisset, nepotibus fraudatis, *Lacedæmonii* ægerrimè tulerunt. Hæc invidia aucta est ex pugna ad *Dianæ* templum in confinibus situm commissa, qua *Teleclus Alcmenis*, qui nunc regnabat pater, confossus periit, utrisque tamen clamantibus se injuria affectos.

24. Odium tandem istud in bellum accensum est ex scelere fædissimo perpetrato ab

Evæphno

Euephno quodam *Lacedæmonio*. Hic enim cùm bobus sibi locatis fraudare conatus esset, *Polycharen Messenium*, fraude comperta, filium ejus etiam interfecit, quem secum mitti postulaverat ad precium accipiendum. *Polychares*, uti par erat, rei atrocitate exacerbatus sæpiùs eum ad pœnam deposcit, sed cum frustrà id faceret, *Lacedæmonium* quemque occurrentem ut homicidam interfecit.

25. Hinc *Lacedæmonii* excandescere & *Polycharem* ad supplicium poscere: *Messenii* autem vehementer inter se dissidere, an dederetur contendere donec ad manus ventum sit; sed pervicit sententia decernentium, cum, si ita res postularet, esse armis defendendum: *Lacedæmonii* ubi hoc resciverint, rem judicandam *Amphyctionum* aut *Areopagitarum* concilio permittere recusantes in expeditionem se accinxerunt Sacramento obligati se nunquam nisi *Messenia* superata domum reversuros.

26. Per multos annos pugnatum est successu vario. *Messeniis* tandem quorum patria belli sedes erat, multis difficultatibus pæne oppressis, cùm de rerum summa deliberarent, placuit oppida omnia quæ longiùs à mari abessent deserere & secedere in montem *Ithomen*. Facta hac secessione utrinq; per annos aliquot, à vi cessatum. *Lacedæmonii*, interjecto tempore, cum *Argivis* bellum gesserunt, de *Thyrea* in confinibus sita controversia acri orta. Populo utroque rem sententiæ *Amphyctionum* permittente, statutum est ut victoria

30 virorum utrinque pugnantium litem dirimeret. Et victoria quidem Senatus judicio è *Lacedæmoniorum* partibus stetit, sed *Argivi* se vicisse dicentes bellum (parùm fæliciter) redintegrarunt.

27. Anno octavo à secessione ad *Ithomen* facta, ad vim priorem à *Lacedæmoniis* & *Messeniis* reversum est, atque vario pugnatum eventu. *Messenii* primo congressu Regem *Euphaem* amiserunt in cujus locum *Aristodemus* electus est; secundo verò certamine auxiliaribus copiis *Arcadum Argivorum* & *Sicyoniorum* adjuti rem fæliciter gesserunt, cùmque jam *Lacedæmonii* de successu desperare viderentur, tam hi quam illi *Delphos* de belli exitu sciscitatum mittunt.

28. *Lacedæmonii* quod *Pythia* in omen victoriæ faciendum dixerat effecere, *Messeniosque* consternatos obsidentes tandem *Ithomen* deditione acceperunt exeunte belli anno 28°, *Olympadis* 14ª anno primo quo *Damon Corinthius* stadio vicit, *Medontidis* adhuc Principatum in decennium *Athenis* obtinentibus, regnante apud *Judæos Ezechia*, eodem tempore quo Tribus decem ab *Assyrio* Rege captivi deportati sunt.

29. Victores *Ithome* excisa, reliquisque *Messeniæ* locis in ditionem suam receptis onus victis imposuerunt agros colendi quorum fructuum dimidium *Spartam* quotannis deportandum erat. Juramento eos obstrinxerunt fidem perpetuam sibi servare, utque Regum *Spartanorum* funera tam viri quàm

fœminæ

fœminæ ſumpta pulla veſte proſequerentur.

30. Dum *Lacedæmonii* adhuc aberant juramenti conſcientia obſtricti, fama eſt eos ſolicitos admodùm de futura ſobole, ne gens *Spartana*, maritis ab uxoribus tam longè diſtractis, deficeret, robuſtiſſimorum juvenum 50 (qui ob ætatem cum domo diſceſſiſſent juramento obnoxii non erant) *Spartam* miſiſſe ut cum fœminis promiſcuè concumberent.

31. Ex hoc concubitu *Parthenia*, ſeu virginum proles, nati ſunt, qui poſtquam adoleuiſſent, cùm à nemine agniti nullas hæreditates ſibi adeundas viderent, rebus novandis ſtuduerunt, *Helotis* in conſilium aſcitis. Comperta verò conjuratione, ad novas ſedes quærendas abacti & *Italiam* delati, pulſis barbaris & *Cretibus*, regionem circa *Tarentum* incolentibus, erroribus ſuis finem impoſuere.

32. *Meſſenii* autem ſervitutis impatientes, cùm in poſterum etiam nihilo *Spartanorum* dominatum æquiorem ſibi fore ſperare poſſent, & pugnando mori ſatius omnino ducerent quàm penitùs è *Peloponneſo* emigrare, authore *Ariſtomene* nobiliſſimo juvene nova defectionis conſilia inierunt. Quare, cùm omnia ad bellum comparata eſſent auxilia, defecerunt, undequadrageſimo poſt *Ithomes* excidium anno, qui 4^s^ fuit *Olympiadis* 23^æ^ qua vicit in ſtadio *Hypereſienſis Icarus*, annuis Magiſtratibus *Athenis* imperantibus, Prætore (ſeu *Archonte* primario) *Theſia*. A. M. 3320.

33. A-

33. *Aristomenes*, ut erat vir tam animi quam corporis dotibus admirandus, *Messeniorum* res egregiè administravit, adeoque *Lacedæmonios* affixit prælio non semel fusos ut de pace cogitarent ex qua ineunda *Tyrtæus* poeta eos abduxit, ratione militum amissorum numerum ex *Helotis* complendi indicata. Ante annum enim unum aut alterum de bello Oraculum consulentibus *Pythia* responderat consiliarium ex *Athenis* arcessendum. *Athenienses* itaque rogati ut aliquem mitterent, invidia laborantes at oraculo veriti immorigeros se præbere, hunc miserunt pædagogum pedibus claudum atque animo quidem parùm constanti.

34. Anno belli tertio *Messenii* ad *Fossam Magnam* pæne ad internecionem cæsi sunt ab *Arcadibus* auxiliaribus deserti cùm ad manus deventum fuisset. Desertis itaque oppidis omnibus (authore *Aristomene*) præter *Pylum* & *Methonem* ad *Iram* montem se receperunt, ubi statim obsessi sunt. Per decennium duravit obsidio, donec *Aristomene* (qui sæpiùs erumpens *Lacedæmonios* male multaverat) sauciato, excubiæ adeò securè agebantur, ut hostibus in *Iram* aditus pateret; certamine autem acerrimo incidente *Aristomenes* discedendi facultatem facilè impetravit. Ita absolutum est hoc bellum simul ac *Messeniorum* servitus perfecta anno 16°, *Olympiadis* 28ª anno primo, *Archonte Autosthene*. *A.M.* 3337.

35. *Lacedæmoniis* in *Messenia* diripienda occupatis, *Spartam* aggredi statuit *Aristomenes*, communicato autem cum *Arcadibus* consilio, Rex eorum *Aristocrates*, qui ad *Fossam Magnam* eos priùs prodiderat, *Spartanos* de hoc consilio certiores fecit. Hinc quidem *Aristomenes* incæpto suo excidit, at *Aristocrates* perfidiæ pœnas dedit lapidibus à suis obrutus. Vere insequenti *Messeniorum* plurimi in *Italiam* navigarunt ab *Anaxilao Rhegii* Tyranno (originis *Messenicæ* viro) accersiti.

36. *Anaxilao* authore, *Zanclem Siciliæ* urbem obsederunt, receptique tandem in civitatem, urbem *Messenem* appellarunt. *Aristomenes* filias suas maximis viris locavit, & *Rhodum* brevi post tempore transiens apud *Demagetum* generum suum mortuus est vir clarissimus & inter paucos illos numerandus qui vixerunt simul & diem suum obierunt gloriâ florentes.

37. *Messenii*, quibus patriam relinquere religio erat, inter *Helotas* censi sunt, pessimoque servitutis genere oppressi, utpote qui non tam inimici quam æmuli fuissent; bellum enim hoc non tam de imperio quam de capite, uter populus esset, non uter imperaret, gestum est. *Messenia* in ditionem *Spartanorum* redacta haud parum res eorum augebat, perque annos bis centum in illorum potestate fuit, donec postliminio incolæ veteres redierint. *Messeniorum* autem reditus, atque quodcunque de *Lacedæmoniis* restat memorandum, cùm

hujusce

hujuſce temporis non ſit, in alium locum eſt conjiciendus.

Sect. 6.

Regnum Corinthiacum Antiquiſſimum.

1. *Corinthus* urbs in Iſthmo *Peloponneſi* ſita, & *Ephyra*, primùm dicta, à *Siſypho* condita eſt, *Athenis Cecrope* regnante, paulò ante *Diluvium Deucalionis*, circa *Annum Mundi* 2486.

2. *Siſyphus* cordatus vir ex *Merope Atlantis* filia *Glaucum Ornytionem Therſandrum* & *Olmum* genuit, primuſque in iſthmo ludos celebravit. *Glaucus Bellerophontem* genuit. *Bellerophontes* homicidii reus *Argos* fugit ubi à *Præto* Rege hoſpitio exceptus, cùm *Sthenobææ* Reginæ ad ſtuprum eum ſolicitanti conſentire nollet, apud Regem ejuſdem crimininis ab illa inſimulatur, in *Lyciamque* ablegatur ad *Iolam* Regem *Sthenobææ* patrem, cui in mandatis datum eſt ut è medio hoſpitem tolleret.

3. *Iolas* itaque cum *Chimæra* monſtro eum commiſit, quam *Pegaſo* inſidens ſuperavit & occidit, deinde contra *Solymas* & *Amazonas* miſit, quas etiam devicit: Poſtremùm cùm juvenes quoſdam robuſtiſſimos in inſidiis poſitos interfeciſſet, *Iolas* virtutem ejus admiratus filiam ſuam *Philonoen* illi in matrimonio locavit, & hæredem moriens reliquit.

Bellerophonte autem *Corintho* pulso : *Thoas Ornytionis* filius regnum obtinuit, cui succeſſit *Demophon*, & huic *Propodas*, cujus filiis *Dorida* & *Hyanthida* ſimul regnantibus, *Aletes Hippotæ* filius *Antiochi* nepos *Herculis* verò pronepos *Corinthum* ditionis ſuæ fecit.

4. Quis urbi hoc nomen dederit plane obſcurum, *Aletes* autem *Corinthum Jovis* eam appellavit in honorem *Jovis Dodonæi* cujus Oraculum illi regnum prædixerat. Hinc vulgus arripuit anſam gloriandi *Corinthum* quendam urbis conditorem *Jovis* fuiſſe progeniem, quod prædicare adeo geſtiebat ut nihil magis cum riſu à *Græcis* univerſis acceptum fuerit.

5. Poſt *Aletem Heraclidarum* natu maximi per multas ætates regnarunt. Horum primus fuit *Ixion*, ſecundus *Agelaus*, tertius *Prumnis*, & quartus *Bacchis*, à quo poſteri *Bacchiadæ* cognominati. Hunc ſequuti ſunt octo ordine, quorum, cùm poſtremus *Automenes* unum annum regnaſſet, *Bacchiadarum* plures 200 regnum occuparunt, electoque quotannis *Prytani* qui reliquis præeſſet, regimen *Ariſtocraticum* per annos 90 continuarunt.

6. Sub *Bacchiadis* ad hunc modum rerum ſumma potitis *Corinthii* Maris Imperium obtinentes, in *Siciliam*, duce *Archia*, coloniam deduxerunt, urbemque *Syracuſas* condiderunt. Eodem tempore in inſulam *Phæacum* aliam emiſerunt ex qua urbs *Corcyra* fundata quæ inſulæ ipſi nomen ſuum attribuit.

7. *Bacchiadæ* nec Imperium nec matrimonium cum aliis communicarunt. Quædam autem

autem *Labda* nomine, propterea quòd claudicaret, à ſuis nihili habita *Eetioni Echecratis* filio nupſit, qui de prole oraculum *Delphicum* conſuleus reſponſum acceþit filium ſe ſuſcepturum qui lapidis inſtar in Oligarchiam irruens eam comminueret. *Bacchiadæ* hujus non ignari infantem quamprimùm naſceretur opprimere conſtituerunt, decemque è ſuis miſerunt qui ſub ſpecie *Eetioni* congratulandi conſilium iſtud exequerentur.

8. Puerulus autem in ulnas acceptus illis omnibus adeo placidè arriſit, ut miſericordia moti illæſum relinquerent, ob quod, cùm ædibus egreſſi graviter ſibi ſuccenſerent, redirentque ad cædem perpetrandam, mater, audito eorum jurgio, infantem occultavit ſub modio qui cum Græcè κυψέλη audiat, inde puer *Cypſelus* fuit nominatus.

9. *Cypſelus*, poſtquàm ad ætatem virilem perveniſſet, populo benignitatis ſpecie decepto, Tyrannidem invaſit, *Olympiadis* 31 anno ſecundo, regnante apud *Medos Phraorte*, atque apud *Lydos Ardyi Cræſi* avo, cùm ex bello *Meſſenico* effluxiſſent anni 20, at 30 ex quo *Archontes* annui *Athenis Principatum* obtinuerant, *A. M.* 3350. Variorum cædibus Imperio confirmato mitem admodùm & benignum ſe præbuit adeò ut *Satellitio* nullo deinceps uſus fuerit. Mirandum quidem exemplum quod *Gelon Syracuſanus* ſibi ſolus omnium Tyrannorum imitandum propoſuit.

10. *Cypſelo* poſt annos 30 mortuo ſucceſſit *Periander* filius, qui rebus ſuis timens Satellites 300 conquiſivit, & timeri maluit quàm amari. Principio moderatum ſatis eum fuiſſe ſcriptores perhibent, paulatim in ſæuum & immanem degeneraſſe. *Meliſſam* duxit *Proclis* (ſeu *Patroclis*) *Epidauri* Tyranni filiam ex qua duos ſuſtulit filios *Cypſelum* & *Lycophronem*: Eam tamen gravidam, ſcortorum hortatu, calcium ictu interfecit.

11. *Lycophron* matris cæde vehementer perturbatus patri immorigerum ſe præbuit, atque inde tantæ ſimultates ortæ ſunt ut pater eum tandem *Corcyram* ablegaret. Aliquot vero annis elapſis, cùm *Periander* ſenio confectus rebus agendis eſſet parùm idoneus, nec magis *Cypſelus* ob ſtoſiditatem, eum domum accerſivit, nec tamen reditum ejus pretio minore quàm poteſtatem ſe exuendo & locorum commutatione redimere potuit: Cùm de omnibus tamen conventum fuiſſet, *Corcyræi* omnia ſibi potiùs ſubounda ducentes quàm ut *Periandrum* reciperent, juvenem è medio ſuſtulerunt.

12. *Periander* ex cæde filii, & ex eo præcipuè, quòd *Corcyræos* punire non poſſet, tantum concepit dolorem ut diem ſuum obiret pæne. *Octuagenarius*, cum per annos fermè 40 regnaſſet, inter 7 ſapientes à quibuſdam habitus, Tyrannus crudeliſſime acerbus, in re militari inſignis, utpote qui inter arma plerumque tempus ſuum tranſegiſſet, mari denique potentiſſimus cui portus commodiſſi-

mi

mi erant, tam ad *Ionium* quam *Ægeum* mare. Mortuus est *Olympiadis* 48 anno quarto, post *Solonianas* leges *Athenis* receptas 7°, *A. M.* 3420.

13. *Periandro* defuncto Tyrannis ejus haud diu superfuit. Eam in triennium & menses 6 occupavit *Psammeticbus* filius *Gordiæ* fratris, vel consanguinei, *Periandri*. Ab hoc tempore Monarchiâ abrogatâ Populus rerum summam obtinuit quamdiu libertas Græciæ ipsius duravit. Hujus Reip. forma ex veterum monumentis haud nobis innotuit; ex *Plutarcho* tamen constat plebis potentiam non ita dissolutam ac *Syracusis* fuisse.

14. Rerum tamen status Popularis omnino fuit, cum nihil majoris momenti nisi Populo jubente decerneretur. *Corinthii*, si qui alii, Monarchiæ inviſi fuerunt, uniusque imperium minimè omnium in Græcia tolerarunt, quo nomine magna sæpe bella susceperunt, duxque ex hac civitate missus ad Tyrannides abolendas semper fuit pergratissimus.

SECT. 7.

Regnum Thebanum Antiquissimum.

1. *Boeotia* ab occidente *Phocide* terminabatur, ab Oriente mari *Euboico*, à boreali plaga *Locris Orientalibus*, ab *Austro Attica* & *Megaride*. Ejus Metropolis *Thebæ*

 fuerant,

fuerant, quas quis condiderit obscurum plane. *Calydnus* hoc in loco primus regnasse dicitur, post eum verò *Ogyges*, sub quo Diluvium illud vetustissimum in *Græcia* accidit ab illo *Ogygium* dictum annis 1020 ante primam *Olympiadem*, regnante *Argis Phoroneo*. Tandem *Cadmus* hanc regionem obtinuit cum *Sicyone* regnaret *Corax*, *Argis* vero *Danaus*, anno vero 347 post *Ogygis* initium.

2. *Cadmus*, ut Græci quidem volunt, *Agenoris* filius fuit, *Beli* fratris, *Danai* verò & *Ægypti* patruelis, qui *Ægypto* in *Phæniciam* profectus præter *Cadmum* ex *Telphussa* genuit *Phœnicem* & *Cilicem* filios, & *Europam* à *Jove* raptam. Fratres tres ad sororem quærendam dimissi sunt, reditu, nisi eam reducerent, interdicto. *Cadmus* itaque post varios errores in *Bœotiam* venit, ubi Oraculo monitus, cùm jam de sorore desperaret, vel *Thebas* condidit vel restauraſſe videtur, arce addita quæ ab illo *Cadmea* nomen habuit. *Harmoniam Martis* & *Veneris* filiam duxit. Literas ex *Phœnicia* in *Græciam* primus attulit, inde *Phœnicias* dictas atque postea *Pelasgias* quia earum usus *Pelasgis* primùm innotuit.

3. Ex *Harmonia Cadmus* filium *Polydorum* genuit & filias 4 *Semelen*, *Ino*, *Autonoën*, & *Agaüen*. *Semele Jovi Dionysium* peperit seu *Bacchum* vini inventorem, *Ino Athamæ Æoli* filio *Hellenis* nepoti *Actæonem* à *Canibus* suis devoratum; *Agaue* autem *Pentheum Eetioni*, *Cadmus* ab *Enchelois* vocatus

qui

qui bellum cum *Illyriis* gerebant, *Thebas Polydoro* reliquit & ſuper *Illyrios* domitos regnavit. Imperio confirmato filium *Illyrium* genuit, qui ab hoc populo nomen recepit vel illi tribuit. Poetæ *Cadmum* & *Harmoniam* nunc in angues verſos fuiſſe fingunt quia, prioribus moribus exutis, barbariem videntur induiſſe.

4. Ita quidem ſe res *Cadmi* habuerunt, *Græcis* deſcribentibus. Quamvis autem eum honoris cauſa Regis filium fuiſſe aſſerant, *Sidonii* tamen ejus conterranei illud omnino negant, affirmantque Regis coquum hunc hominem cum *Harmonia* fidicina quadam aufugiſſe. Adventus ejus in *Græciam* in idem tempus incidit quo *Joſuæ* adminiſtratio à pleriſque ponitur, unde optimè colligi videtur eum coloniam *Canaanitarum* ſedibus ſuis à *Jeſu* exutorum in *Græciam* deduxiſſe, nomenque habuiſſe ex *Cadmonim* ſive *Hevæis* ſic appellatis quòd montem *Hermonem Cananæa* partem Orientalem incolerent.

5. Huc accedit quòd ex *Hermone* monte uxor ejus *Harmonia* ritè potuerit appellari, fabulaque eorum in angues verſorum inde oriri quòd *Hevæus Syriacè* id genus ſerpentum ſignificet. Quòd literas in *Græciam* tranſtulerit multa fidem faciunt. *Bacchi* etiam ritus videtur attuliſſe, unde ejus avus fingitur, cùm *Nimrodes* verus *Bacchus* fuerit. Urbem hanc *Thebas* nominavit, cujus nominis urbs in *Cananæa* alia fuit libro *Judicum* memorata, à *Joſepho* quoque plurali numero

Thebæ dictæ, quæ vox *Limum* significat.

6. *Polydorus Cadmo* patri succedens ex *Nyctei* filia *Nyctei Labdacum* genuit, quem moriens soceri sui fidei reliquit: *Antiopen* alteram *Nyctei* filiam rapuit *Epopeus Sicyoniæ* Rex ex qua injuria bellum ortum est, aniboque ex vulneribus interierunt. *Labdaco* itaque *Lycus Nyctei* frater tutor est datus, qui cùm summa fide omnia administrasset, *Labdacus* moriens *Laium* infantem etiam illi educandum tradidit. *Lycus* autem, qui *Antiopen*, secundum quod *Nycteus* præceperat, puniebat, cum *Amphione* & *Zetho* ejus filiis, prælio commisso, occubuit, *Thebæ* sunt captæ & parum abfuit quin *Laius* infans periisset.

7. *Amphion* & *Zethus Antiopes* filii Regnum *Thebarum* obtinuerunt. *Amphion*, Musicus adeo insignis ut arte sua lapides ad turres extruendas traxisse dicatur, *Nioben* duxit *Tantali* filiam *Pelopis* sororem, quæ, cùm sobolem numerosam peperisset, se *Latonâ* ipsâ fœcundiorem jactans, totam perdidit. *Apollo* enim mares occidere jussus est, *Diana* verò fœminas, unde *Niobe* adeò ex dolore stupefacta fuit ut in lapidem verti fingatur. *Amphion* autem postea cum suis omnibus ex peste interiit: *Zethus* ob filium ab uxore fortuitò occisum contabuit, adeò ut, ambobus fratribus è medio sublatis, *Thebani* Regnum *Laio Labdaci* filio restituerint.

8. *Laius Jocasten* duxit *Menœcei* filiam ex qua filiam sustulit quem, propterea quòd ex Oraculi monitu de eo cavere juberetur, com-

pedibus

pedibus vinctum expoſuit; at infans ad *Polybum Corinthi* Regem delatus ab eo ſanatus (pedes enim illi valde intumuerant unde nomen *Oedipus* attributum) & educatus eſt. Longo poſt tempore cùm ille de prole & hic de parentibus neſcio quod incertum audiret, ambo ad oraculum profecti ſunt. In *Phocide* fortuitò obviam ſunt facti, ubi *Laius* imperioſe ſatis alteri jubens ut via cederet, à filio ira percito & de parente ſecuro occiſus eſt.

9. *Laio* mortuo, *Crion Jocaſtæ* (ſeu *Epicaſtæ*) frater Regnum occupavit quod eo uſque tenuit donec *Oedipus* ænigma *Sphingis* explicaret. Monſtrum hoc, cui caput & facies fœmininæ, inferiora membra inſtar leonis, & alæ in ſuper attributæ ſunt, monti *Phiceoni* inſidens ænigmata propoſuiſſe dicitur advenis, quæ quicunque non ſolveret capite ipſo pœnam lueret, ſin explicare valeret, cum *Jocaſte* Regnum in mercedem acciperet.

10. *Oedipodi* ænigma propoſitum ſic ſe habuit: *Quid illud eſt quod pedibus duobus, tribus & quator incedit?* Ille de homine explicavit qui infans adhuc pedibus & manibus innixus humi repit, quam primùm adoleverit erectus pedibus incedit, ſenio autem pœnè confectus innititur ſcipioni. Quidam hoc monſtrum fœminam fuiſſe ſævam & deformem dicunt, quæ ex præda victum quærens advenis inſidias ſtruebat.

11. Cùm autem *Laii* filiam ſpuriam eam fuiſſe *Pauſanias* ſcribat, alii ob ſapientiam egregiam ei negotium datum putant æmulorum

de

de Regno jura exanimandi, quos cùm falsi convictos capitali supplicio afficeret, inde ansam Poetæ arripuerunt fabulam illam comminiscendi. *Ægyptii*, ob summam prudentiam hujus fœminæ, monstro hoc ut sapientiæ & fortitudinis hieroglyphico usi sunt.

12. *Oedipum* matrem suam duxisse & *Thebanorum* Regnum obtinuisse fama est. Tandem autem omnia in lucem prodierunt, tam de parricidio quàm incestu. *Jocaste* suspendio vitam suam finiit. *Oedipus* à filiis in custodia detentus, & *Athenas* etiam pulsus dicitur, ibique apud *Theseum* Regem diem suum obiisse. Filios duos vel ex matre vel *Euryganea* susceperat *Eteoclem* & *Polynicem*, quorum prior Regnum cum fratre se communicaturum dicens fidem non liberabat. Hanc injuriam ulsciscì volens *Adrasti Argi* Rex *Polynicis* verò socer, præsertim à legatione sua violata, bellicosissimos juvenes undique convocavit ad *Thebas* oppugnandas.

13. Duces septem egregii se Sacramento hujus belli obstrinxerunt, inter quos præcelluit *Amphiaraus* qui *Eriphilen Adrasti* sororem duxerat. Post varios certaminum casus conventum est ut fratres ipsi singulari pugna litem dirimerent, quod tamen factum non est, mutuis enim vulneribus uterque pariter concidit, pugnaque acerrima sequuta est, qua omnes *Adrasti* commilitones cecidêre, atque ipse vix evasit equo celerrimo *Arione* vectus. Victoria tamen hæc, *Thebanis* pæne concisis, tanti constitit ut *Cadmea Victoria* in

pro-

proverbium abiret. Accidit hoc bellum *Thebanum* annis 28 ante *Ilii* cladem.

14. *Eteocles* filiolum reliquit *Laodamum* dictum, cujus tutelam suscepit *Creon Jocastæ* frater. *Argivos* hic sepliri vetuit donec *Theseus* illud precibus suis obtineret. Decennio autem à bello exacto, cùm *Laodamus* adolevisset, occisorum filii *Epigoni* dicti, ut pœnas de *Thebanis* sumerent, bellum aliud susceperunt, quo *Laodamus* simul cum urbe captus est, quamvis *Pausaniæ* ex pugna eum evasisse scribat ad *Illyrios*.

15. *Epigoni*, urbe capta, *Thersandrum Polynicis* filium Regem constituerunt, qui *Bœotios* contra *Trojam* ducens in *Mysia* à *Telepho* occisus est. Cùm *Tisamenus* ejus filius puer adhuc esset, *Bœotii Peneleum* sibi præfecerunt qui cum *Eurypbilo Telephi* filio congressus in pugna occubuit.

16. *Peneleo* mortuo *Tisamenus Thersandri* filius *Thebis* regnavit. Filius ejus *Autesion* ad *Dorienses* migravit, in cujus locum electus est *Damasichthon*, *Ophelta* filius, *Penelei* nepos, quem sequutus est *Ptolomæus*. *Agmen* claudit *Xanthus* à *Melantho Messenio* in singulari certamine occisus, quo tempore, de *Celanis* in confinibus sitis, *Thebanis* cum *Athenienſibus* bellum oriebatur, ut alibi diximus. Hoc autem accidit annis 56 ab *Ilio* excisо, ante *Heraclidarum* reditum 24°, ante *Codrum* occisum 57°, ante *Olympiades* ab *Iphito* restitutas 252, *A. M.* 2877.

17. *Xan-*

17. *Xantho* occiso, una cum *Gelanis Thebani* Monarchiæ renunciarunt, cùm illis visum esset non unius sed multorum Imperio subesse. *Pausania* teste, ex quo tamen scriptore parùm constat, qualis Reipub. forma constituta fuerit, sive scil. *Oligarchia*, sive *Democratia* quæ tandem obtinuit, cùm *Persæ* rerum summam adepti essent, *Græciaque* ipsa maximè floreret, quo tempore de *Thebanis* plura.

CAP. VI.

Origo & Regnum Romæ Imperio Babylonico Contemporanea.

SECT. I.

Origo Urbis Romæ.

1. URbs *Roma* in *Latio* sita est Occidentali *Italiæ* tractu ad fluvium *Tibrim*. Locum *Siculi* primùm incoluisse dicuntur. Hos expulêre *Aborigenes Oenotriorum* soboles ita dictorum quod auspiciis *Oenotri Lycaonis* filii ex *Lycaonia* (postea *Arcadia*) ad sedes novas quærendas egressi sunt.

2. *Pelasgii*

2. *Pelasgii* quidam se *Aboriginibus* adjunxerunt, qui ex *Hæmonia* (*Thessalia* tandem dicta) fugerunt; atque *Arcades* qui *Evandrum Mercurii* & *Themidis* Nymphæ filium sequuti sunt à *Palantio* oppido cujus nomen colli dederunt, super quem posuerant sedes suas. Non longo abhinc tempore *Hercules* ex *Hispaniis* reversus *Peloponnesios* quosdam reliquisse dicitur qui collem *Saturnium* vel *Capitolinum* incoluêre, regnante jam super *Aboriginibus Fauno*.

3. *Fauni* pater *Picus* dicitur filius *Saturni* qui *Creta* ab *Jove* filio in *Italiam* fugiens a *Latendo* nomen *Latii* huic regioni attribuit. Quidam *Stercen* hunc hominem dictum & *Picum* cognominatum volunt, ex quo *Laurentinum* Regnum (à *Laurento* urbe sic appellatum, sicut hæc à *Lauro* arbore) originem traxit.

4. *Faunus* hic seu *Fatuus* sororem habuisse dicitur, atque eandem uxorem *Faunam* seu *Fatuam*, quæ furore correpta res prædicere solebat, unde tales fatuari dicti sunt. Sed cùm filius *Martis* & sub *Baccho* in *India* meruisse dicatur, cùm audiat *Sylvanus* & *Invius* atque etiam *Pan*, ipse *Pan Arcas* omninò habendus est cujus cultum in *Italiam Euander* attulit. Tantum abfuit ut in *Latio* regnaret.

5. Post *Faunum Latinus* regnasse dicitur à quibusdam hujus, ab aliis *Herculis* filius habitus. Anno autem *Latini* 35°, ab *Herculis* decessu 55°, *Æneas* post varios errores cum *Trojanis*

Trojanis suis *Laurentum* appulit propè *Tiberis* ostium. *Æneæ* filius *Anchisæ* fuit, *Capis* nepos, pronepos *Assaraci* fratris *Ili* & *Troïs* Regis filii. Cum *Trojanorum* res jam deploratas vidisset, in arcem se receperat, ex qua, *Græcis* in urbe expugnanda occupatis, se cum turba quadam ad *Idam* montem subduxit.

6. Inde facultate decedendi impetrata, mari & ventis se committens post varios errores, locis multis frustra aditis, tandem anno secundo cum turba 600 hominum in *Italiam* venit. Quum enim *Virgilius* Poeta non nisi anno 8° demum eam in *Italiam* venisse canat, multaque de *Didone* quæ anno quidem 310 à *Troja* capta *Carthaginem* condidit, hæc haud aliter ac poetica figmenta habenda sunt & gratis dicta.

7. *Æneas*, agro accepto, opem *Latino* contra *Rutilos* tulit, quibus devictis, *Laviniam* filiam ejus uxorem duxit, unde urbs postea condita *Lavinium* est vocata. Socero in prælio contra *Rutilos* qui rebellaverant occiso, successit anno sequenti, subditosque suos omnes tam in ejus honorem, quam ut animos eorum mutuò sociaret, *Latinos* nuncupavit. Anno demum 7° à *Troja* excisa, à *Latino* mortuo quarto, cùm *Mezentius Hetruscorum* Rex rebus suis timens contra eum bellum moveret, in prælio acerrimo quod nox sola diremit, disparuit, sive occisus sive fluvio *Numicone* absorptus. In cœlum tamen à suis recipi creditus, delubro honoratus est sub titulo *Jovis Indigitis*.

8. *Æneæ*

8. *Æneæ* succeſſit filius *Aſcanius Eurylcon* dictus antequam in fuga nomen commutaretur; ſive autem ex *Creuſa* ſive à *Lavinia* ſuſceptus fuerit perquam eſt obſcurum. Anno circiter triceſimo à *Lavinio* condita hanc urbem novercæ relinquens coloniam eduxit condiditque *Albam Longam*. *Aſcanio* poſt annos 28 ſucceſſit *Sylvius* frater, *Lavinia* filius quæ poſthumum hunc metu illius in *Sylvii* abſcondita peperiſſe dicitur.

9. *Iulus Aſcanii* filius de Regno litem movebat, ſed placuit populo ſacerdotium apud eum poſterosque ejus manere. Ex *Sylvio* ſucceſſores omnes *Sylvii* cognominati ſunt qui hoc ordine recenſentur, *Æneas Sylvius*, *Latinus*, *Alba*, *Capetus*, *Capys*, *Calpetus* ſeu *Carpentus*, *Tiberinus* (qui in *Albula* ſubmerſus nomen *Tiberis* fluvio impoſuit) *Agrippa*; *Alladius* (ſeu *Aremulus* & *Romulus*) *Sylvius*, *Aventinus*, *Procas Sylvius*.

10. *Procas Albæ* Rex 13 filios duos reliquit *Numitorem* & *Amulium* quorum hic, fratre majori ſolio dejecto, Regnum occupavit. Filium ejus occidit, filiamque *Rheam* (ſeu *Sylviam* vel *Iliam*) ſacerdotem *Veſtæ* (ne ſobolem haberet) conſecravit. Anno autem Sacerdotii quarto, ab aliquo compreſſa geminos peperit *Romulum* & *Remum* qui, matre vel necata vel carceri perpetuo mandata, in fluvium, Regis juſſu, projiciuntur.

11. Accidit autem ut ab aqua ſubſidente in arida relictis lupa ubera admoveret, donec

à

à *Fauſtulo* bubulco Regio inventi fuerint qui eos inter regios paſtores educavit. Quidam exiſtimant *Accam Laurentiam* quæ authore *Fauſtulo* eos nutriebat, non hujus uxorem ſed amicam fuiſſe, & cùm *Lupa* diceretur (ut & fœminarum ex corporibus quæſtum facientium ædes *Lupanaria Romanis* dictæ) inde fabulam ortam eos ex *Lupa* fuiſſe nutritos.

12. Pueri poſtquam adoleviſſent de origine ſua certiores facti *Amulium* occidunt avumque *Numitorem* reſtituunt Regno. *Pacatis* jam *Albæ* rebus, coloniam educendi eos cupido inceſſit, *Numitorque* conſilium eorum probans agrum ubi educati fuerant illis impertiit, cum civibus quoſcunque fratri noverat addictiores & quotquot novis ſedibus patriam poſthaberent. *Trojanorum* plerique nomina ſua profeſſi ſunt (quorum familiæ 50 uſque ad *Dionyſii Halicarnaſſei* tempora manſerunt) locique ipſius incolæ *Palantium* & *Saturniam* habitantes in album colonorum ſunt adſcripti.

13. Fratres opus novum aggreſſi de urbis loco in maximam diſcordiam inciderunt, dum montem *Palatinum*, in quo educati fuerant, *Romulus*, *Remurium* verò *Remus* eligeret. Res tandem avi judicio permiſſa, cujus monitu, ex auſpicio lis tota tollenda erat. *Remus* monte *Aventino* ſex vultures primus habuit, *Romulus* autem duodecim in *Palatino*. Hinc crevit diſcordia dum ille tempore, hic numero ſe potiorem diceret, & uterque Rex à ſuis eſt ſalutatus. Tandem ad pugnam ventum qua

qua *Remus* vitam pariter & Regnum amisit. Tunc pro arbitrio *Romulus* omnia administrans *Aventinum* montem muro circundare liberè potuit.

14. Hæc quidem de urbis origine receptissima atque sententia maximè probabilis est inter quamplurimas. Quidam ex *Romo Æneæ* filio, alii ex *Æneæ* ipso, nonnulli ex *Latini* & *Romæ* cujusdam filiis, quidam ex *Remo Circe* & *Ulysse* genito, atque etiam ex aliis alii *Graci*, eam conditam scripserunt. Nec *Romanis* quidem scriptoribus inter se de patria convenit. Quidam *Æneæ* filios conditores nominant, alii ejus ex filia nepotes. *Antiochus* denique *Syracusanus Romæ* cujusdam ante bellum *Trojanum* conditæ meminit, adeò ut quibusdam videatur hæc urbs non semel condita, vel condita semel ab aliis denuò reparata.

15. Sive autem nova colonia ex *Albania* deducta sive urbs vetus reedificata fuerit, de postremæ ædificationis tempore valde diversa est scriptorum sententia. *Timæus Siculus Romam Carthagini* æqualem facit atque conditam anno 38° ante primam *Olympiadem*. Eorum autem quorum sententiæ magis probantur quidam eam conditam volunt *Olympiade* Sexta cujus annum primum præfert *Velleius Paterculus*, annum tertium nonnulli, atque *Varro*, tam *Græcorum* quàm *Romanorum* doctissimus, quartum, ex sententia scil. *Tarrutii* Mathematici egregii.

16. M.

16. *M. Porcius Cato* urbis æram ex *Olympiadis* Septimæ anno primo deduxit. *Fabius Pictor Olympiadem* Octavam, & *L. Cincius* Duodecimam prætulit. Ex his omnibus *Varronis* rationem sequi magis rationi consentaneum videtur, quæ *Romam* ut diximus conditam vult, *Olympiadis* 6ª anno 4°, *Jothami* Regis *Judæ* 6°, *Pekæ* verò *Israelis* 7°, eodem tempore quo *Ephori* Spartæ creati sunt, cùm *Charops* primus *Archontum Decennalium Athenien sibus* præesset. *A. M.* 3252.

SECT. 2.

[*Ab urbe condita usque ad Regnum eversum*] *Spatium Annorum* 245.

1. *Romulus* annos 18 natus urbis fundamenta posuit 11° *Calendas Maias* (*Octobris* 4° anni *Juliani*) inter horas 11 & 12, cùm *Sol* esset in *Libra*, *Luna* in *Jugo*, *Jupiter* in *Pisce*, *Saturnus*, *Venus*, *Mars*, & *Mercurius* in *Scorpione* ut *Tarrutius* quidem Mathematicorum nobilissimus rationem putavit. *Varro*, *Ovidius*, aliique *Romam* fundatam volunt, *Parilibus* seu *Palilibus*. *Parilia* à pariendo dicuntur, atque adeo *Hyades*, sub quibus urbs condita est, *Parilicium* & *Palilicium* sydus nominantur. *Pales Romanis* Dea pabuli fuit, cui Sacra *Calendis Maiis* facta *Palilia* vocantur. *Cappellus* à primo *Januarii* & *Capricorni*

curui novilunio post menses tres à fundamentis jactis, ex *Tarrutii* sententia urbis annum primum cæpisse putat.

2. Colonia ex equitibus 300 peditibus 3000 tantùm constabat, quibus, ut major numerus accederet, omnibus transfugis apertum est *Asylum*. Populus secundùm numerum in tribus tres divisus, tribus singula in 10 curias, atque curia singula in totidem *Decurias*; secundùm dignitatem in *Patricios* & *Plebeios* patronatûs & clientelæ jure invicem devinctos. *Senatus*, quem populus elegit ex Patriciis 100 constitit, à *Senio* ita dictus, vel à *Sinendo*, si *Festo* fides habeatur. Juvenes etiam 300 in satellitium Regis electi sunt, *Celeres* dicti vel à *Celeritate* consiliorum exequendorum, ut plerique, sive à *Celere* eorum Præfecto, ut *Valerius Antias* scripsit.

3. *Politia* autem Regni hujusmodi fuit. *Regis imprimis erat superstitionem curare, leges item & consuetudines sive scriptas sive ex Juris naturalis fontibus emanantes; jus dicere in rebus gravioribus, levioribus senatus arbitrio permissis, in quem etiam Regi jus erat, Senatum habere, populum convocare, sententiam suam primo loco proferre, & quod pluribus videretur ratum esse jubere.* Domi quidem Regi erant præscripti nimis angusti potestatis cancelli, militiæ autem potentia limitibus nullis circumscripta.

4. *Senatus erat de propositis à Rege deliberare & statuere. Populi in concione congregati Magi-*

stratus

ſtratus creare, leges ferre deque bello jubere quæ Rex proponeret, adeo tamen ut Senatûs authoritas intercederet. Cùm enim Curiæ ſuffragia ſua tuliſſent, Plebiſcitum ad Senatum relatum eſt, qui mos poſtea videtur mutatus, dum non Senatus Plebiſcita, ſed Populus Senatus conſulta confirmaret.

5. *Romulus* leges plures eaſque laudandas tulit, quarum pleræque haud ſcriptæ ſunt. Siquis aget hoſti adimeretur, eò coloniam deducendam voluit, atque incolas *Romam* transferendos & civitate donandos. Adeo autem de matrimonio bona jura conſtituit ut per annos 520 divortium nullum factum fuerit, donec *Olympiade* 137ª *M. Pomponio* & *C. Papirio* Coſſ. *Sp. Carvilius* uxorem ſuam dimiſerit. Quamvis etiam id prolis cauſa feciſſet, ut cenſoribus juravit, odio tamen populus eum ſemper eſt proſecutus.

6. Nimiam quidem poteſtatem in liberos parentibus permiſit; prohibuit artes ſordidas & luxui inſervientes, Militiam & Agriculturam ſolas exerceri volens, & nundinas intra ſpatium dierum 9 ſemel tantum concedens. Ipſe, in foro tribunali conſtituto Celeribus 300, & Lictoribus, faſces ſecurium & virgarum geſtantibus, in majeſtatis reverentiam ſtipatus, jus dicebat.

7. *Romulus* ſecum reputans quàm gravi invidiâ gentium vicinarum premeretur, affinitatem earum quæſivit. Sive fœminarum inopiam metuens ſeu quòd belli occaſionem captaret, ludos ſolennes inſtituit, ad quos, cùm multi

multi undiquaque confluerent, signo dato, virgines eorum rapiendi suis author fuit. Raptæ sunt 683, ob eamque causam grave bellum conflatum, cum *Sabinis* præcipuè qui, Capitolio proditione capto, *Romanos* vehementer premebant.

8. Cùm uterque populus de eventu anxius esset, fœminæ, quarum causa inimicitiæ ortæ fuerant, legatione susceptâ, parentes cum maritis in gratiam reduxerunt his legibus. 1. Ut *Tatius Sabinorum* Rex æquali Majestatis jure cum *Romulo Romæ* regnaret. 2. Ut urbs quidem *Romæ* à *Romulo*, cives autem à *Curibus*, Patria *Tatii*, *Quirites*, audirent. 3. Quicunque *Sabinorum* vellent civitate donarentur.

9. *Tatius* Regni *Romani* particeps factus post quinquennium à *Laviniis* interfectus est, propterea quòd latrones quosdam dedere recusaret. *Romulus* moderatè satis ferens Collegæ cædem injuriâ affectis satisfecit: *Fidenates*, *Crustuminos*, & tandem *Vejentes* devicit, quibus victoriis aliisque rebus gestis elatus, cùm prosperâ in omnibus fortunâ usus fuisset, Tyrannus est factus, Senatu nunquam nisi ad placita ejus sancienda habito. Hinc tantam invidiam ex isto ordine in caput suum conflavit, ut, concione ad *Capræ* paludem celebrata, verba ad populum faciens disparuerit illico, in cœlum rapi dictus cùm à Senatoribus discerperetur.

10. Annos vixit 55, regnavit 57, urbem magnis incrementis auxerat, peditum 46000, equitibus verò 1000 relictis. Avo mortuo in

Albano

Albano Regno ſucceſſerat quod per alios adminiſtrabat. Nonis quintilis obiit ſeu *Juliani* anni *Maii* 26°, qui dies *Nonæ Caprotinæ* dictus à loco cædis, & *Fuga Populi* quòd *Plebs* conſternata ſe in fugam conjeciſſet.

11. Poſt interregnum anni unius, quo Senatus Reipub. præfuit, *Numa Pompilius Sabinus* in Regem electus eſt. Hic urbem armis conditam legibus ornavit, *Jano* Templum ædificavit quod bello ſemper pateret, claudereturque pace. *Celeres Romuli* exauctoravit. *Flaminibus* duobus *Jovis* & *Martis* tertium *Romuli* addidit. Pontifices, Veſtales Virgines & Fæciales inſtituit, annumque reformavit, *Januarium* & *Februarium* decem reliquis Menſibus addendo vel ſaltem præponendo.

12. Religio ejus *Pythagoræorum* cultui maxime accedebat, cùm aliis in rebus, tùm quòd Dei imaginem nullam haberi permiſit; numen enim immortale & inviſible mente ſola percipitur, neque quidem per annos 170 imago ulla *Romanis* in uſu fuit. Cùm autem *Pythagoræ* conſuetudinem habuiſſe dicatur, vel inde falſi hoc arguitur, quòd Philoſophus non niſi poſt annos 100 à morte ejus natus fuerit. *Pythagoræ* autem *Lacedæmonio* quodam familiari uſus eſt qui de ordinanda Repub. conſilium illi dedit, in *Italiam* profectus *Olympiade* 16ª, à cujus anno tertio *Plutarchus* ſcribit *Numam* Regnum ſuum auſpicatum fuiſſe.

13. *Numæ*

19. *Numa*, postquàm annos regnasset 43, vixisset 80, successit *Tullus Hostilius Olympiadis* 27ª anno 2, qua stadio vicit *Eurybates Atheniensis*, *Archonte Leostrato*, *Manassis Judæ* Regis 31°, *A. V. C.* 83. *A. M.* 3333. Filius *Hostilii* fuit qui ad Capitolium fortiter se gessit contra *Sabinos*, atque ex ea gente *Herstiliam* duxit. Divisione agrorum gratiam populi captabat, Montem *Cœlium* intra pomœrium constituit, bellicosus etiam omnes rationes belli quærebat.

14. Cùm *Albani* ex agro *Romano* prædas agerent, inde ansam bellandi *Hostilius* arripuit, *C. Cluilio* eorum Dictatore haud aliter erga pacem affecto. Ex quo autem *Cluilius* mortem obiisset, animos *Albani* deposuerunt, quamvis *Metius Suffetius* in ejus locum suffectus ad res miscendas se totum applicaret, præcipue quòd *Fidenates* eventum expectantes tam in horum quàm illorum pernitiem conspirarent. Convenit itaque ut duo fratrum terniones *Horatii* & *Curiatii* pugna inita litem dirimerent. Principio duo *Horatiorum* occisi sunt, tertiusque coactus fuit cum tribus congredi, ita tamen se recipiens ut cum singulis per vices pugnaret, victoriam obtinuit, victrixque in eo *Romæ* triumphavit.

15. *Hostilius Albanos* haud crudeliter tractavit; sed propterea quod *Suffetius* summâ perfidiâ usus cum *Fidenatibus* & *Vejentibus* conjurationem iniviisset, eum damnatum supplicio capitali affecit, *Albam* ipsam complanavit, *Romæ* quamvis Metropolim & oppi-

dorum aliorum 30, (circiter) postquam per annos stetisset 487.

16. *Hostilius* autem, *Fidenatibus* devictis, *Sabinos* etiam vicit, atque bellum cum *Latinis* suscepit, quòd *Romanis*, qui Metropolim subjugârant, nollent obedire. Moderatè admodùm res utrinque gesta est per quinquennium, jamque de pace cogitari cæptum, cum è medio sublatus est *Tullus* seu fulmine cum tota familia ictus, seu ex successoris insidiis (quod plerique crediderunt) postquam annos regnasset 32.

17. *Tullo* mortuo atque *Interrege* electionem administrante, Rex electus est *Ancus Martius Numæ* ex filia nepos anno 2° *Olympiadis* 35ª, in quo stadio vicit *Sphædrus Lacedæmonius*, *Archonte Damasia*, *A. V. C.* 115. *Ancus* sacris & paci se totum devovens, atque propterea timidus & segnis habitus, statim suscitatus est à Latinis qui, multâ prædâ captâ, bellum redintegrabant.

18. Ille autem hos facile superavit, necnon *Fidenates*, *Volscos*, *Vejentes*, & *Sabinos*. Ponte *Romam Janiculo* junxit. Carcerem ad fontes puniendos fecit in urbe media. Pomærium produxit, atque etiam *Romana* ditionis fines usque ad Mare, ubi ad *Tiberis* ostium *Ostiam* condidit mercimonii causa. Annos regnavit 24 eorum qui præcesserant nulli secundus.

19. *Anco* successit *Lucius Tarquinius* origine *Græcus* filius *Demarati Corinthii* è *Bacchidis* oriundi, qui, *Cypseli* Tyrannide constitutâ, in *Hetruriam* venerat, ubi ex matrona

Hetrusca

Hetrusca duos filios susceperat *Arruntem* & *Lucumonem*. *Aruns*, nondum natis liberis, decessit, at posthumus in lucem editus est puer *Egerius* dictus ex paupertate.

20. *Demaratus* enim, brevi post filii obitum, dolore confectus moriebatur, atque adeo *Lucumo* hæreditate totâ additâ ditissimus factus, cùm honores in *Hetruria* nullos consequi valeret, *Romam* venit, ubi ab *Anco* humaniter exceptus nomen ex *Lucumone* in *Lucium* mutavit, addita ex patria *Tarquinia* cognomine. Uxor etiam *Tanaquil Gaia Cæcilia* fuit appellata.

21. *Tarquinius* ab *Anco* Rege Senatorum albo inscriptus Populi gratia valdè floruit bello & pace clarus, Rexque fidem ejus & integritatem satis perspectam omnibus existimans, eum tutorem filiorum suorum reliquit. Ille autem, pueritiâ horum spretâ, oratione ad Populum habitâ, Regnum qua potuit arte petebat. Quòd peregrino honor iste satis competeret ex *Tatii* & *Numæ* exemplis docuit, sed liberalitatem maxime suam prædicans voti compos est factus, anno 2° *Olympiadis* 41ª, qua stadio vicit *Cleonidas Thebanus*, *Archonte Eniochide*, *V. C.* 139. *Josiæ Judæ* Regis 30°, *A. M.* 3390.

22. *Tarquinius* Latinos pacem petere coegit, *Sabinos* bis devicit, atque etiam *Hetruscos* novem annorum bello, qui in fidei testimonium illi Majestatis insignia miserunt ultrò, Coronam auream, sellam eburneam, sceptrum cujus summo aquila insidebat,

tunicam purpuream auro intertextam togamque purpuream prætextatam figuræ semicircularis in qua à *Lydorum* & *Persarum* Regum vestimentis differebat: Atque his nonnulli secures 12 addunt pro tot urbibus. Moris enim fuit ut cujusque oppidi Magistratus unam haberet, dux autem exercitus 12 secures ante se gestatas.

23. *Romulus* ex viris centum, ut diximus, Senatum constituit. His adjecti totidem *Sabinorum* erant civitate donatorum *Patres Conscripti* inde apellati. His ducentis addidit alios centum *Tarquinius Patres Minorum* gentium dictos. *Vestalium Viginum* numerum à quatuor ad septem auxit. Forum ornavit: Muros antea raptim extructos reparavit lapidibus, quorum singuli plaustra singula onerarent; & cloacas fieri curavit ad sordes in *Tiberim* devehendas; opus adeo Magnificum ut *Censores* in iis repurgandis mille talenta elocaverint

24. Equitum tres centurias totidem à *Romulo* institutis addere decrevit, sed ab *Attio Nævio* Augurum Clarissimo jussus ne à *Romulo* invecta mutaret, numerum hominum geminauit, tribus centuriis ut antea relictis. Tandem cùm annos regnasset 38, vixisset 80 vel circiter, ab *Anci Martii* filiorum insidiis occisus periit, *Priscus* cognominatus ex quo *Nepos* ejus ob morum pravitatem *Superbi* nomen accepit.

25. *Tarquinio Prisco* successit *Servius Tullius* anno quarto *Olympiadis* 50ª qua in stadio vicit

vicit *Epitelides Læco*, *Archonte Archestratide*, *A. V. C.* 176. *A. M.* 3427. *Servius* dictus est quòd ab *Ocrisia Serva* natus uxore Regii cujusdam viri, quam gravidam relictam (cùm maritus in *Corniculi* Latinæ urbis expugnatione occubuisset) *Tarquinius* Reginæ donavera. In domo *Tarquinii* natus & educatus, indolis egregiæ quotidiè documenta dedit, unde dignus habitus qui tam domi quam militiæ rebus præsset, ob mores & prudentiam Populo Charus, atque *Tarquinii* demum gener est factus.

26. Cùm *Tarquinii* filiorum nullus supereſſet, nepotes tantùm infantes duo; Regina artibus ſuis effecit ut puerorum tutor conſtitueretur, quod conſequutus adeo plebis gratiæ velificavit, ut Senatus authoritate parvi habitâ, ringentibus patribus conſcriptis, *Comitiis Curiatis* in Regem eligeretur. Regno confirmato agrum publicum egenis diſtribuit, leges 50 in *Comitiis Curiatis* tulit de contractibus & injuriis, Colles *Viminalem* & *Eſquilinum* addidit quinque reliquis omneſque 7 muro circundedit, urbem in 4 partes diſtinxit & tribum quartam addidit.

27. Sicut *Romulus* Populum ſecundùm ſedes & communionem in ſacrificiis in *Tribus* & *Curias*, hic ſecundùm facultates in 6 claſſes diſtribuit, quorum prima ex iis conſtabat qui numerare potuerunt aſſes 110000, quatuor aliæ eos continebant quorum cenſus erat graduatim ex quarta parte minor, & ultima hos qui nihil vel parum poſſidebant.

28. Classes autem 6 in Centurias 198 distributæ sunt, quarum prima 98 continebat, equitum scil. 18 & peditum 80; secunda 22, Artificibus annumeratis; tertia 20; quarta 22; quinta 30; & sexta unicam constituit Centuriam. Census tam hominum quam facultatum secundùm Centurias faciendus erat, unde quamvis divites numero inferiores essent, in plures tamen Centurias distincti plus æris & hominum bellis contribuebant.

29. Nec pauperes hinc quod gloriarentur habuêre, omni imperio eodem instituto exuti. Cùm enim in *Comitiis Curiatis* antea numero suo pollerent: *Servius* in rebus gravioribus Centuriarum Comitia haberi voluit. Primùm ad suffragia ferenda vocanda erat Classis prima quæ ex Centuriis 98 ditissimorum constabat. Hæ, si ejusdem essent sententiæ, vicerunt, quia reliquarum omnium numerum superabant, sin vero suffragia diversa tulissent, aliæ Classes vocatæ sunt donec Centuriæ 97 concordarent.

30. Sin autem hoc non accideret, postquam suffragia tulisset Classis quinta, tandem ultima pauperrimorum unicam Centuriam continens vocata est, quod rarissime fiebat. Notandum enim Tironibus vocem hanc *Centuriam* non centum homines sed hominum divisionem certam denotare, atque in his *Centuriatis Comitiis* non singulum hominem sed *Centuriam* singulam, ex hominibus quotcunque constiterit, suffragium tulisse.

31. Cùm

31. Cùm censum *Tullius* instituisset ex quo tàm hominum numerum quam facultates perspicere posset, *Lustrum* ordinavit à *Luendo* ita dictum ut *Flustrum* à *Fluendo*, *Varrone* judice. Censu facto, cives armati in *Campo Martio* coibant, in sua quisque Classe & Centuria propria, atque *Solitauriliorum* (seu *Suovetauriliorum*) sacrificio urbs lustrata est, porco, ove & bove mactato.

32. His factis, *Lustrum* conditum est quinquennio quoque iterandum, quinto enim anno *Censu* seu pecuniæ solutio fiebat, atque hinc *Lustrum* à *Luendo* seu solvendo dici videtur. Post Reges pulsos, *Consules* & demum *Censores* opus istud peragebant. Distinguendum autem inter *Lustrum Romanum Vetus*, & *Novum* sive *Julianum*, ex annis *Juliani* quatuor constans, quorum postremus dies 366 continet absque ulla horarum accessione. Manifestum enim videtur *Lustrum* vetus & Proprie dictum quinquennium absolutum fuisse complexum, atque cum *Olympiade* nullo modo quadrare posse.

33. *Lustro* primo, 84700 Cives *Romani* censi sunt, ad quorum numerum augendum Seniorum manumissionem induxit, quos pileo donatos in tribus 4 distribuit. Primùm quidem non nisi ob graves causas postea verò ob maleficia à dominis malis manumissi sunt. Adeò ut non immeritò urbi rerum Dominæ *Dionysius* succenseat, quòd *Censores*, Senatoribus & Equitibus loco suo motis, nunquam perspexerint quis dignus esset cui Civitas daretur.

34. *Tullius* non *Patriciorum* & *Senatus* tantùm authoritatem ſed *Regium* etiam jus valde diminuit, ut *Populi* potentiam augeret. *Latinis* author fuit *Templum Dianæ Romæ Ædificandi*, ubi quotannis convenientes feſtum agerent, litesque mutuæ judicio publico tollerentur; idem quod ab *Amphyctionibus Græcis* factum, à *Conſilio Ionum Epheſi* celebrato & *Dorienſium* conſeſſu *Epitropii* habito. Nummum primus pecudis imagine ſignavit unde *Pecunia* dicta, cùm antea *Romani* rudi maſſâ ſolâ uſi fuiſſent.

35. Ita res domi adminiſtravit *Servius*. Foris cum *Hetruſcis* bellum geſſit, quos poſt tres triumphos iterum ſubjugavit. Qui autem publicus inimicitias facile ſuperaverat domeſticis prorſus impar fuit. Cùm enim filias ſuas duas tot *Tarquinii* nepotibus conjunxiſſet, nequiſſimam bono, bonam autem peſſimo, illa huic perſuaſit ut, mutuo parricidio conjugibus ſublatis, matrimonium inirent; quo facto *Servius* qui Regnum dolis & abſque Patrum conſenſu occupaverat tollendus erat, populus verò in hanc rem conciliandus.

36. Cùm autem *Servii* gloria conatus omnes facile ſuperaſſet, *Tarquinius*, uxore impellente, ſocerum è medio tollere decrevit. In Senaculum veniens Senem ex ſella Regali januam uſque traxit, & in Comitium præcipitem dedit, poſtea domum revertenti percuſſores immiſit. Filia nequiſſima ſuper patris cadaver media in via jacens currum ſuum agi voluit, unde locus, *Cyprius* Vicus antea,

Vicus

Vicus Sceleratus appellatus est. Hunc finem habuit *Servius* postquàm annos 44 regnasset vir moderatus qui invidiam à regno occupato contractam modestis moribus aboleverat. Potentiam Populo permissurus videbatur, quod Patritii sentientes *Tarquinii* partibus se adjunxerunt, ut Senatus authoritatem sartam tectam conservarent.

37. *Lucius Tarquinius* vi Regnum *Romanum* obtinuit anno 4° *Olympiadis* 61ª in qua *Agatharchus* stadio vicit, *Heraclio* seu potiùs *Heraclide Archonte*, *Cyri* 26°. *V. C.* 220. *A. M.* 3471. Ex ingenio violento *Superbi* cognomen habuit, omnia enim pro arbitratu suo egisse dicitur, sublatâ Senatus & Comitiorum authoritate, cædibusque & rapinis urbe completâ. Bellum contra *Volscos* suscepit quod non nisi post 200 annos finitum est, & *Sabinos* devicit. Cum *Æquis* & *Hetruscis* fœdus inivit. Ex *Volscis Gabios* urbem cepit & *Suessam Pometiam*, cujus spoliis ædificationem Capitolii aggressus est, ut votum *Tarquinii* avi solveret, qui bello contra *Sabinos* ultimo, Templa voverat *Jovi Junoni* & *Minervæ*, & magnis impensis lævigârat rupem.

38. *Tarquinio* anus quædam libros novem attulisse dicitur, quos cum rejiceret ob pretii magnitudinem, abiit, tribusque igni traditis, sex reliquos reversa haud minore precio obtulit. Iterùm eam Rex ut insanam rejecit, at illa, cùm tres tantum supereſſent, hos tertiùm haud minoris indicavit. Hoc demum velut prodigium ad Augures relatum, quibus

placuit ut hi *Sibyllini* Libri (ita enim audiebant) quantoliber pretio emerentur; quo facto mulier protinus disparuit.

39. Quum libros *Sibyllinos* emisset *Tarquinius*, duosviros illis inspiciendis præfecit, qui soli eos, cum esset opus, adirent, dictique sunt *Duumviri Sacrorum*. Pòst auctus numerus & facti sunt *Decemviri Sacrorum* lege *Sextia Licinia* in contentione ordinum receptâ duobus annis antequam consulatus communicaretur plebi. Multo deinde tempore pòst additi sunt quinque, qui numerus postea mansit. Ex Senatus consulto hi libri consulebantur cum Resp. seditionibus laboraret, clades magna fuisset bello accepta, vel prodigia apparuissent. Servati sunt in arca saxea sub *Capitolio* eò usque donec locus una cum iis conflagraret. Postea in aliis urbibus & ædibus privatis conquisiti sunt quibus *Romani* uterentur, inter quos cùm nonnulli spurii essent, genuini ex *Acrosticis* dignoscebantur.

40. Propterea autem quòd anus hæc quæ libros *Tarquinio* attulit *Sibylla* audiat (quod nomen mulierem denotat cui *Jovis* consilium communicatum est) de istis mulieribus pauca sunt addenda. Prima *Sibylla* secundùm *Varronem* fuit *Persica*, sive *Chaldæa* vel *Hebræa*, *Noe* nata quæ prope *Mare Rubrum* est, patre *Barossò* & matre *Erymantha*, cui proprium nomen *Sambetha*. Altera *Libyca*. Tertia *Delphica Themis*. Quarta *Cumæa* in *Italia* ex *Cimerio Campaniæ* vicino *Cumis* oppido. Quinta

Erythræa.

Erythræa. Sexta *Samia* nomine *Phyto*. Septima *Cumana* nomine *Amaltheæ* quæ ab aliis *Herophile* vel *Demophile* nominatur.

41. *Suidas* eam *Hierophilen* vocat, novemque libros ad Regem *Tarquinium* atruliſſe ac pro eis trecentos poſtulaſſe *Philippæos* ſcribit. *Plinius* 3 non 9 librorum meminit ac combuſtis duobus tertium ſuperfuiſſe dicit. Octava *Sibylla Helleſpontiaca* fuit in agro *Trojano* nata vico *Marmiſſo* circa oppidum *Gergetium* quam ſcripſit *Heraclides Ponticus Solonis* & *Cyri* fuiſſe temporibus. Nona *Phrygia* quæ vaticinata eſt *Ancyræ*. Decima *Tiburs* nomine *Albunea*, *Tiburi* ut Dea cultajuxtà ripas amnis *Anienis*, cujus in gurgite ſimulachrum ejus inventum eſſe dicitur tenens in manu librum.

42. Has *Sibyllas* tradidit *Varro*. Feruntur & aliæ nonnullæ ut *Colophonia Eliſſa*, *Caſſandra Priami* filia, *Epirotica Sibylla*, *Theſſalica Manto*, *Tireſia Thebani* filia. Poſſet & *Carmentis Arcas Evandri* mater & *Fauna* (vel *Fatua*) *Fauni* Regis ſoror & Conjux iſtis annumerari. *Strabo* duas *Sibyllas Erythris* vixiſſe vult, quarum altera *Alexandro Magno* regnante floruerit.

43. *Tarquinius* autem Populum ex *Capitolii* ſtructura aliiſque operibus vilioribus irritatum, ut animos illis diminueret, præcipue ut avaritiæ ſuæ inſerviret, contra *Ardeam Rutulorum* urbem omnibus rebus abundantem eduxit. Hanc dum arcta obſidione premeret, *Sextus* filius ejus natu maximus vim intulit

Lucretiæ

Lucretiæ Tarquinii Collatini uxori, ex quo scelere tanta conflata est invidia, ut Rex unâ cum stirpe tota & Regno ipso exterminaretur, quod vulgo notissimum. *Tarquinius* hic *Collatinus* dictus est à *Collatia* quam *Latinis* ereptam *Egerio* nepoti suo *Posthumo*, hujus patri, tradiderat *Tarquinius Priscus*.

44. Exilii Regii authores præcipui fuerunt *Lucretius Lucretiæ* pater, *Publius Valerius* & *L. Junius Brutus*. Hic *Marci Junii* filius erat ex quodam *Æneæ* sociorum oriundi. *Marcus Tarquiniam* duxerat *Tarquinii Prisci* filiam ex qua hunc *Lucium* susceperit, & tandem à *Superbo* unà cum filio Majore natu interfectus est ut in mortui bona Rex involaret. *Lucius*, patre necato, Patrimonio spoliatus, coactus fuit stultum agere ex quo *Bruti* cognomentum accepit, at cùm acri ingenio esset, occasionem Tyrannum tollendi sedulus expectavit. A *Collatino* itaque in consilium adhibitus, postquam *Lucretia* sibi manus intulisset, cultrum cruentum accepit, & per *Martem* alioque eorum Deos jurare adstantibus persuasit *Tarquinium* se cum progenie tota expulsuros, nec permissuros unquam ut ullus postea *Romæ* regnaret.

45. Ratione consilium exequendi à *Bruto* exposita, conjuratores de forma Reipub. futura disceptarunt. Tandem illius sententia placuit, qui haud meliorem viam & rationem iniri posse confessus est illâ à *Romulo, Pompilio* cæterisque Regibus initâ, qua Resp. optimè fuerat administrata, donec ab eorum tramite

Tarquinius

Tarquinius deflecteret. Quædam autem, cur Regnum in tyrannidem degeneraverat in causa fuisse existimavit, ideòque in futurum prorsus abolenda. *Regni* etenim nomen in *Remp. Regis* & *Monarchiæ* in modestiora vocabula commutandum.

46. Non unum sed duos rebus præesse voluit, & Majestatis insignia augustiora quæ Populi invidiam excitarent missa prorsus faciendo nisi triumphis & festis diebus. Hujusmodi erant *Sceptra*, *Coronæ aureæ vestesque purpureæ auro intertextæ*. Sellam autem *Eburneam*, vestem albam purpura fimbriatam *Prætextam* dictam, & lictores fasces & secures gestantes in usu adhuc manere. Addidit potestatem perpetuam nequaquam tolerandam, sed annuam tàm modestiæ quam libertati conducere; Nihilominus Regis nomen, ne interiret, Patritio cuidam tribuendum qui, superstitionis curam gerens, quoad viveret *Rex Sacrorum* diceretur.

47. *Brutus* autem Senatusconsulto in rem facto (prout moris erat) cùm sacrificulorum princeps esset, Populum convocat, & *Lucretiæ* cadaver cruore consperſum concioni spectandum proponitur. Inde ille ansam arripiens omnia quæ potuit in *Tarquinios* exaggeravit, tamque Populum quam Senatum inauditis injuriis affectum demonstravit pluribus. Tam ex filiorum indole quam *Tarquinii* ipsius ingenio haud meliora speranda affirmans, & facili negotio rem quam agebant perficiendam, Plebiscitum obtinuit quo decretum est *Tarquinios*

quinios cum universa progenie profligandos, cautumque capitis periculo nequis verbis vel factis eorum reditum molinetur.

48. Hæc *Comitiis Curiatis* statuta sunt, placuitque præterea viros duos Reip. præficiendos quos Populus in *Centuriatis Comitiis* deligeret. *Brutus* ad Concionem moderandam *Interregem Sp. Lucretium* nominavit qui, ad *Campum Martium* Comitiis remotis, *Brutum* & *Collatinum* eligendos proposuit, quibus Regia potestas in annum demandaretur. Rem suffragiis suis universæ centuriæ approbarunt. Tunc nuncius ad campum est missus qui militum defectionem solicitaret.

49. Rex anteà *Romam*, contentiori quamvis itinere, properans clausis portis repulsam tulit, & campum reversus cùm ibi etiam à militibus rejiceretur, in exilium abiit jam Canus, *A. V.C.* 244° secundùm *Catonem*, 245° autem ut *Terentius Varro* rationem putavit, exeunte *Olympiade* 67ª, vel incipiente 68ª. *A. M.* 3496. *Plinius Tarquinium* pulsum scribit anno eodem quo *Athenis Pisistratidæ*, & *Clemens* eodem tempore quo *Babylonem* recepit *Darius Hystaspis* filius. Hæc acciderunt circiter 20 annos postquam *Cyrus*, Monarchiâ *Persarum* inchoata, *Babylonico* Imperio finem imposuisset.

Ele-

Elementorum Historiæ.

LIBER SECUNDUS.

Imperium Persicum atque huic Contemporanea.

CAP. I.

De Imperio Persico.

SECT. I.

Ab initio Imperii usque ad mortem Cambysis.

1. CYrus, Imperio confirmato, Captivitatem *Judæorum* solvit, facta illis in Patriam remeandi copia, cùm anni 70 à *Jeremia* prædicti jam effluxissent. Cum *Zorobabele* principe & *Josua* Sacerdote, 42462 reversi sunt, anniq; Imperii *Persici* Secundi Mense secundo

cundo fundamenta *Templi Secundi* sunt posita, exædificatio autem *Chuthæorum* æstu fuit impedita ad *Darii* usque annum alterum. Hoc affligebat *Danielem* nonagenarium qui jejunio hebdomadum trium se macerans Magnam & ultimam visionem de futuris *Persiæ* Regibus, de *Alexandro* & successoribus ejus habuit. An autem usque ad quartum *Cyri* annum superfuerit parùm constat.

2. De *Cyri* obitu varia & prorsus incerta narrantur. Quidam illum *Tomyri Massagetarum* Reginæ insidiis oppressum volunt, cujus historia vel pueris nota. *Ctesias* ex vulnere contra *Derbices Scythiæ* Populum accepto mortuum scribit, *Xenophon* autem in pace extrema senectute confectum & de animæ immortalitate inter filios & amicos differentem. Si exercitus totus cum Rege periisset parùm probabile videtur *Cambysem* voluisse, copiis in *Ægyptum* translatis, fines Regni *Scytharum* incursionibus nudos exponere. Scriptores certe qui res gestas *Alexandri Magni* memoriæ tradiderunt *Cyrum Pasargadis* sepultum scribunt, sepulchrumque ab *Alexandro* apertum. *Malela* eum in navali prælio contra *Samios* occisum vult.

3. *Lucianus* usque ad annum centesimum vixisse scribit, cùm vix septuagessimum excesserit. Annos regnavit 30 à *Mediæ* Regno inchoato numerandos. Quot autem regnaverit ab everso *Babylonico* Imperio non plane constat. Quidam decem (circiter) numerant, atqui alii tres tantum, qua de re *Ludovicus*

Cappellus

Cappellus in Chronologia Sacra consulendus. Duos filios sustulit *Cambyses* & *Smerdim* seu *Xanaoxarem*, si ias verò tres *Atossam*, *Meroen* & *Artystonam* quibus *Amytin* addit *Ctesias*. *Cambysi* Regnum, *Smerdi Mediæ Armeniæ* & *Caduſiorum* præfecturam reliquit. Si qua fides *Xenophontis Cyropædiæ* habenda sit.

4. *Cambyses* Patri succedens contra *Amasim Ægyptium* copias statim duxit, sive quod filiam ejus in uxorem petens *Apriis* filiam accepisset, sive, quod magis videtur, ut successor (belli jure) *Nebuchadnesaris* qui *Ægyptum* subjugaverat; quamvis sacerdotes hoc seduli celarent. *Arabiam* Regis ope securè transiens facile voti compos est factus. *Amasi* enim mortuo successerat filius *Psammitichus* qui *Persarum* viribus impar prorsus succubuit & cùm Captivus rebus novis animum adhiberet, taurinum sanguinem bibere coactus est.

5. *Ægypto* in ditionem *Persarum* redacta, *Cambyses*, *Carthaginenses*, *Æthiopas*, & *Ammonios* aggredi statuit: *Phœnicii* autem, quibus in re navali maxime confisus est, contra *Carthaginenses* colonos suos pugnare noluerunt. Ipse, *Æthiopas* versus itinere suscepto, cum nullum commeatum sumpsisset, decimo quoque milite comesto, redire coactus est, atque 50000 hominum contra *Ammonios* missa arenæ aggeribus obrui dicuntur. *Memphim* itaque reversus in *Ægyptiorum* sacra sæviit: Sororum suarum unam & alteram duxit.

6. Fratrem

6. Fratrem in *Persiam* remissum, quòd arcum *Æthiopicum* solus intendere valeret, cùm per somnum vidisset nuncium qui *Smerdim* in solio sedere & cœlum vertice attingere diceret, interfici curavit: Sororemque minorem, eum paricidii hujus arguentem, & gravidam calcium ictu necavit. Minime prætermittendum est responsum illud Judicum qui, *Cambysi* quæstionem ferenti, Nullane lege liceret ei sororem ducere, responderunt. *Nullam quidem talem legem Persis esse, extare autem unam qua Regi integrum erat facere quodcunque vellet.*

7. *Cambyse* in suos sic quidem grassante, *Patizithes* Magus, quem familiæ suæ præfecerat, & cui de morte *Smerdis* satis constabat, fratrem habens tam corpore quam nomine Principi necato simillimum, deficiendi occasionem arripuit, Magumque fratrem pro *Cyri* filio venditans caduceatores emisit qui undique hominibus suaderent *Smerdi Cyri* filio potiùs quam *Cambysi* obediendum. *Cambyses*, hoc audito, seróque fratris morte deplorata, *Susas* contendere ad rebellionem reprimendam statuit, equum verò conscendens ab ense vaginâ elapso vulnus in femore accepit, quo putredine correpto, mortuus est postquàm annos regnasset 7 & menses 5, nulla sobole relicta.

SECT.

SECT. 2.

A Morte Cambysis usque ad Xerxis interitum.

1. *Smerdis* Magus (*Mardus Sphendadates* & *Oropastes* dictus) 7 illos menses regnavit qui ad Octavum *Cambysis* annum explendum deerant. Quamvis enim Rex in ultimis constitutus totum facinus palam fecerat, obnixè rogans nobiles circumstantes ut Magum castigarent, hi tamen fidem illi non habebant, quòd *Prexaspes* parricidii minister rem adhuc celaret. Postea, cùm *Smerdis* nusquam prodiret, re olfacta, fraus ex *Otanis* filia *Magi* & *Cambysis* concubina detecta est, indicio facto ex mutilatione aurium quas *Cyrus Smerdi Mago* præcidisse *Otanes* meminerat.

2. In *Magos* itaque conspirarunt nobiles *Persæ* septem: *Otanes*, *Aspathines*, *Gobryas*, *Intaphernes*, *Megabyzus*, *Hydarnes*, & *Darius*. In Regiam penetrantes haud magno negotio illos obtruncarunt, deinde de Repub. iniverunt consilium. Variæ formæ laudatæ sunt. Tandem *Darii* de Monarchiâ sententia plurimis arrisit. Cùm Rex eligendus esset, placuit ut in suburbana mane equitarent, & ille cujus equus hinniret primus Imperium *Cambysis* obtineret.

3. *Da-*

3. *Darius* Imperium obtinuit *Oebari* Equisonis sui astu qui equum ejus, nocte superiori, eodem loco feminæ admoverat. Filius *Hystaspis* fuit filii *Arsamnis* qui frater erat *Cambysis Cyri* patris. Quamvis hic regnum obtinuerit, videtur tamen ejus Imperium in modum *Dictaturæ perpetuæ* fuisse, ita ut cæteri *Tribunitiam Potestatem* simul acciperent. Inter *Magorum* enim cædem & ejus regnum tàm in Scriptura sacra quam alibi aliorum Regum mentio fit, atque omnes conjuratores tandem è medio sustulisse dicitur, quod ex meru & invidia eum fecisse nonnullis videtur admodum verisimile. Anno ejus secundo, ædificatio Templi *Hierosolymitani* renovata est, illo ipso authore sumptusque omnes affatim præbente.

4. Regnum in *Provincias* 20 divisit, *Persis Satrapias* dictas, tributumque singulis primus imposuit, unde cùm *Cyrus Pater, Cambyses* vero *Dominus, Darius Institor* audivit. *Intaphernem*, quòd Regiam intrasset, vi janitoribus illatâ, capitali supplicio affecit. Anno ejus 18° *Babylonii* rebellarunt, animis sumptis ex murorum firmitate quos *Cyrus* invictos reliquerat, ex *Cambysis* expeditionibus, & *Magorum* fraude. Mulieribus quibusdam delectis qui panes coquerent, reliquas omnes præter matres suas, interfecerunt, jamque invincibiles sibi visi *Persas* contemnebant quorum conatibus restiterunt per menses 19.

5. Tandem

5. Tandem autem *Zopyrus Megabyzi* filius, naribus suis præcisis, tanquam à *Dario* sic tractaretur, fugam mentitus est, & à *Babyloniis* facile receptus & *Dux* factus urbem Regi prodidit. Muri jam complanantur, civium 3000 in cruces acta, reliquis 5000 fœminæ ex quibus genus suum repararent conquisitæ sunt. Urbs ipsa *Zopyro* in tanti facinoris præmium cessit.

6. *Babylone* recepta, *Darius Scythas* invasit ut pœnas de iis sumeret ob *Asiam* per annos 28, *Cyaxare Medo* regnante, occupatam, vel ob repulsam quam *Lanthii* Regis filiam in matrimonium petens acceperat. Hostem nullo modo assequi valuit, cùm *Scythæ* ad hodiernum usque diem urbem nullam nec oppidum incolentes vagi & errabundi armenta sua pascant, sed illusus & per ambages multas ductus ægre evasit, nullaque re memorabili gesta, domum rediit.

7. *Megabyzum* verò *Zopyri* filium cum exercitu 80000 hominum in *Europa* reliquit. Ille, *Perinthiis* & *Paoniis* victis, ad *Amyntam Macedoniæ* Regem legatos misit qui terram & aquam peterent. Hi ob petulantiam *Alexandri* Regis filii insidiis interempti nunquam redierunt: Atque *Bubares Persa* cum exercitu ad rem indagandam missus, *Gygæa* Regis filia, quam deperibat, in uxorem accepta, ut socero gratum se præberet cædem silentio supprimebat.

8. Anno *Darii* 16° *Otanes* successor *Megabyzo* datus, *Chalcedonem*, *Byzantium*, & *Antandrum*

tandrum urbes recepit unà cùm inſulis *Lemno* & *Imbro*. Brevi autem poſt res *Perſicæ* decrementum magnum acceperunt ex *Ionum* defectione. Ejus anthor fuit *Ariſtagoras Mileti* Tyrannus qui à *Perſis* nuper irritatus, ſollicitatus eſt etiam ab *Hiſtiæo* ſocero, quem *Mileti* Principem & ingenio acerrimo pollentem *Darius* rebus ſuis conſulens ſecum *Suſas* abduxerat.

9. *Hiſtiæus* unius oppiduli dominatum ſplendidæ ſuæ ſervituti præponens in *Ionia* ſtatuit excitare flammam, ut ipſe ad incendium extinguendum mitteretur. Ideoque ſervi fideliſſimi, abraſo capiti, notas certas inuſſit conſilii ſui, quem, cùm iterum capilli creviſſent, *Miletum* miſit juſſum ut caput abradendum eſſe *Ariſtagoræ* tantùm ſignificaret. Hoc facto *Ariſtagoras* quod ſummè cupiverat agnovit & *Iones* ad rebellandum facile perduxit.

10. *Ionum* partibus *Athenienſes* adjunxit, quorum *Tyrannus Hippias* in aula *Perſæ* tunc temporis agens ſumma qua potuit ratione *Darium* contra eos irritabat. Illi 20 naves miſerunt quibus acceſſerunt *Eretrienſium* quinque. Hinc principium multorum malorum quæ Imperio *Perſico* tandem finem impoſuerunt. Incidit bellum *Ionicum* in annum *Darii* 19um, *Olympiadis* 69æ ſecundum, ante *Æram* Chriſti 507. *A. M.* 3502.

11. *Ariſtagoras* iſtis copiis facile *Sardes* expugnavit, (arcem adhuc tenente *Artapherne Darii* fratre) quæ in cineres redactæ

ſunt

sunt ex unius domus incendio, *Græci* verò in fugam acti cùm ex tumultu circa incendium orto *Persæ* & *Lydi* pugnandi occasionem captassent. Magna strages in fuga est edita, & *Athenienses*, quin domum se reciperent, nullo modo potuit *Aristagoras* cohibere.

12. *Cyprus* quidem ad *Græcos* defecit, & *Histiæus* adeò *Dario* imposuit ut dimitteretur. Omnia tamen in pejus statim ruerunt. *Cyprus*, uno anno elapso, à *Persis* est recuperata, & *Satrapæ* qui Regis filias duxerant urbes *Ionicas* inter se partiti plurimas earum receperunt, ex quo *Aristagoras*, in *Thraciam* fugâ adornatâ, occisus est.

13. *Ionibus* omnibus super *Hellespontum* incolentibus in ditionem *Darii* redactis, *Miletum* terra & mari oppugnarunt *Satrapæ*. Contra eorum conatum *Ionum* legati, *Panionio* concilio habito, nullum exercitum terrestrem conscribendum statuerunt, sed classem instructissimam parandam. Adeò tamen Duces *Persici* Tyrannorum *Samiorum* operâ usi sunt ut *Samii*, reliquorum ignaviâ summâ conspectâ, veniæ spe illecti se subduxerint, quòd exemplum cæteri sunt tandem sequuti.

14. *Miletus* obsessa cuniculis & aliis oppugnationum rationibus demum expugnata est & funditùs eversa anno post defectionem sexto. *Histiæus* hùc illùc agitatus in prælio ab *Harpago Persa* capitur. Corpus in crucem actum ab *Artapherne*. Caput ad *Darium* missum qui tanti viri mortem molestè tulit, sic autem tertium *Iones* sunt devicti; semel à *Lydis*, bis à *Persis*.

15. Quam-

15. Quamvis *Ionum* motus satis jam essent compressi, & defectores castigati, res tamen nondum *Dario* absoluta videbatur quamdiu *Athenienses* impunè tantam audaciam ferebant, & *Sardium* excidium, quo adeò vehementer in eos exarduit, ut cibum sumenti ter semper à famulo inclamari voluerit: *Heve memento Athenienſium.* Primùm Legatos in *Græciam* misit ad terram & aquam à civitatibus petendam; quos *Athenienses* & *Lacedæmonii* in puteos præcipites dederunt. Deinde *Datem Medum* & *Artaphernem* ex fratre nepotem suum, validissimo exercitu instructos.

16. Illis in mandatis erat ut, *Athenis* & *Eretria* vastatis, incolas in conspectum Regis adducerent. *Eretriam* quidem proditione occuparunt: At contra *Athenas* profecti *Campis Marathoniis* magno prælio fusi sunt ab *Atheniensibus* qui sub *Miltiadis* auspiciis dimicabant. Accidit hoc prælium *Olympiadis* 72ª. anno secundo vel tertio, quarto vel quinto ante Regis obitum.

17. *Darius*, quamvis contra *Athenienses* rem male gesserat, non desinebat tamen alteram profectionem meditari. Atque cùm anno abhinc quarto *Ægyptii* rebellassent & contra hos & illos apparatus magnificos fecit. Jamque se in militiam accingebat cùm mos patriæ postularet ut Regni successorem declararet, antequam in bellum proficisceretur.

18. Litem movebat *Artibazanes* (*Artamenes* & *Ariamenes* ab aliis dictus) filiorum

cjus

ejus natu maximus ex *Gobryæ* filia unà cum tribus aliis genitus; at *Xerxes* ex *Atoſſa Cyri* filia ſuſceptus victoriam ex certamine reportavit. *Darium* in *Græcos* jam moturum mors prævenit anno primo ex *Ægypti* defectione exeunte, *Olympiadis* 73ª anno 3°, poſtquàm annos regnaſſet 28, ante *Æram* Chriſti 485. *A. M.* 3519.

19. *Xerxes* (quod nomen *Bellatorem* ſignificat, uti *Artaxerxes Magnum Bellatorem*, *Herodoto* indicante) *Perſarum* Rex quartus patri ſucceſſit in avito Imperio. Cùm omnia in parato haberet ex patre relicta *Ægyptum* ſtatim proximo anno recuperavit, cui ſub jugum gravius miſſæ *Achamenem* fratrem præfecit.

20. Hoc ſucceſſu elatus *Græcos* aggredi voluit conſilio *Mardonii* conſanguinei uſus & vituperata gravi *Artabani* patrui reprehenſione qui modeſtiam ex rerum Mundanarum inconſtantia eum docere volebat. Accedebant hortatus *Alevadarum* ſeu Principum *Theſſalicorum* libertati *Græcorum* invidentium, & *Piſiſtratidarum* qui *Athenis* inhiabant.

21. In hoc bellum apparatus tanti facti ſunt per quadriennium ut *Aſia* loco ſuo moveri videretur: Anno 4° *Olympiadis* 73ª, regni verò ſui 5° *Suſis* profectus *Sardibus* hyemavit. Ne claſſis, quæ ex navibus 1200 conſtabat, circa *Athonem* navigans naufragium faceret, montem hunc inſulam fieri curavit foſſâ tantæ latitudinis factâ ut per eam duæ triremes ſimul agi poſſent. Ineunte vere *Abydum* venit,

die in noctem verso ex tenebris absque solis eclipsi ortis. Pontibus super *Hellespontum* stratis, diebus 7 exercitum in *Europam* transmisit & in *Darisci* campos profectus tàm navalium quàm terrestrium copiarum censum egit.

22. Tantus hominum numerus uni militantium nunquam visus nedum auditus. In hoc censu 2317610 capita reperta. Adeo tamen multitudini animalium confidere visus est ut *Dario* *Græciam* usque nationes omnes in militiam se accingere cogeret, unde navium 120, hominum 24000 accessio facta, & terrestris exercitus ex myriadibus 30 (sive 300000) auctus est. Numerus itaque universus militum ad 2641610 hoc modo assurgebat, cui par fuisse existimatur servorum aliorumque castra sequentium, ex quo conficiuntur 5283220 quæ terrestri itinere *Thermopylas*, mari autem *Sepiadem* venerant.

23. Fœminarum verò panes coquentium, concubinarum, eunuchorum, jumentorum & Canum indicorum numerus nullo modo assignari potuit. Inde mirum non adeò videri debet, multitudini huic stupendæ quosdam defeciisse fluviolos; mirandum prorsus peste graviori non afflictam, haud seditionibus agitatam & fame non consumptam fuisse.

24. *Græci* motuum omnium haud ignari, (exceptis quibusdam cum *Persa* sentientibus) lites mutuas diremerunt, & fœdere pacto ad *Thermopylas* defendendas *Leonidam Spartanum* Regem miserunt, qui exigua manu stipatus viam

viam *Persis* præclusit, donec montibus superatis à tergo cæderetur. Non priùs *Xerxes* *Græciam* intraverat quam res ejus in pejus ruere cæperint. Navali enim ad *Artemisium* certamine victus est post naufragium 400 navium factum.

25. Exercitus divisi pars una contra *Delphos* missa fulminibus & duabus rupibus abscissis ex *Parnasso* deleta dicitur pæne tota: Altera sub Regis ipsius auspiciis *Athenas* quidem nudas & vacuas cepit & incendit; at brevi pòst classis ejus (aucta quamvis & reparata) ad *Salaminam* insulam in acerrimo prælio cum *Græcis* congressa victa est penitus & amissa.

26. Qua consternatus clade sibi fugiendum prorsus esse statuit, ne *Iones* qui *Græcorum* partibus se adjunxerant pontem ad *Hellespontum* disrumperent. Atque hinc certè judicii divini magnum exemplum extitit. Qui antea enim adeò ferociebat ut ob pontem vi tempestatum fractum mare flagris cædi & catenis vinciri jusserat nunc exigua cymba pavidus & tremebundus idem pelagus trajiciebat.

27. Discessurus *Mardonio* 300000 hominum tradidit quibus bellum continuaret; reliquos *Hellespontum* versùs secum duxit, quorum tanta copia ex peste, fame aliisque calamitatibus periit ut voluerum multitudo ingens escæ gratia castra sequeretur. Et in *Asiam* transmissorum numerus ingens interiit ex nimia potandi licentia, cùm dysenteria graviter laborarent.

28. *Mardonius* qui Author hujus belli fuerat, ut invidiam rei male gestæ declinaret Regi se in *Asiam* recipere persuaserat quod illi noverat esse gratissimum, & in se receperat ultrò tantis copiis totum quod restabat opus perficiendum. Promissi itaque memor, cùm *Græcos* nullo modo ad deditionem adducere valeret, *Thessalia* profectus *Atticam* invasit, *Athenienſibuſque* fugatis urbem & agrum iterùm devastavit. Regionem autem, ob asperitatem, equitatui minimè congruam fore perspiciens in *Bœotiam* rediit, atque illuc *Græci* ad eum opprimendum confluxere.

29. *Græci* myriades 11 seu 110000, *Mardonius* 300000, præter auxiliariorum *Græcorum* myriades quinque, in aciem eduxerunt. Aliquot diebus velitationibus actum donec *Græci* locum mutare coactis, quoniam *Mardonius* aquandi potestatem interceperat, ipse eos velut fugientes insequutus est atque inde ad prælium acerrimum deventum, quo res magna contentione utrinque gesta.

30. *Mardonio* autem occiso, *Persæ* animos simul & arma abjicientes fugæ se dederunt. *Artabazus* cum 40000 *Hellespontum* citato cursu petebat. Reliqui in castra reversi, expugnati tandem sunt & ad unum pænè concisi. Ex 300000 enim à *Xerxe* relictis, præter eos qui *Artabazum* sequebantur, vix 3000 superfuêre, 10000 ut *Diodorus Siculus* scribit intra munitiones jugulatis. *Græcorum* pauci admodum ceciderunt.

31. Dum

31. Dum hæc in *Græcia* aguntur, *Leutychides* *Spartæ* Rex & claſſis *Græcæ* Præfectus eâdem fortunâ uſus ad *Mycalen* promontorium contra *Perſarum* naves fæliciter pugnavit, quâ victoriâ *Ionia* iterum à *Perſis* avulſa eſt & *Græcæ* juncta. Cùm acies jam concurrere cæpiſſent, per *Græcorum* exercitum rumor crevit *Mardonium* in *Bœotia* ſuccubuiſſe, quo vehementer exhilarati milites ingentes tollunt animos & victores fiunt.

32. Mirandum prorſus famam victoriæ tam citò in *Aſiam* evolare potuiſſe, cùm poſtea conſtiterit eodem die utroque loco fuiſſe pugnatum, adeò ut quidam exiſtimaverint hunc rumorem ſparſum ad militum animos corroborandos & ab eventu ſolo confirmatum. Pugnatum eſt tertio vel quarto die Menſis *Boedromionis* anno, poſtquam *Xerxes* *Græciam* invaſiſſet, ſecundo.

33. *Athenienſes*, domum cæteris ſe recipientibus, *Seſtum* obſederunt, & autumno exeunte ceperunt deſertam. Nihil præterea hoc anno geſtum. Atque adeò bellum hoc *Perſarum* ſeu *Medorum* (ut *Thucydides* vocat) poſt annos duos finitum eſt. *Olympiadis* 75æ anno ſecundo, *Xerxis* 7°. *A. M.* 3526, ante *Chriſtum* natum 477°.

34. *Xerxes* Caſum ſuum moleſtè ferens in fuga Templis omnibus *Aſiæ* præter *Dianæ* *Epheſinum* flammas ſubjeciſſe fertur. Cùm in contemptum ex fuga iſta turpiſſima incidiſſet, invidiam auxit nefarius inceſtus. *Græci* victoria uſi, *Pauſaniæ* primùm operâ, poſteà

Cimonis, multas urbes ceperunt & terrestribus cladibus *Persas* affecerunt ut pacem facere Rex cogeretur.

35. His malis cumulato nihil nisi ultimum infortunium deesse videbatur quod & tandem accessit. Ex *Artabano* enim *Hyrcanio* Satellitum Præfecto (qui regnum occupare studens *Mithridatem* Eunuchum Cubicularium Regium inescaverat) & septem ejus filiis noctu decumbens strangulatus est, postquam annos 20 regnasset cum aliquot mensibus.

SECT. 3.

A Morte Xerxis & initio Artaxerxis Longimani usque ad Mortem Artaxerxis Mnemonis.

Spatium Annorum 103.

1. *Xerxe* sublato, filii ejus tres *Darius*, *Artaxerxes*, & *Hystaspes*, quoque tollendi erant, antequam facinoris sui *Artabanus* fructum ullum percipere posset. Quamprimùm itaque Regem interfecisset *Artaxerxem* adiens insidias à *Dario* fratre illi tendi affirmavit effecitque ut aliquot è suis mitteret qui fratrem interimerent.

2. *Artaxerxem* autem petens post menses septem (quot eum imperasse vult *Eusebius*) ipse interfectus, unà cùm sociis, perduellionis

onis pœnas dedit. Atque hoc modo regnum adeptus est *Artaxerxes* Μακρόχειρ seu *Longimanus* dictus quòd cubitus ejus dexter altero longior esset, *Olympiadis* 78ᵃ anno 4°, vel incipiente 79ᵃ *Archonte Lysitheo*, ante natum *Christum* 463. *A. M.* 3540.

9. Regnante *Artaxerxe*, *Baktri* rebellarunt quas faculi satis negotio in ordinem redegit. Major illi contra *Ægyptios* conatus qui *Inaro Libyæ* Rege sibi præfecto *Achæmenem Darii* filium numerosissimo cum exercitu missum magna strage edita interfecerant, & copiarum reliquias arcta premebant obsidione. Ad eas liberandas *Megabyzus* (*Zopyri* illius qui *Babylonem* ceperat filius) & *Artabazus* missi sunt, qui obsidione soluta & *Ægyptiis* magno prælio fusis, regionem totam præter paludstria quædam loca recuperarunt, Inarumque captum in Crucem egerunt.

4. Atque hîc *Athenienſium* virtus silentio minimè prætereunda, qui cùm, *Ægyptiis* opem ferentes, ante *Byblum* urbem naves in statione haberent, *Persæ*, aqua ex alveo fluvii per fossas derivata, ut classis in arida esset effecerunt. Illi tamen se invicem invocantes & hortati ut nihil nomine *Græco* indignum committerent, naves suas combusserunt, omnique metu abjecto se composuerunt ad pugnam ineundam; quo viso *Persæ*, licèt 6000 homines tantùm essent, eos incolumes dimiserunt. Atque adeò domum reversi sunt postquàm bellum hoc (parùm utiliter) gessissent per sexennium.

5. *Artaxerxes* anno regni ſui ſeptimo edictum promulgavit quo *Judæis* permiſit *Hieroſolymas* adire & habitare; neceſſaria omnia larga manu contribuens, ex *Eſræ* ſacerdotis voluntate collocanda. Quamvis in hoc edicto murorum ædificandorum mentio nulla ſiat, vel quòd *Eſræ* illud ipſum efflagitaverit, quin autem illuc Rex reſpexerit vix dubitandum eſt, cùm nulla ſecuritas abſque munitionibus vel incolis vel *Templi* ædificatoribus præſtari potuerit.

6. Quòd ſi ita fuerit, *Danielis* hebdomadum 70 initium hinc petendum. Conſtabant ex annis 490, terminati ſunt in morte Domini noſtri *Jeſu Chriſti*. Variæ certè de his annis tàm incipientibus quam deſinentibus ſententiæ occurrunt, ſed quæ infirmis innituntur fundamentis. Sin autem ex 7° hoc *Artaxerxis* anno per Regum *Perſarum*, *Macedonum*, *Haſmonæorum*, & *Herodis Magni* Imperia rationem ſupputemus, vel per *Olympiades* & urbis *Romæ* annos, hinc uſque ad mortem *Chriſti* annos 490 inveniemus effluxiſſe abſque magna diſcrepantia. Cæterùm de hac re plura in Inſtitutione diximus.

7. Anno *Artaxerxis* viceſimo *Nehemiæ Judæus* Regis pincerna, nuncio accepto de muris *Hieroſolymitanis* dejectis, portis incenſis populoque in ſumma anguſtia poſito, abſque ullo alio edicto, cùm prius ſufficeret, miſſus eſt ad muros reparandos & Rempub. ordinandam confirmandamque.

8. Ex

8. A novilunio mensis *Nisanis*, qui murorum reparationem sequutus est, usque ad novilunium mensis quo Christus est passus, anni *Juliani* 475 effluxerunt, qui annos lunares efficiunt 490. Hoc fuit in causa cur multi viri docti *Africani* sententiam amplecterentur, qui hebdomades *Danielis* ab hoc anno ad mortem Christi numeravit. Atqui ab hoc tempore usque ad *Tiberii* annum 15um annos numeravit 475, cùm effluxerint tantùm 472 Christusque non passus sed baptizatus fuerit anno *Tiberii* decimo quinto.

9. *Athenienses Cimonem* ex Ostraciſmo exulantem revocarunt & contra *Cyprum Persa* subjectam miserunt cum navibus 200. Ille 60 ex hoc numero in *Ægyptum* misit ad opem ferendam *Amyrtæo* qui in paludibus regnabat, reliquis obsidebat *Citium*.

10. *Cimon* in hac urbe oppugnanda mortuus est; milites tamen domum redeuntes classem *Persicàm* sibi obviam factam adeo gravi clade affecerunt, ut Rex, Convocato consilio, pacem quamprimùm faciendam esse decreverit, qua mutuæ invasiones prohibitæ sunt. Pace cum *Græcis* facta, *Megabyzus* bellum civile susciravit quod post varia prælia tandem compositum est. *Artaxerxes* cùm annos regnasset 41 mortuus est, *Olympiadis* 89æ anno 2°, antè *Christum* natum 421. *A. M.* 3582.

11. *Artaxerxes* unicum filium legitimum reliquit ab uxore *Damaspia* susceptum, *Artaxerxem* dictum, nothos verò 17, inter quos

Sogdianus Ochus & *Arſites*. Ille patri ſucceſſit at die imperii 45° a *Secundiano* occiſus eſt. *Secundianus* odium militum incurrit atque adeò parvi habebatur ut *Arberius* equitatus Magiſter ad *Ochum* deficeret, quem dein *Artaxanes Ægypti* Prorex & *Artoxares Armeniæ* Præfectus *Cidarim* (ſeu *Citarim*) pileum Regibus & ſacerdotibus *Perſicis* peculiarem) ſumere coegerunt.

12. *Ochus*, imperii inſignibus ſuſceptis, *Darieus* vocari voluit, vulgò dictus *Darius Nothus*. *Secundianum* ad ſe allectum in cineres conjecit quale genus ſupplicii à *Valerio Maximo Dario Hyſtaſpis* filio attributum, alii exiſtimarunt ab illo inſtitutum fuiſſe. Ab hoc *Dario Medi* defecerunt, at brevi pòſt in ordinem redacti ſunt. *Paryſatida* amitam ſuam *Xerxis* filiam in matrimonio habuit ex qua privatus adhuc filium *Arſacem* ſuſceperat, filiamque *Amiſtrim* dictam, Rex autem factus *Cyrum* (ſic à ſole nominatum) cum 15 aliis. *Cyrum* ad oram maritimam *Satrapam* conſtituit anno ſuo 17° (poteſtate contra alios *Satrapas* data) & ducem copiarum omnium qui *Caſtali* campis convenire ſolebant.

13. *Cyro* etiam in mandatis dedit *Lacedæmoniis* contra *Athenienſes* opem ferre. *Græcis* enim bello *Peloponneſiaco* & inteſtinis odiis jam ſe laniantibus, ex eorum diſſidiis *Triſſaphernis Satrapæ* operâ, res ſuas auxit; at *Athenienſes* maxime perditos volebat utpote quos rei nauticæ peritiſſimos noverat, & *Ioni-bus*, ob origi[illegible] memoriam, ſemper faventes.

14. *Cyrus*,

14. *Cyrus*, biennio vix exacto, adeò fortunâ prosperâ elatus est adeòque Regalem animum sumpsit ut *Autobæsacem* & *Mitræum* propinquos suos quòd eum adeuntes manus intra vestimenta non continerent, (prout ad Regem venientibus mos erat) interfici curaverit. Cùm gravis querimonia apud Regem fieret ad patrem vocatus est, qui brevi pòst diem suum obiit, postquàm annos regnasset 19, *Olympiadis* 93ª anno 4°, belli *Peloponnesiaci* 27° & ultimo jam desinente, ante *Christum* natum 403. *A. M.* 3600.

15. *Darium* morientem *Parysatis* uxor valde rogaverat ut *Cyro* Regnum relinqueret, quippe, ut *Xerxes* olim, à patre non privato sed Rege genitus fuerat, sed cùm res iniquissima Regi videretur, repulsam tulit. Patri itaque successit *Arsaces Artaxerxes* dictus & ob memoriam præstantem *Mnemon* cognominatus. *Cyro* civitatum *Satrapia* relicta est, qua minimè contentus animum Regalem haud deposuit sed fratrem statim interimere statuit ad Regnum occupandum.

16. Re totâ comperta, matris lachrymæ & ejulatus eum à pæna eripuerunt. At in *Lydiam* Satrapiam suam dimissus eadem consilia, quæ prius, agitabat eò magis rebus novandis intentus quò à Regis conspectu remotior. Sub variis speciebus, artibusque omnibus usus, undique auxilia conquisivit.

17. Cùm exercitu *Græcorum* 12800 & barbarorum myriadibus decem (seu 100000) contra Regem profectus est, quem, post ca[illegible]

[illegible]

mentationes 93, paraſangas autem 535, ſtadia 1630, paſſuum verò ſupra 2000 millia emenſas, myriadibus 90 (ſeu 900000) ſtipatum invenit.

18. Cùm in tuto res ejus eſſent ob *Græcorum* virtutem, quam *Perſæ* nullo modo ſuſtinere valuiſſent, ipſius temeritas & *Clearchi Lacedæmonii* Ducis, ſeu ſegnities, ſeu pavor ei exitium attulerunt, dum ipſe in turmas denſiſſimas ſe ingereret ad fratrem inveniendum, hic verò *Græcos* ſuos contra Regem ducturus ceſſaret. Manu cum Rege conſertâ occubuit prælio ad *Cunaxam* à *Babylone* ſtadiis 500 diſtantem vir animi Celſiſſimi regnoque dignissimus habitus eorum omnium qui à *Cyro* Magno originem traxerunt.

19. *Græci* de victoria ſola cogitantes, fugatis omnibus, contra quos ipſi ſteterant, triſtem nuncium de *Cyri* Morte acceperunt. *Ariæum Perſam*, qui ejus copiis præfuerat, ad Regnum occupandum vocarunt, quod cùm reſpueret, reditus in patriam erat tentandus. Cùm *Artaxerxes* eos inſequeretur, milites ejus in pavorem tantum inciderunt ut hoſtem cogeretur dimittere & pedem referre. *Tiſſaphernes Græcos* perdendi onus in ſe recipiens duces quidem fraudulenter ad colloquium vocatos interfecit, ad quorum munia obeunda aliorum delectu habito, *Xenophon Athenienſis Proxeni* militibus præfectus eſt.

20. Tandem verò peregrini iſti, neceſſariis omnibus deſtituti, & regionum penitùs ignari, ſuper montes præruptos, per vias arduas & pænè invias, non obſtante hoſtium invidia,

invidiâ, aeris insalubritate & difficultate soli, divinâ providentiâ, (cui inserviebat *Xenophontis* prudentia singularis) evaserunt. Ascensus & Reditus numerantur castrametationes 212. Emensæ sunt parasangæ 1150, stadia 24255, passuum millia 4281. Toti negotio annus unus cùm tribus mensibus attributus.

21. Interea *Paryſatis* Mortem *Cyri*, quem unicè amaverat, iniquissimè ferens omni crudelitatis genere in eos sæviit quos exitium illi attulisse suspicabatur. *Statiram* etiam Reginam, cui multis nominibus infensissima erat, veneno sustulit. *Artaxerxes* tamen modestissimè se erga matrem gessit: Quamvis enim eam fratri semper addictiorem noverat, utque patri succederet modis omnibus invigilasse, atque nunc tandem uxori, quam maximè adamabat, attulisse interitum; attamen nec facto nec dicto quidem illam læsit, tantùm, cùm diceret se *Babylonem* profecturam, annuens addidit se urbem illam non visurum quamdiu illa supereſſet.

22. *Artaxerxi*, rebus jam pacatis, in animum subiit Civitates quæ defecerant recuperare atque adeò *Tissapherni* hoc negotium datum est non *Pharnabazo* quod nomen in *Diodori Siculi* historiam, (seu librariorum incuria, sive aliquo alio modo) irrepsit. *Iones* rem suam omnino agi perspicientes *Lacdæmonios* in auxilium solicitarunt, qui rebus prosperis elati ex quo *Athenas* expugnassent nihil humile præ se ferebant, sed *Græcorum* qui *Cyrum* sequebantur reditu confirmati ansam hanc arripiebant

arripiebant invadendi *Asiam*, quam obtinendi spem nonnullam jam conceperant.

23. Cùm *Tissaphernes* itaque legationem eorum contemneret, *Thimbroni* cum exercitu trajicere mandarunt, qui bellum parùm fæliciter administrans exauctoratus est & in exilium abactus. *Dercyllidas* ejus successor, ob egregiam sagacitatem *Sisyphus* cognominatus, se rem habere cùm duobus ducibus perspiciens, *Tissapherne* & *Pharnabazo*, illum sibi conciliare statuit & tantam invidiam inter eos concitavit ut *Pharnabazus* ad Regem itinere suscepto *Tissaphernem* defectionis accusaret, & *Cononem Athenienſem* curaret classi præficiendum. Postea cùm *Ephori Cariam*, *Tissaphernis* provinciam, invadi *jusserint*, ad colloquium ventum est quo induciæ sunt pactæ, ut paci via præmuniretur.

24. Induciæ autem non obstiterunt quo minùs classis nova in *Phænicia* fabricaretur quam fama erat ad 300 navium numerum esse augendam. Hoc audito in *Asiam* protinus missus est *Agesilaus Spartæ* Rex cui legatus militavit *Lysander* vir in re bellica exercitatissimus, qui *Athenienses* devincendo bello *Peloponnesiaco* finem imposuerat.

25. *Agesilaus* rem adeò præclarè gessit ut præfectura classis illi etiam committeretur, *Tissaphernem* adeò elusit, eoque absente tàm fæliciter pugnavit, ut proditionis iterùm apud *Persam* accusatus tolleretur è medio. Cùm, classe jam instaurata, spem magnam conceperat *Asia* Regem [illegible], *Tithraustes*

Tissaphernis

Tiſſaphernis ſucceſſor, cui hoc innotuit, nulla alia ratione eum ab incæpto averti poſſe judicabat quàm domi *Lacedæmoniis* tantum faceſſendo negotium ut Regem in ſubſidium patriæ revocarent.

26. *Timocratem Rhodium* itaque 50 auri talentis inſtructum in *Græciam* miſit, ut *Demagogos* corruptos ad bellum *Lacedæmoniis* inferendum alliceret; quod adeò ſtrenuè effectum eſt ut conjuratio magna intra anni unius ſpatium contra *Lacedæmonios* fieret, ex qua tam acre bellum eſt ortum ut cogerentur eum revocare. Urebat eum vehementer quòd, profectionem in Provincias ſuperiores meditatus, (quas omnes vel gloriâ ſui nominis devincere vix dubitabat) & cùm laboris & ſpei fructus omnis percipiendus eſſet, pedem referre juberetur.

27. Omnibus autem rebus pietati in patriam poſthabitis huic laboranti ſuccurrere ſtatuit, Ducem tunc rectè imperare affirmans cùm legibus & Magiſtratibus obtemperare haud recuſaverit. Diſcedens facetè dixit ſe à Rege 30000 Sagittariorum ope *Aſia* expulſum, ſignificare volens nummos totidem effigie Sagittarii inſculptos quibus bellum adverſus *Lacedæmonios* Rex excitaverat.

28. Quamvis *Ageſilaum* revocarent, *Spartani* tantam cladem tamen à *Conone* mari acceperunt, adeòque domi premebantur, ut veriti ne *Athenienſes* priſtinam potentiam recuperarent pacem cùm Rege facerent induſtriâ *Antalcidæ* uſi unde *Pax Antalcidæ* nomi-

nata

rur. *Artaxerxes* bello *Græcorum* liberatus hac pace, quâ rebus suis satis Consuluerat in *Cyprum* arma convertit quam *Evagoras* pæne totam in ditionem suam redegerat.

29. *Evagoras* mari victus est, at cùm duces *Persici* in magnum dissidium incidissent, pax post biennium est facta qua, post 50 talentorum sumptum, *Evagoras* eodem pæne rerum statu gaudere permiserat. Postea *Artaxerxes* contra *Cadusios* parùm utiliter bellum gessit, cùm autem ad *Ægyptum* recuperandam, quæ iterùm à multis annis defecerat, animum suum applicuisset, res ibi fæliciter satis administratæ sum, donec ex simultate inter *Pharnabazum* & *Iphicratem* duces orta, pessundatæ omnino fuissent.

30. Inter *Græcos* iterùm bellis civilibus se laniantes, ut auxilium sibi contra *Ægyptios* adesset, lites componere studebat, at *Lacedæmonii* Regi infensi quòd *Messenen* in fœdere contineri voluerat, *Acori Ægyptio* Regi opem miserunt; *Græcisque* in *Asiæ* urbibus illi negotium facessentibus, Satrapæ multi etiam defecerunt. Satrapæ quidem ab *Oronte*, quem Ducem suum elegerant, proditi sunt, *Ægyptum* tamen recuperare haud potuit, quamvis factionibus laboraret, dum varii ambirent regnum.

31. *Artaxerxes* filios 115 suscepit, quorum tres tantùm legitimo matrimonio: *Darium Ariaspem* & *Ochum*; cæteri geniti sunt ex concubinis quarum 360 alebat quibus haud contentus filiabus suis incestu corruptis numerum

rum auxit. Grandævus, cùm *Ochum* regnum ambientem deprehendiſſet, *Darium* natu maximum & quinquagenarium regni participem fecit. Hic autem *Aſpaſiam Cyri* unicam quæ Regi nupſerat in uxorem petens repulſam tulit; & quaſi contumeliâ affectus cum fratribus 50 in patris caput conjuravit, quo ſcelere comperto, ultimo ſupplicio, unà cum illis omnibus, punitus eſt.

32. *Dario* ſublato, *Ochus* majore regnandi deſiderio flagravit, ſibi autem ex duobus fratribus valdè timuit *Ariaſpe* majore & legitimo atque *Arſame* notho & ob ingenii vires patri chariſſimo. *Ariaſpem*, rumoribus continuis ſparſis, eum patris juſſu capitali ſupplicio quamprimùm puniendum eſſe, ad ſe veneno necandum impulit; *Arſamem* verò ab *Harpate* filio *Teribazi* (qui in *Darii* crimine ceciderat) interfici curavit.

33. *Artaxerxes* de rebus hiſce ſatis licèt cognitis, ſenio confectus quæſtionem nullam ferre potuit; ſed, ægritudini animi ſuccumbens, protinus occubuit cùm annorum eſſet 94, anno regni ſui 43, *Olympiadis* 104ª anno tertio, ante *Chriſtum* natum 360, *A. M.* 3644. Mitiſſimus à ſubditis, habebatur atque eò magis quòd parricidarum crudeliſſimum ſucceſſorem, habuit.

SECT.

SECT. 4.

Ab Artaxerxis Mnemonis obitu usque ad interitum Darii Codomanni.

Spatium Annorum 32.

1. *Ochus* patri succedens in illius memoriam *Artaxerxes* cognominatus fuit. Hic *Achoſueros* ille habendus est *Eſtheræ* maritus cujus meminit Scriptura Sacra, cum neminem enim præter eum omnia tam ad amuſſim quadrant. Patris obitum per menſes 10 celaſſe fertur, donec ſigillo regio undique miſſo *Ochum* Regem fieri *Artaxerxi* placuiſſe diceretur. Ut Regnum ſcelere paratum confirmaret ſcelere, Regiam cædibus nefandis complevit, nulla ratione dignitatis, ſanguinis, affinitatis, ſexus vel ætatis habita.

2. Ab *Ocho* defecit *Artabazus*, *Græcorumque* ope varios ejus exercitus concidit, quòd Regem ad pacem cum illis ineundam adegit. *Ægyptus* à longo jam tempore jugum ſervitutis *Perſicæ* excuſſerat, *Ochus* tamen militiæ minime idoneus talem jacturam facile contemnebat. Anno autem 11°, cùm *Phœnices* & *Cyprii* pariter deficerent; & cum *Ægyptiis* armorum ſocietatem contraherent, novam vivendi rationem inſtituere atque adverſus rebelles proficiſci decrevit.

3. Ex-

3. Exercitu peditum 300000, equitum 30000, cum classe navium 300, conscripto in *Phœniciam* contendit ubi *Sidonem* à Rege *Tenne* proditam recepit, & proditionis autorem capite mulctavit: Incolæ tamen urbem captam cum seipsis concremarunt, in quo incendio homines 40000 periisse existimantur. *Ochus* successu animatus, eòque magis quòd *Adviti Cariæ* Principis operâ *Cyprum* recuperaverat, *Ægyptum* invasit quam etiam *Mentoris Rhodii* industriâ usus in ditionem suam reduxit *Nectanebo* Rege pulso, magnâque prædâ & rerum gestarum gloriâ donum reversus reditu suo ingentem *Judæorum* numerum secum abduxit, quorum aliquot *Babylone*, alios in *Hyrcania* ad mare *Caspium* collocavit.

4. *Mentor Artabazum* aliosque in gratiam cum Rege reduxit regnumque optimè pacavit; quo tempore *Philippus Macedoniæ* Rex, rebus suis magnopere auctis, *Perinthum Thraciæ* urbem ad *Propontim* sitam arctissima obsidione premebat. *Ochus* ex Rege isto, nunc potentissimo, regno suo timens, cùm deploratæ *Perinthiorum* res essent, *Satrapis* oræ maritimæ imperavit ut obsessis quamprimùm opem ferrent, quo facto *Macedo* spe sua in totum excidit. Hoc postea *Persis* de injuria questis ab *Alexandro Philippi* filio inter alia objectum est.

5. *Ochi* anno nono *Mausolus Cariæ* Regulus diem suum obiit, nullâ prole relictâ, in cujus memoriam *Artemisia* conjux tantum sepulchrum

chrum extruxit, ut, ab illo artis stupendæ ædificia *Romanis Mausolea* audirent. *Bagoas* autem Eunuchus, in potentiam tantam à Rege evectus ut omnia pro arbitratu suo disponeret, vel quòd *Ochi* crudelitatem metueret, vel quòd *Apim Ægyptium* Rex occidisset (cùm ipse *Bagoas Ægyptius* esset) vel ut potentiam majorem adipisceretur, Medici operâ, eum veneno sustulit, postquam annos regnasset 23. Felibus mortuum devorandum projecit, alio cadavere in Regio Monumento sepulto; utque Regis ingenium crudele exprimeret, ex tibiis ejus gladiorum capulos fieri curavit.

6. *Ochi* necati filium *Arsem* Regem fecit, Regiis liberis omnibus reliquis occisis, ut Rex novus amicis destitutus Regicidæ ceu fulcro inniteretur. *Bagoas* certè regnavit, omnibus, præter nomen merum, usurpatis, cùm autem videret *Arsem* rebus agendis, præter morem, attentum, veritus ne ad judicium ipse vocaretur, eum quoque interfecit eum liberis omnibus, regni triennio nondùm exacto.

7. Scelus scelere cumulans & parricidium parricidio Regiam familiam adeò desolatam reddiderat, ut vix ullus supereisset cui regnum deferret. *Codomannum* itaque quendam delegit amicum suum quem aliqui non è Regia stirpe ortum sed *Astandam* seu tabellarium alii autem contendunt *Arsamis* fuisse filium *Ochi* nepotem ex *Sisygambe* eorum sorore, vel potiùs consanguineâ, genitum. *Curtius* scribit

ſcribit hujus fœminæ patrem unà cum filiis 80 ab *Ocho* crudeliſſimè fuiſſe interfectum.

8. *Codomannus* dicitur bello *Caduſio* ſe fortiter geſſiſſe, hoſte quodam ſingulari certamine ſuperato, atque propterea à Rege plurimis præmiis & Armeniæ Satrapiâ ornatus, à populo tandem in Regem electus, & *Darius* in nominis majeſtatem majorem appellatus. *Bagoæ* autem brevi pòſt facti pœnituit cùmque jam callidus admodum eſſet Regicida, *Darium* ſublatis Principibus annumerare voluit. At venenum ſibi paratum Rex intelligens ſceleris authorem ad poculum hauriendum compulit.

9. *Darius* in ea tempora eaſque rerum rationes incidit, & in tales anguſtias quibus difficillimè vel ſagaciſſimus quiſquam potuiſſet ſe explicare, ſin autem hominis ingenium cum adverſarii indole compares exitus planè fuit impoſſibilis. *Macedonia* jam Regnum ad ſupremum potentiæ culmen, quod intra *Græciam* illi obtingere potuit, evectum erat. *Græciam Philippus* ad nutum ſuum redegerat atque adeò ditionis ſuæ facto, armorum & diſciplinarum gymnaſio tàm *Martem* quàm *Mercurium* in ſua caſtra traduxerat. *Perſarum* autem *Imperium* ſenio pæne confectum ex propriæ gravitatis onere nutabat. Succus & ſanguis diſciplinarum & virtutis in luxuriæ vapores evanuerant.

10. Offenſiones multæ inter *Perſas* & *Græcos* ortæ fuerant. Præter odia inveterata, à priſcis temporibus ob fœminarum raptum

inter

inter *hos* & *Asiaticos* contracta, *Athenienſium* adverſus *Sardes* protectio inchoaverat, *Xerxis* autem auſum confirmaverat novas ſimultates. Opes *Aſiaticæ Græcorum* animos vehementer alliciebant. Turpe videbatur tanta à talibus poſſideri, ferrumque *Græcum* *Aſiatico* auro præſtantius videntes, ex quo *Xenophon* per tot provincias exiguam manum reduxerat, *Græci* vehementi deſiderio (ſeu œſtro perciti) ad divitias illarum regionum diripiendas flagrabant.

11. *Cimon Græcorum* Ducum quidem agmen clauſerat; at *Philippus Macedoniæ* Rex vir ſolertiſſimus ſimul & bellicoſiſſimus, Ducum glorioſiſſimorum gloriam æquaverat *Græciam* ſub libertatis ſpecie hoc tempore mancipatam tenens. Hic cùm bellum contra *Perſas* meditari ſe ſignificaret ab univerſis pænè dux electus eſt, militumque cenſus per ſingulas civitates ſunt habiti.

12. Sequenti vere *Parmenionem*, *Amyntam* & *Attalum* præmiſit in *Aſiam* ſub *Græcarum* urbium liberandarum prætextu, ipſe ſequuturus autem à *Pauſania* quodam interfectus eſt dum filiæ nuptias celebraret. Illo extincto, ſecurus jam ſibi *Darius* videbatur, *Alexandrum Philippi* filium & ſucceſſorem parvi pendens, annorum viginti juvenem.

13. *Alexandro* autem, cui magnitudo animi invincibilis, nihil ad Patrimonium augendum deerat. Difficultatibus omnibus in *Græcia* ſuperatis, cùm peditum 31000 equitibus verò 5100 *Helleſpontum* tranſiit.

Darius

Darius mediocria haud negligenda ratus exercitum ad resistendum conscribi jussit, adeò tamen omnia prospera sibi promittens ut, juvenili isto ardore floccifacto, suis imperasse dicatur puerum hunc virgis priùs cæsum demum in conspectum suum adduci.

14. *Memnon Rhodius* in rebus bellicis exercitatissimus, quem *Persa* exercitui suo præfecerat, cum *Alexandro* nullo modo concertandum esse affirmavit, sed regiones devastandas ubicunque veniret ne pergeret ulteriùs, bellumque si fieri posset in hostis regnum transferendum, impressione in *Macedoniam* facta, qua ad propria tutanda revocaretur. *Persæ* autem hoc sanum consilium ut nimis humile ac eorum nomine & virtute indignissimum minimè probabant, sed honestius omnino existimantes ad manus venire, *Alexandrum*, cùm *Granicum* fluvium superasset, aggressi sunt & magna strage cæsi ad hominum 12000.

15. *Alexander* hujus victoriæ famâ facilè *Asiam* superavit, *Gordiumque Phrygiæ* urbem veniens, cùm *Midæ* nodum solvere non posset gladio dissecuit, atque adeò Oraculum vel implevit vel elusit. *Darius Memnoni* Duci exercitum novum conscribendi classemque navium 300 instaurandi negotium dedit, at ille ipso in certamine mortuus est, & cum eo res *Darii* interierunt. Rex itaque, cùm neminem inveniret cui officium tantum committeret, exercitus ductum ipse suscepit. Assumptis peditum 400000 equitum supra 100000 (cum matre, uxore, filio sexenni, filiabusque duabus

duabus viro maturis) *Babylone Ciliciam* versus proficiscitur.

16. *Darius Alexandrum* ut à prælio abhorrentem (ita assentatores illi persuadebant) insecutus usque ad *Ciliciæ* pylas, prope *Issum* invenit, ubi viribus omnibus concurrens magno prælio fusus & fugatus est equæ insidens quæ nuper pepererat. *Persarum* 10000 cæsa sunt & 40000 capta. *Macedones* vix 300 perierunt. Mater uxor & liberi *Darii* sunt capti. Incidit hoc Prælium in mensem *Mæmacterionem*, *Archonte Nicostrato* (seu *Nicocrate*) *Olympiadis* 111ª annum 4ᵘᵐ, *Darii* 4ᵘᵐ, *Alexandri* etiam 4ᵘᵐ. *A.M.* 2672.

17. *Dario* ad *Issum* victo Præfectorum ejus multi ad *Alexandrum* defecerunt. Ipse tamen ad *Macedonem* de suorum redemptione scripsit non ut victus jam bis quidem sed veluti partes ejus potiores essent, nec Regem eum appellare dignatus est, cui alter Regis instar & animosè satis respondit. *Alexander Syriam* statim in ditionem suam redegit *Phœniciamque* totam, *Tyro* excepta quam ut expugnaret inauditam prorsus rationem inivit.

18. Cùm enim urbs in insula sita esset, hanc continenti aggerum ingestione adjunxit. Incolæ strenuè se defendentes ad 7000 cæsi sunt; captorum 20000 in cruces acta, fœminæ & pueri in servitutem redacti. *Sidonii* autem 15000 hospitio exceperunt ex quibus gens iterùm fuit propagata. *Tyri* expugnatio facta est mense *Hecatombæone*, *Archonte Anniceto* (*Nicerato* & *Niceta* dicto) *Olympiadis* 112ª anno

anno primo, *Darii* quinto, & quinto *Alexandri*. *A. M.* 3673.

19. *Tyro* expugnata *Darius* pacis conditiones *Alexandro* obtulit, quas hic parùm moratus *Judæam* invasit, cujus Incolæ, cùm *Darii* in verba jurassent, victori se dedere recusabant. *Judæis* nunc imperitabat *Jaddus Pontifex* cujus frater *Manasses* filiam *Sanballati*, *Samariæ* à *Dario* præfecti duxerat. Cùm hoc contra leges patriæ feciſſet atque eam dimittere recusaret, focer *Sanballatus* in *Gerizimo Samariæ* monte templum extruxit, quo Pontificis munere fungeretur.

20. *Alexandro* autem responso *Judæorum* graviter commoto excidiumque universæ genti minanti Pontificalibus vestimentis indutus, occurrebat *Jaddus*, quem, simul ac conspiceret, Rex equo desiliens adorabat atque de ratione facti à *Parmenione* rogatus respondit hujus Deum se adorare, qui, cùm anxius adhuc de bello in *Græcia* deliberaret, tali habitu apparuisset & cunctantem ad profectionem hanc suscipiendam hortatus fuisset. De *Danielis* vaticinio edoctus quod de Rege clarè satis loquitur Deo sacrificavit, immunitatesque multas genti ultrò indulgens, permisit *Judæis*, quotquot militare vellent, propriæ uti religionis cultu.

21. *Gazâ* captâ (ubi vulnus in humero accepit) *Palæstinam* totam ditionis suæ fecit & in *Ægyptum* properavit quæ absque ullo certamine in manus ejus devenit. Hic inter lacum *Maræotin* & Mare *Ægyptium*, in loco,

quo vicus *Rhacotis* dicta steterat, novam urbem condidit quam à seipso appellari voluit *Alexandriam*, *Dinocratis* (seu *Stasicratis*) operâ usus. Fundata est autem hæc urbs, postea clarissima, anno *Alexandri* 5°, *Olympiadis* 112ª anno primo, *Nabonasaris* 417°, ex quo Mense *Thoth Darii* verò quinto *Æram Alexandri* inchoavit *Ptolomæus* Mathematicus insignis hujus urbis, anno ante *Æram* Christi 329°. *A. M.* 3673.

22. *Ægypto Alexander* ad Oraculum *Hammonium* profectus est ubi *Pythia*, seu ignorantiâ *Græcæ* linguæ lapsa, sive corrupta, eum *Jovis Filium* salutavit. Ille ansam arripuit se supra hominem efferendi, adeò ut tanquam numen quoddam adorari voluerit & ex *Arabibus Dulcarnajin* obtinuerit nomen.

24. *Darius* interea ad aliud prælium se accingens copias tantas conscripsit ut earum quæ ad *Issum* pugnabant numerum geminarent. *Alexander* qua potuit celeritate usus *Euphraten* & *Tigrim* superavit, in quo postremo transeundo cùm velocissimus sit, adeò laborarunt milites ut *Darius* facile satis victori obstare potuisset. Sed Imperii *Persici* jam in extremis constituti fatum eum vehementer premebat.

24. *Statira Darii* uxor ex itineris tædio in partum immaturum incidit & interiit, quam *Alexander* lachrymis est prosequutus. Hæc humanitas adeò *Persam* movebat ut 30000 talentorum & universam *Asiam* intra *Hellespontum* & *Euphraten* cum filia *Statira* illi offerret.

25. Cùm

25. Cùm has pacis conditiones ut parùm æquas rejiceret ad fluvium *Bumelum* iterùm concurrerunt prope vicum *Gaugamelam*, ubi *Darius*, ut antea, levi negotio fusus est & fugatus, magno suorum numero amisso, de quo tamen parùm inter se scriptoribus convenit. Pugnatum est Mensis *Boedromionis* die quinto, *Alexandri* anno 6°, *Darii* item 6°, *Archonte Aristophane*, *Olympiadis* 112ª anno secundo. *A. M.* 3674.

26. *Alexander*, cùm *Darium* fugientem assequi non valeret, *Arbela* venit ibique Rex *Asiæ* declaratur. Inde *Babylonem* progressus urbem magnâ pompâ intravit. Hinc *Susas* iter suscipit, ubi thesaurus ingens ei traditus; *Susis* verò *Persepolin*, quam cùm à Militibus diripi permitteret Regiam etiam *Thaidi* meretrici obtemperans & vino madidus cremari voluit, illa facem primam admovente.

27. Hinc *Pasargadas* (quod nomen *Exercitum Persarum* sonat) à *Cyro* conditas in memoriam victoriæ quam super avum *Astyagem* obtinuerat, progressus est. Hic sepulchrum *Cyri* aperuit quo lectus aureus, mensa, pocula cùm corbe aureo, mundi magna copia & vestes margaritis ornatæ reperiebantur. Tunc *Persiam* universam seu vi sive aliis rationibus domuit circa *Pleiadum* exortum quo veteres æstatis principium exordiri solebant.

28. *Darius*, quo meliùs bellum ex longinquo redintegraret, versùs *Bactriam* fugiebat. Eum *Bessus* ejusdem regionis *Satrapa* & *Na-*

barzanes equitum *Tribunus* compedibus vinciebant, cùmque, *Alexandrum* non longè abesse audirent, lethaliter vulnerarunt. Jumenta etiam quæ currum trahebant vulneribus pænè confecta, cùm absque ullo auriga essent, & viâ aberrarent, in eum locum veniebant in quem *Polystratus Macedo* siti pæne oppressus venerat ad aquam galea hauriendam.

29. Hic *Darium* in curru spirantem adhuc invenit, cui cùm petenti aquam turbidam (uti erat) & cadaveribus inquinatam dedisset, negabat unquam se bibisse jucundiùs, vix enim sitiens unquam biberat. *Alexandro* ob summam humanitatem gratias agi voluit, cui Imperium totius orbis apprecatus est. Tam illius quam aliorum Principum interesse multum affirmans mortem suam non inultam fore, manu *Polystrato* porrecta, cum gratiarum actione expiravit.

30. De splendore deliciis & luxu *Darii* mira scriptores narrant, quæ temporibus corruptissimis magis quam illi attribuenda sunt. Omnis generis coquos, cupedinarios, fartores, artifices Magistrosque gulæ & unguentarios habebat in castris, ne quid ad corporis voluptatem omninò deesset. Quantus enim fuerit alioqui Regum *Persarum* splendor & apparatus in quotidianis epulis non ab uno memoriæ proditum est.

31. Solebant plures uxores habere, his autem civitates attribuere, ut hæc mulieri redimiculum præberet, illa hunc vel illum ornatum. *Dario* autem sic interfecto, *Imperium*

Persicum

Persicum eversum est anno ab ejusdem initio 203°, Regni *Darii* 7°, ætatis ejus quinquagesimo, Mense *Hecatombæone*, *Archonte Aristophonte*, *Olympiadis* 112ª anno tertio ante Æram Christi 328, *A. M.* 3675.

Imperio Persico Contemporanea.

CAP. II.

Res Græcorum inter se gestæ durante Imperio Persico.

SECT. I.

De iis Rebus quæ ab initio hujus Imperii usque ad Xerxis transitum acciderunt.

1. *Cyro* Magno regnante, *Polycrates Sami* Tyrannus floruit qui ex sordido loco eò fælicitatis evasit ut neminem æqualem ex omnibus *Græcis Tyrannis* habuerit.

2. *Tyranni* nomen *Suidas* ex *Tyrrheni* Populo Italico crudeli & latrociniis dedito deducit, alii à *Tyro* urbe opibus & gloriâ florentissimâ.

rentissimâ. Principio nihil mali denotavit, cùm apud antiquos Poetas, *Homero* excepto, Reges boni & laudati *Tyranni* audiant. Postea ex quorundam vi & crudelitate, qui absque ullo jure Resp. invaserant & dominos civitatum se constituerant, ut in malum sensum *Tyrannus* acciperetur effectum est. Atque ex quo tempore nominis usus deterior fuit raró nisi talibus quidem applicandus legitur.

3. *Polycrates* verò, civibus in statum servitute pejorem redactis, adeò prosperâ fortunâ est usus, ut ubicunque se converteret victoriam semper reportaret. Vicinos omnes absque ullo discrimine invasit asserens *Amico suo se magis gratum facere ablatum restituendo quàm si nihil omninò auferret.* *Amasis* autem *Ægyptius*, cum quo amicitiam contraxerat, felicitatem hanc stupendam finem aliquem horrendum habituram affirmans, amico persuasit ut quod Charissimum esset abjiciendo mutationem aliquam fortunæ afferret.

4. Ille navim conscendens annulum signatorium, quo smaragdus inerat, in mare abjecit, accidit autem ut, in piscis venustæ magnitudinis *Tyranno* oblati ventre annulus reperiretur. Quo audito, *Amasis* amicitiæ illius renunciavit ne aliquando de amico miserè perdito sibi esset lugendum. Nec *Amasin* quidem augurium suum fefellit.

5. *Oroetes* enim *Persa*, *Sardium* sub *Cambyse* Præfectus, cùm probè nosset hominis ingenium, pecuniæ multa vi oblata, qua *Graciam* subjugaret, eum in *Asiam* allectum in crucem

crucem egit, sive gloriam ex *Tyranno* tollendo captans, seu *Samum Persico* Imperio Studens adjungere. Post *Polycratem* tamen *Samiis* imperitavit *Maeandrius* ejus Praefectus, quo sublato *Darii Persae* operâ, *Syloson Polycratis* filius *Tyrannus* factus est. Huic, etiam *Persis* adjuvantibus, successit filius *Æaces*, cui, cùm *Aristagoras Milesius* (quo meliùs *Ionas* in rebellionem pelliceret) tyrannides civitatum solveret, abdicata potestas est anno *Darii* filii *Hystaspis* 18°.

6. Anno tertio *Olympiadis* 66ª, *Darii* 8°, motus magni *Athenis* facti sunt qui *Tyrannidis* exitium accelerarunt. Ibi *Pisistratidae* rebus adhuc praerant huc usque moderati satis. Nunc autem accidit, ut *Hipparchus* eorum secundus *Harmodium* quendam amans eumque ad stuprum solicitans ab eo & amasio ejus *Aristogitone* occideretur. Hoc facinore *Hippiae* natu maximus vehementer commotus, quamvis authores in ipso conamine oppressi fuerant, populum ut aegrè se ferentem severiorem in modum tractavit. Hinc simultates ortae quae *Alcmaeonidarum* operâ *Athenienſibus* attulerunt libertatem.

7. *Alcmaeonidae* progenies erant *Alcmaeonis Nestoris* a nepotis, qui *Messeniâ* ab *Heraclidis* exuti cùm *Athenas* veniſſent hinc etiam à *Pisistratidis* in exilium pulsi sunt. Hi *Pythiam* adeò muneribus corruperant ut *Lacedaemoniis* Oraculum *Delphicum* consulentibus semper diceret *Athenas è Tyrannorum manibus recuperandas esse*. Quo motu *Lacedaemonii*

bis ad illos pellendos exercitum miſerunt. Tandem cùm filii *Piſiſtratidarum* fugientes caperentur, parentes, ad liberos redimendos, exilium pacti *Athenis Sigæum* & illinc *Lampſacum* diſceſſerunt.

8. *Piſiſtratidis* jam pulſis, *Athenienſes* in duas factiones abierunt quarum duces fuere *Clyſthenes* & *Iſagoras*. Ille ut æmulum ſuperaret Populo ſibi conciliando totus incubuit. Ex tribubus 4 decem fecit; *Iſagora* cum ſuis pulſo, *Solonis* leges reſtituit, & ne quis potentiâ nimiâ ſe in *Tyrannum* efferret *Oſtraciſmum* induxit quo cuique potentiâ vel gloriâ præcellenti ex urbe abſentia in decennium impoſita eſt. *Oſtraciſmus* dicebatur quòd Populus ad concionem vocatus nomina eorum quos abeſſe vellet *Oſtreæ* teſtæ inſcripſit.

9. Cum *Iſagora* *Lacedæmonii* ſentiebant quorum præſidiarii unà cum illo ejecti ſunt. *Cleomenes* itaque eorum Rex injuriâ ſe affectum dicens, contra *Athenienſes* iterum profectus eſt, at re infecta rediit. Brevi poſt *Ionibus* qui rebellaverant in ordinem redactis, *Darius* ad terram & aquam petendam legatos miſit in *Græciam*, quibus morem geſſerunt *Æginetæ* cum inſulanis reliquis. *Cleomenes* *Spartanus* ad principes defectionis deprehendendos *Æginam* venit, *Demarati* autem Collegæ opera, cum quo ſimultates exercebat, nihil potuit efficere: Hinc adeò excanduit ut *Spartam* reverſus *Demaratum* ſub ſpecie illegitimationis exauctorari fecerit, *Leutychide* in ejus locum ſuffecto.

10. Illatæ

10. Illatæ autem *Demarato* injuriæ utrique pœnas dedit, *Leutychides* enim proditionis damnatus in exilio obiit. *Cleomenes* verò *Phreneticus* factus seipsum, à pedibus incipiens, dissecuit & ex intestinorum vulnere interiit. Cum *Æginetis Athenienses* bellum renovarunt; quòd, quùm hi illorum obsides adhuc detinerent, illi triremem *Delphos* quotannis *Athenis* navigare solitam intercepissent; at *Xerxe* jam *Græciæ* inhiante pax facta est.

11. Dum hoc bellum gereretur, pugna ad *Marathonen Athenienſibus* cum *Darii* copiis accidit, qua *Græci*, auspiciis *Miltiadis*, victoriam obtinuerunt. Cùm autem *Miltiades* iste *Cimonis* filius & *Chersonesi* nuper *Tyrannus* inutilem profectionem contra *Parios* suasisset, multo ære damnatus est, & cum solvendo non esset, in carcere mortuus. Cadaver etiam tàm diu detentum donec *Cimon* filius defuncti se obsidem daret, qui non nisi ære soluto tandem è custodia liberatur.

12. *Xerxes* brevi pòst *Græciam* invasit; belli autem hujus ut *Athenienses* authores præcipuè extiterunt. ità onus ejus maxime sustinuerunt. *Themistocli* sagacitati & industriæ victoria in totum pænè est tribuenda. Ille enim civibus classem fabricare persuasit, *Peloponnesios* domum reversuros detinuit, *Xerxemque* ad fugiendum incitavit.

13. Huic se conjunxit *Aristides* ob morum ἀκεραιοσύνην *Justus* cognominatus quem licet *Ostracismo* urbe pepulisset, curaverat tamen

revocari in hoc patriæ discrimine. Post *Xerxis* fugam *Græci Mardonium* ejus Ducem in pugna ad *Plataas* fuderunt simul & occiderunt. Quibus contra hostem publicum gestis, pauca quidem domi, nisi ad hæc spectantia, acciderunt.

14. Quod ad viros doctos attinet. Quidam 7 sapientum, regnante *Cyro*, floruerunt. Hi septem autem fuerunt *Pittacus Mitylenæus*, *Bias Prienæus*, *Chilon Lacedæmonius*, *Cleobulus Lindius*, *Thales Milesius*, *Solon Athenienſis*, & *Periander Corinthiorum Tyrannus*.

15. Eodem tempore (circiter) inveniuntur *Xenophanes Colophonius*, *Phocylides*, *Anacreon Teius* Poeta, *Anaximander Milesius* Physicus, *Anaximenes* Discipulus ejus, *Theagenes Rheginus* Chronographus Antiquissimus, *Democedes Crotoniata* Medicus qui tàm *Dario* quàm *Atossæ* uxori medicinam salutarem, sibi verò utilem, fecit captivus ad eos ductus.

16. His annumerari possint *Cadmus Milesius* Historiographus; *Hecataeus* qui *Herodoto* Historico facem prætulit, *Phrynichus Athenienſis* Poeta Tragicus, *Heraclitus Ephesius Scotinus* dictus; *Zeno Elienſis* seu *Velienſis* ex *Italia*, & *Pythagoras Samius*.

17. Septem illi priores post *Theologos Poetas* (in quibus *Orpheus* maximè omnium claruit) *Sophi* sive *Sapientes* præcipue appellati sunt. *Pythagoras* verò, haud tantum sibi tribuens, non *Sophos* seu *Sapiens*, sed *Philosophus* sive *Sapientiæ Amator* primus vocari voluit.

Natus

Natus est *Sidone* in *Phœnicia* circa *Olympiadem* 53, mortuus *Metaponti* in ea parte *Italiæ* quæ *Magna Græcia* dicitur. *Olympiadis* 70æ anno quarto.

SECT. 2.

De his quæ inter Græcos acciderunt a pugnis ad Plataeam & Mycalen usque ad bellum Peloponnesiacum.

Spatium Annorum 48.

1. *Persis* tam mari quam terrâ ex *Europa* fugatis, iisque qui *Mycalen* promontorium fugerant prorsùs conciſis, *Leutychides Spartanus* Classis *Græcæ* Præfectus cum *Peloponnesiis* sociis domum rediit. *Athenienses* unà cum *Ionibus* & *Helleſpontiacis Seſtum* obſederunt, qua recepta hi etiam domum reversi sunt.

2. *Athenienses*, liberis & uxoribus in urbem reductis post *Mardonii* cladem, *Aristidis* operà Imperium *Democraticum* restituunt. *Themistoclis* consilio impulsi murorum restaurationem aggrediuntur, cui *Lacedæmonii* vehementer obstare conati ejus astu & industriâ eluſi sunt. *Paulo* pòst *Pausanias Lacedæmonius* qui victoriam ad *Plataeam* obtinuerat multas *Persarum* urbes cepit, regno autem *Græciæ* affectato, secretò societatem cum *Xerxe* iniit

quâ

qui filiam ſuam ei obtulerat in proditionis mercedem.

3. Hujus proditionis & *Helotarum* in ſeditionem tractorum reus in *Minervæ* Templum tanquam ad *Aſylum* confugit, ubi portâ opertâ fame interiit. Eodem tempore *Themiſtocles*, quem *Lacedæmoniorum* invidia in exilium pepulerat, apud *Artaxerxem Longimanum* fato functus eſt qui exulanti ad victum urbes nonnullas aſſignaverat. Anno quinto, poſtquam ille in exilium abiiſſet, mortuus eſt *Ariſtides* cujus abſtinentia in eo apparuit, quòd mortuo tam curta ſupellex eſſet ut filiæ ex publico elocarentur.

4. Ex *Ariſtidis* manſuetudine, *Pauſaniæ* verò faſtu effectum eſt ut rerum *Græcarum* ſumma tam mari quam terrâ à *Lacedæmoniis* ad *Athenienſes* transferretur. Socii enim hujus mores exoſi ad illum omnes confluebant qui, hac occaſione captâ, ſub ſpecie *Xerxem* ulciſcendi tributum ſingulis civitatibus impoſuit. His navium numerus, illis pecunia, impoſitus eſt. *Delos* inſula aſſignata theſauro ſervando, cujus colligendi ſimul & adminiſtrandi, *Athenienſibus* ſolis jus datum.

5. Ab *Ariſtide* 460 talenta indicta ſunt, à *Pericle* 600, at ab hujus obitu tributum ad 1300 excrevit. Ad communem utilitatem inſtitutum ad proprios uſus *Athenienſes* traduxere, quodque pro civitatum commodo elocandum erat contra civitates adminiſtrarunt.

6. A-

6. *Athenienſes* novâ potentiâ elati *Thaſium* oppugnarunt, quos auri & argenti fodinas poſſidentes ægre ferebant. *Thaſii Lacedæmonios* in auxilium vocarunt, at hi rebus ſuis nimis occupati erant, contra quos poſt terræ motum ingentem, *Helotæ Meſſeniorum* reliquiæ, *Ithome* occupata, rebellaverant. *Thaſii* itaque hoſtium arbitrio ſe permittere coacti ſunt.

7. *Lacedæmonii* etiam, qui 3000 hominum, & ædium multarum, ex terræ motu jacturam fecerant, *Athenienſium* opem petierunt. Hi copias quidem auxiliares miſerunt, illi autem ſiniſtra quadam interpretatione uſi eas ſtatim remittebant, qua re vehementer offenſi *Athenienſes* & quaſi contumeliâ magnâ affecti cum *Argivis* eorum hoſtibus contrahunt ſocietatem, ſervis ex *Ithome* anno demùm decimo pulſis, *Naupactum* habitandam dant, & *Megara*, quæ *Lacedæmoniis* contra *Corinthios* conjuncta fuerant, occupant. Hinc odia inter *Athenienſes* & *Spartanos*, inter illos etiam & *Corinthios*, originem traxerunt.

8. Eodem tempore *Mycenæ* ab *Argivis*, quòd jugum eorum cives ferre nollent, captæ & exciſæ ſunt. Inter *Athenienſes* & *Corinthios* certamen de *Megaris* renovatum ex quo illi victoriam reportarunt. *Phocenſibus* autem contra *Dores* & *Lacedæmonios* opem ferentes parùm proſperè bellum gerebant, tamque *Ægypto* quàm in aliis locis adeò ut inducias cum *Peloponneſiis* paciſci cogerentur, *Bœotiamque* miſſam facere, quo tempore *Eubœa* etiam inſula ab illis defecit.

9. *Eubœam*

9. *Eubœam* tamen recuperavit illis *Pericles Xanthippi* filius qui *Peloponnesiorum* Duces adeò corruperat ut domum ab *Attica* invasa redirent. Hic successus partes utrasque ad fœdus triginta annorum ineundum compulit. Non multò pòst *Pericles Samum* insulam subjugavit, cujus clade adeo territi sunt *Byzantii* ut urbem suam *Athenensibus* dederent.

10. *Olympiadis* 85ª anno secundo, *Artaxerxis Longimani* vero 25° isti motus acciderunt, qui bello *Corinthiaco* occasionem præbentes *Peloponnesiaci* velut semina fuere. *Corinthiorum Corcyræi*, horum *Epidamnenses* coloni erant. *Epidamnenses* seditionibus laborantes, cùm exules suos superare non valerent, se contulerunt ad *Corcyræos* ut patronos suos, qui vel exulibus faventes vel agentes aliud eorum res negligebant. Hinc *Corinthum* Metropolin confugientes ejus opem implorant. *Corinthii* de Colonorum suorum fastu multa antehac questi hanc eos castigandi ansam arripuerunt; illi vero *Epidamnensium* res ad se spectare affirmarunt & ægerrime tulerunt *Corinthios* iisdem se miscentes.

11. Itaque cùm *Corinthii* præsidium *Epidamno* imposuissent, *Corcyræi* urbem expugnant, illisque impares cum *Athenensibus* contrahunt societatem. Et *Athenienses* quidem hanc rationem sibi ineundam statuebant, quòd cum *Peloponnesiis* bellum sibi futurum prospicerent, & *Corcyram* insulam rebus gerendis opportunam hoc modo possent occupare

pare, ex qua hostium vires etiam obtundi vel labefactari voluerunt simul & sperarunt.

12. Eorum auxiliis *Corcyræi* adjuti navali pugnâ *Corinthios* superabant. Præterea, cùm hos graviter commotos nossent, ne negotium sibi in *Thracia* (urbes à fide abstrahendo) facesserent, *Potidæatæ* in isthmo *Pallene* sitos *Corinthiorum* verò colonos inducere ut Magistratum illuc quotannis à *Corintho* mitti solitum pellerent & præsidium à se reciperent, conati sunt. *Potidæatæ* mandatum hoc facere nolentes terrâ marique arctè sunt obsessi.

13. Hinc *Corinthii* indignari & sociorum implorare fidem, quorum legati *Lacedæmonem* ad *Athenienses* accusandos confluebant. Ibi de bello iis inferendo actum & conventum est, & legati mittuntur ad ea postulanda quæ eos nunquam concessuros satis noverant. Ad hoc bellum suscipiendum *Lacedæmoniis* author fuit *Sthenelaidas Ephorus*, *Athenienſibus* verò *Pericles*; hic ut Populum rebus agendis distineret, quo minùs multæ pecuniæ ratio exigeretur, quam in publicos sumptus acceptam in usus privatos absumpserat. Huc usque sine caduceatore disceptatum est, non obstantibus his dissidiis. Hæc autem cùm fœdera perturbarent bello gravissimo subministrarunt occasionem.

14. Docti multi hoc temporis intervallo floruerunt, *Æschylus Tragicus*, *Iccus* Medicus *Tarentinus*, *Anaxagoras Clazomenius* à *Pericle* Discipulo defensus, *Panyasis* Poeta. *Pericles Athenienſium* Dux & Orator

præ

præstantissimus, quem dicendo fulgurare, tonare & permiscere *Græciam* ait *Aristophanes:* Nam iidem erant olim virtutis & eloquentiæ Magistri. *Charondas Thuriorum, Zaleucus Locrorum* Legislator, uterque *Pythagoræ* Discipulus.

15. *Melissus, Protagoras, Empedocles. Herodotus Halicarnassæus* quem *Cicero* vocat historiæ patrem. *Euripides* Tragicus, & *Sophocles Athenienſium* Dux. *Phrynichus* Comicus, *Pindarus Thebanus* Lyricorum Princeps. Anno bellum *Peloponnesiacum* præcedente, *Archonte Apsende, Meton Athenienſis* cyclum suum Lunæ (seu aureum numerum) 19 annos complectentem inchoavit.

SECT. 3.

A belli Peloponnesiaci initio usque ad ejus finem.

Spatium Annorum 27.

1. ANno 15° ex quo *Eubœam Athenienſes* recuperaverant, induciæque in annos triginta fuerant pactæ; mense sexto ex pugna inter *Athenienſes* & *Corinthios* ad *Potidæam* commissa, anno 48° Sacerdotii *Chrysis Argivæ, Ephoro Æneſia, Archonte Pythodoro, Olympiadis* 87ª anno primo, *Artaxerxis Longimani* 38°, *A. M.* 3573°. bellum *Peloponnesiacum* geri

geri cæpit, cùm nullum jam commercium abſque Caduceatore intercederet, vique omnia adminiſtrarentur.

2. Regiminis *Pythodori* menſe ſecundo, rere incunte, *Thebani* bellum oriturum ſuſpicati *Plataeam*, ut ſibi valde opportunam, occupare cerrabant; ſed ab oppidanis inſurgentibus ſtatim oppreſſi ſunt eorum milites quorum numerus opinione minor intra muros penetraverat. Hinc *Athenienſes* injuriâ ſe affici clamantes utpote quibus cum *Plataenſibus* amicitia & Societas intercedebat, *Boeotios*, ubicumque occurrebant, captivos fecere, atque fœdere utrinque violato, ad arma convolarunt. *Graecorum* verò plerique *Lacedaemoniis*, qui *Graeciæ* vindices audiebant, ſe adjunxerunt.

3. Ex eorum partibus ſteterunt *Peloponneſii* omnes præter *Argivos* & *Achaos*. Inter hos etiam *Pallenenſes Spartanos* in principio ſequuti ſunt, quorum exemplum reliqui poſtea ſunt imitati. Extra *Peloponneſum* verò *Megarenſes*, *Phocenſes*, *Locrenſes*, *Boeotii*, *Ambraciotæ*, *Leucadii*, *Anactorii*. *Athenienſes* ſequebantur *Chii*, *Lesbii*, *Plataenſes*, *Meſſenii Naupactum* incolentes, *Acarnanum* plerique, *Cureyraei*, *Zacynthii*, reliquæque urbes tributariæ, *Cares* maritimi, *Dores* eorum vicini, *Iones Helleſpontum* versùs loca incolentes, *Thraciæ* urbes variæ atque alia oppida haud pauca. Inſulæ intra *Peloponneſum* & *Cretam* orientem verſus, *Cycladeſque* omnes præter *Melum* & *Theram*.

4. Socii

4. Socii ad *Isthmum* congregati *Atticam* sub auspiciis *Archidami Spartani* Regis invadunt, quos ut averterent *Athenienses* in *Peloponnesum* copias prædatum mittunt, & *Æginæ* incolis ejectis coloniam ex suis imponunt. Æstate secunda *Archidamo* in *Atticam* reverso pestis horrenda regionem totam devastavit, ex qua plurimi, & inter cæteros ipse *Pericles*, interierunt, *Athenienſibus* autem in tot ærumnis positis *Potidæa* dedita est; singulis annis per sexennium *Peloponnesii Atticam* invaserunt quo temporis spatio *Mitylenen Athenienſis*, *Plataam* verò *Lacedæmonii* deditione acceperunt.

5. Anno sexto, cùm *Agis* filius *Archidami* in *Attica* adhuc hæreret, *Demosthenes Athenienſis Siciliam* versùs navigans *Pylum Laconiæ* promontorium occupavit & fortiter munivit. Hoc auso *Spartani* vehementer perturbati copias suas ex *Attica* revocant, & ad *Pylum* expugnandam contendunt terrâ marique totis viribus. Insulam promontorio objectam, *Sphacteriam* dictam, occupant, quo rem faciliùs gerere possint. *Athenienſium* autem classis accersita, numero navium cùm polleret, facilè superior alteram *Lacedæmoniorum* in portu oppressit, hosque obsessores in insula *Sphacteria* obsedit.

6. *Lacedæmonii* suos recuperandi gratiâ *Athenas* miserunt legatos ad inducias paciscendas, *Cleonis* autem hominis vafri & turbulenti operâ fructum nullum ex hoc consilio perceperunt, atque adeo obsessi se dedere coacti

coacti sunt; atque ab *Atheniensibus* statutum eos capite plectendos quamprimum *Atticam Lacedæmonii* invasissent. Ita quidem *Athenienses* rebus prosperis elati sunt ut pacem sub legibus honestissimis oblatam prorsus respuerent.

7. Brevi autem post tempore *Bœotios* illos adjuvare conati qui Populi Imperium inducere studebant, ad *Delon* magnam acceperunt cladem atque alteram ad *Amphipolin Thraciæ* urbem ubi *Brasidas Spartanus* eorum res valde affligebat: Hinc contemptum metuentes eos instituti pœnituit pacique haud iniqui fuere. *Lacedæmonii* quoque qui *Atticam* invadendo rem totam se confecturos vix dubitaverant, se vana spe delusos agnoscebant, cladem in insula acceptam ponebant sibi semper ante oculos, excursiones à *Pylo* & *Cythera* insula (quam *Laconiæ* adjacentem *Athenienses* occupaverant) tulerunt molestissimè, verebantur ne *Argos* urbs potentissima, quam *Spartano* nomini infensissimam noverant, induciis finitis, cum hostibus se conjungeret, captivitatem autem suorum in insula captorum minimè videbantur toleraturi.

8. De pace itaque in quinquennium conventum est hac lege præcipuè: Ut utrinque tam locorum quam hominum restitutio fieret, paucis urbibus exceptis. De hac pace autem, ut iniquâ prorsùs, civitates variæ conquestæ sunt, odiumque suum ab *Atheniensibus* hostibus notissimis ad *Spartanos* injustissimos amicos transtulerunt. Præsertim *Corinthii* se injuriâ affectos exclamabant, seque cum *Peloponnesiis*

neſiis cæteris, *Argivis* conjunxerunt, atque eo magis quòd *Lacedæmonii* cum *Athenienſibus* arctum ſocietatis fœdus nuper inierant veriti ſcilicet ne hi ad *Peloponneſiorum* partes traherentur, quo facto, de ſe actum fore certiſſimè noverant.

9. *Spartani* civitatum iram deprecati ſunt, at *Scyllam* vitantes in *Charybdim* inciderunt. Studentes enim *Athenienſibus* morem gerere nihil pæne præſtiterunt, cùm loca reſtituenda nondum traderentur quæ non in eorum ſed ſociorum poteſtate erant. *Athenienſes* de hac re ſoliciti multis eos arguebant, *Pylumque* reſtituere planè recuſabant. Illi verò hanc recipiendi ſtudiis continuis exagitati à *Bœotiis* *Panactum* obtinuerunt *Athenienſibus* reddendam, ſed hac conditione ut cum illis ſocietatem inirent, & nudam prorſus munitionibuſque privatam. Duplici itaque nomine eorum offenſam incurrebant quos ſibi ſtatuebant conciliare, cùm ob oppidum vacuum reſtitutum, tùm ob fœdus cum *Bœotiis* percuſſum, quod cum arctæ ſocietatis legibus manifeſtè pugnabat.

10. Dum *Athenienſes* indignarentur, anxique adhuc tàm de pace quàm bello cogitarent, artibus *Alcibiadis*, juvenis nobiliſſimi *Periclisque* ex ſorore nepotis, ad arma propulſi ſunt; *Eporique* ipſi paci adeò adverſi erant ut qui partibus conciliandis incumbebant parum proficerent. *Athenienſes* itaque, cum *Argivis* aliiſque *Peloponneſiis* inita ſocietate, *Alcibiadi* *Peloponneſum* invadendi negotium dant.

dant. Æſtate ſequenti, *Lacedæmonii* Regem *Agidem* ad *Argivos* caſtigandos miſerunt, qui re male geſta cenſuram graviſſimam incurrit, veniâ autem factâ, ſaltem ut famam redimeret, ſecundùm manu conſerta magno eos nobiliſſimoque, ut *Thucydides* ait, vicit prælio.

11. Quamvis hac victoriâ *Spartani* longe ſuperiores fierent, *Argivorum* tamen etiam ipſi ſocietatem ambiebant, & Oligarchicorum operâ fœdus quidem initum eſt; at brevi poſt cùm populus rerum ſummam recuperaſſet, id ut nullis legibus innixum nihili habuit, aliud autem cum *Athenienſibus* eandem Reipub. formam colentibus, pactum renovavit. Hactenus adeò minutæ *Lacedæmoniis* res ſuæ videbantur, ut quamvis *Athenienſes Melum* eorum coloniam aggrederentur (quam expugnatam poſthac crudeliſſimè tractarunt) & ex *Pylo* in *Laconiam* impreſſiones fierent, fœdus tamen violatum haud agnoſcebant, edici ſolùm jubentes ſubditis ſuis integrum eſſe ex *Athenienſium* terris prædas agere. Atque æſtas anni decimi cum his rebus exiit.

12. Belli autem hujus anno quarto *Athenienſes*, licèt aliàs ſatis occupati, claſſem in *Siciliam* expedierant, verbo quidem ut *Leontinis* adeſſet contra *Syracuſanos*, reverà ut inſulam illam ditioni ſuæ adjicerent, quo commodiùs poſſent perdomare *Græciam*; cùmque ſubinde copias mitterent & factiones alerent, *Hermocrates Syracuſanus* author fuit *Siculis*, ut, omni depoſita ſimultate, in unum contra illos conſpirarent qui libertati *Siciliæ* inſidias

insidias tendebant. Hoc factum hujus belli anno septimo.

13. *Hermocratis* verò conatus non adeo profecit quin offensiones repulluarent quæ *Egestanos* commiserunt cum *Selinuntiis* quibus *Syracusani* opitulati sunt. *Egestani* qui societatem cum *Atheniensibus* contraxerant eorum fidem & auxilium nunc implorabant, sumptibus ad copias alendas ultrò oblatis. Illi occasionibus omnibus invigilantes imperii augendi quosdam miserunt qui de tantis *Egestanorum* facultatibus fidem pleniorem facerent: Nuntii vero reversi falsa multa de eorum divitiis prædicarunt, & Populus hac spe elevatus opem supplicibus mittendam decrevit sub auspiciis *Niciæ*, *Alcibiadis* & *Lamachi*: Jamque apparatibus bellicis strenue incumbitur.

14. Classe solutura *Hermæ* (sive *Mercurii*) statuæ absque brachiis januis civium adstantes noctu mutilabantur, quo facto Populus vehementer excanduit, & suspicio de *Alcibiade* fuit, qui cùm animo esset celsissimo Populi imperio infensus videbatur. Ille metuens ne absens inimicorum operâ damnaretur, judicium ante discessum suum subire volebat, hi vero quibus satis perspecta fuerat illa gratia quam cum militibus inierat ante profectionem noluerunt litem movere. Appropinquante ad *Siciliam* classe tamen revocatur & *Lacedæmonem* fugiens damnatur unà cum amicis, quorum nonnulli capitali supplicio affecti sunt.

15. *Selinuntiis*

15. *Selinuntiis* autem & *Syracuſanis* contribuerunt auxilia *Spartani* & *Corinthii*, & *Gylippus Lacedæmonius* tam opera quam conſilia *Niciæ* vehementer perturbavit. *Nicias* patriæ ſuæ deeſſe noluit, at à *Demoſthene* collega culpatus quòd *Syracuſas* belli ſtrem nondum aggrederetur, ejuſque authoritate motus, *Epipolas*, locum aditu difficillimum, occupare tentavit, ſed, totis licet viribus uſus, clade accepta, pedem referre coactus eſt.

16. Qua clade conſternatus *Demoſthenes* decedere protinus volebat, *Nicias* vero plebis ingenium ſatis perſpectum habens quòd omnia conſilia ſecundùm eventum penſitet, vitæ ſuæ & fortunæ diſcrimen tantum adire noluit. Verùm, nuncio accepto *Gylippum* cum novis copiis adventare, contrarium planè conſilium admiſit, & deceſſuri jam erant, cùm lunæ deliquium accideret. Hoc adeò iterùm *Niciam* commovit, ut ſuperſtitioni cedens ante diem 27um decedere nollet, quo audito *Syracuſani* geſtientes fugam eorum impedire decreverunt, ſaltem cogere ærumnoſos ad locum alium ſe transferre. Caſtra primùm oppugnarunt, poſtridie ad pugnam tam mari quam terrâ ineundam eos compulerunt. Acerrimum prælium ad portus introitum committitur quo *Eurymedon* alter *Niciæ* collega occubuit.

17. Cùm *Syracuſani* ad fugam hoſtium intercipiendam portus introitum vallo munire decreviſſent, *Athenienſes* iterum mari pugnare ſtatuerunt, quod ſi minùs ſuccederet, navibus combuſtis iter terreſtre erat inſtituen-

dum.

dum. Castra vero classi conjungenda erant, cui incæpto adeò obstiterunt *Siculi* ut classes iterùm congrederentur, taleque oriretur certamen quale nusquam ferè mortalibus visum. Ab hac pugna milites naves conscendere plane recusabant; ideoque terrestris fuga acceleranda penitus erat. Si citissimè quidem decessissent, melius prospexissent rebus suis, *Hermocratis* autem *Syracusani* dolis circumventi usque ad diem tertium moras traxerunt.

18. Fuga lamentorum, doloris, miseriæ & rerum humanarum vicissitudinis spectaculum egregium exhibuit. *Gylippus*, navibus 130 in portu captis, fugientes in duas turmas divisos se dedere tandem compulit. Die uno 18000 cæsi sunt 700 capti & ad metalla damnati qui tamen postea venundati sunt. *Nicias* & *Demosthenes* vel carcere necati vel sibimet ipsis manus intulerunt. Atque talem habuit exitum *Athenienſium* ambitio, qui, dum omnia adipisci voluerint, omnium pænè jacturam fecerunt.

19. Quantus hinc *Athenienſium* dolor qui imperio se decidisse videbant, tanta pænè reliquorum *Græcorum* exultatio & gaudium. Qui enim cum illis bellum gesserant de hostibus crudelissimis simul & superbissimis jam sibi triumphare videbantur, illi vero qui iis militaverant eorum dominatu & fastu tantum non oppressi, jugo servitutis excusso, gestiebant. Hoc tempore *Alcibiades* in exilium abactus multa in patriam commentabatur. Brevi autem post *Peloponnesiis* suspectus &

Agidi

Agidi Regi, cujus uxorem corrupetat, perdite odiosus (cum *Astyocho* Duci eum occidendi negotium daretur) ad *Tissaphernem* fugit quem, reditum meditans, à *Peloponnesiis* alienavit, talia *Satrapæ* suggerendo quæ in utilitatem Regis prorsus cederent.

20. *Peloponnesiorum* enim statum totum aperiens, drachmam, quam Rex in stipendium quotidianam militis singuli elocabat, in tres obolos illi commutare persuasit, quorum portionem aliquam etiam detinendam dixit, ut militem sui observantem redderet stipendii causâ. Ne autem *Athenienses* à *Lacedæmoniis* penitus opprimerentur summis viribus enitendum affirmavit, & has duas civitates seu in æquilibrio ponendas, ut vires mutuò contererent, majorem verò *Athenienſium* rationem habendam, utpote qui maris dominio contenti ulterius non procederent, cùm *Lacedæmoniorum* ambitioni termini nulli assignari possent, qui etiam *Græcos* universos à *Persico* jugo liberare in consiliis habebant.

21. *Tissaphernes* hæc præcepta haud aliter ac oraculi cujusdam effata respiciens ad ea se totum composuit. Quamobrem fidem, qua se obstrinxerat naves suas cum *Græcorum* classe conjungere, nunquam liberavit, copiisque eorum, stipendia detinendo, nervos intercidit. *Alcibiades* qui ad reditum se jam totum applicabat cum quibusdam per literas de eo egit, significabat autem se ægrè reversurum nisi Populi dominatus, sub quo in exilium pulsus fuerat, tolleretur.

22. Hoc quidem Oligarchici præſtiterunt, nondum tamen ejus res maturæ ſatis erant ob *Tiſſaphernem* ab eo alienatum. Ad exercitum itaque qui in *Samo* tunc agebat, & hanc Reip. mutationem moleſtiſſimè ferebat, ſe convertit & a militibus revocatus eſt. Gliſcebat autem tanta invidia inter exercitum & Oligarchicos, quorum 400 rei ſummam tenebant, & tantæ ſeditiones exortæ ſunt, ut *Athenienſes*, mari iterùm magna clade accepta, funditus periiſſent, niſi *Lacedæmonios*, ad agendum ſegnes & imparatos, habuiſſent hoſtes.

23. Hac clade conſternati, ut cùm exercitu in gratiam redirent, viris 400 imperium abrogarunt, quod 5000 traditum eſt legibus quidem talibus ut Remp. *Athenienſium* nunc demum optime fuiſſe conſtitutam *Thucydides* judicet, tàm ab Oligarchia quàm plebis nimia & effreni potentia abhorrentem. Hoc facto, ſucceſſu aliquo erecti ſunt in meliorem ſpem, ne de rebus ſuis adeò deſperarent. *Alcibiades* autem *Tiſſaphernem* inviſens ab eo captivus eſt factus ut *Satrapa* gratum Regi faceret qui ne commoveretur verebatur *Lacedæmoniorum* querelis.

24. Ex cuſtodia tamen evaſit & *Cyzicum* veniens *Mindarum* Spartanum ducem tam terrâ quam mari devicit, captis omnibus *Peloponneſiorum* navibus, adeò ut literæ *Lacedæmonem* verſus miſſæ interceptæ fuerint hac formulâ, ſecundum *Laconicam* brevitatem ſcriptæ: *Perdita ſunt omnia, Mindarus interiit. Milites fame contabeſcunt, quid faciendum ſit neſcimus planè.* 25. Qui

25. Qua rerum mutatione *Lacedæmonii* perculsi *Athenas* ad pacem petendam miserunt legatos qui *Cleophonis* cujusdam operâ auditi non sunt, tanta futurorum necessitas *Athenienses* premebat. Et parumper quidem res fæliciter administrarunt, *Alcibiadem Athenas* revertentem honoribus immensis cumularunt, Ducemque suum constituerunt. Brevi autem pòst (quæ est plebis insana temeritas) hominem, quòd eo absente navium Rector infæliciter pugnasset, potentiâ privarunt, ducesque crearunt decem quibus classis & exercitus cura demandata est. Hi *Callicratidam* Spartanum, qui *Lysandro* successerat, navali prælio vicerunt, at propterea quod milites quidam navibus pessundatis periissent, cum honoribus affici meruissent ad necem sunt damnati, eorumque sex capitali supplicio affecti, inter quos *Pericles Periclis* filius.

26. *Peloponnesiis* autem nunc res suæ mutare videbantur, quapropter aliam consilii rationem ineuntes *Lysandrum* classi restituendum decernunt, qui cùm ex patriis legibus bis classi præesse non posset, his elusis, seu *Aracs* cujusdam legatus mittitur. Hic *Atheniensium* classem ad *Ægospotamon* fluvium nullo ordine, custodiâ nullâ, securum & incompositum aggressus facile devicit, ex navibus 130 omnes cepit præter octo, milites vero 3000, qui omnes, uno *Adimanto* excepto, necati sunt.

27. *Lysander* præsidiarios *Athenienſium* undique ex urbibus ejecit quos omnes *Athe-*

nas misit ut urbs illa plenior mortalibus facta magis obsidioni tolerandæ impar foret. *Democratia* soluta *Oligarchiam* ubique induxit, ut, amicis suis summæ rei præfectis, Tyrannidem quandam in *Græcia* obtineret. Copiis tandem *Sparta* accitis *Athenas* mari & terra obsedit, quæ, postquam cives extrema omnia perpessi fuissent, his conditionibus dedunt.

28. *Muri longi & Piræi munitiones demoliuntor, Naves omnes præter 12 deduntor, Exules recipiuntor, Athenienses Lacedæmonios bello sequuntor, atque una cum iis pacem vel bellum colant. Lysander* naves & muros occupavit *Munichionis* mensis die decimo sexto; illæ crematæ sunt, hi vero complanati ad tibiarum sonitum undique conquisitarum. Ex his annus 27 & bellum quidem ipsum finem accepit, (quo Duces *Græcorum* plures quàm in omnibus fermè aliis interierant) anno 780 à bello *Trojano*, *Olympiadis* 93. 4°, *Darii Nothi* 19°, *A. M.* 3600.

SECT.

SECT. 4.

Ab exitu belli Peloponnesiaci usque ad Philippi Regis Macedonia initium.

Spatium Annorum 44.

1. ANno sequenti quo celebrata est *Olympias* 94ª quâ (in stadio) vicit *Crocinas Thessalus*, *Endico Ephoro*, *Archonte Pythodoro Athenis*, triginta viri ad leges condendas & Remp. ordinandum electi sunt. Potentiam, *Lysandri* operâ, adepti nihil antiquius habuerunt quam potentiam suam stabilire Tyrannidemque tam horrendam constituerunt qualis nusquam memoratur. Omnia cædibus & rapinis complentes, delectis civibus in quorum occisorum bona invo arent, *Theramenem* etiam collegam, quòd eorum nequitiam perdite exosus his malis obviam ire conaretur, judicio (quo magis publico eo iniquiori) damnatum cicutam bibere coegerunt.

2. Magnus civium numerus in exilium abiit quorum facultates Tyrannorum fisco addictæ sunt. Inter illos erat *Thrasybulus* qui 30 Virorum tantùm auxilio usus primùm *Phylen* in *Attica* arcem, postea, aucto exulum illuc confugientium numero, *Piræum* occupavit, quo facto, illi qui in urbe adhuc hærebant Tyrannis Imperium abrogarunt. Tyrannis

Lacedæmoniorum opem implorantibus adfuit ſtatim *Lyſander* & *Pyræum* obſidebat; at cùm peſſima contra exules ſtatueret, à *Pauſania* Rege qui *Athenas* ſecundùm devincendi gloriam illi invidebat, conatus ejus irriti ſunt facti. *Pauſaniæ* operâ, omnia in integrum *Athenienſibus* reſtituuntur, Tyrannis in exilium puſſis Populo imperium redditur, & omnium *Amneſtia* decernitur communi ſuffragio, quæ *Xenophonte* obſervante, pacis & concordiæ vinculum magnum ac ſolum extitit, his temporibus apprimè neceſſarium.

3. Talem quidem exitum habuit 30 virorum *Tyrannis* qui ex Senatus decreto, ut quidam ait, rei ſummæ præfecti, cives 1400, causâ inauditâ necarunt, plures verò 5000 abegerunt in exilium. Intra urbem autem eorum rabies nequaquam ſe continuit, in *Aſiam* perrexit ubi *Alcibiadi* patriæ ſpei exitium attulit; verebantur enim ne aliquando foret ut *Athenas* liberaret, nullamque ſecuritatem ſibi promittentes quamdiu ille ſupereſſet, *Lacedæmonios* obnixè rogarunt ut aliqua ſaltem ratione curarent eum è medio tollendum. Hi ſive hominem eodem nomine odiſſent ſive *Agidi* Regi, cum cujus uxore ſtupri conſuetudinem habuerat, pergratum facturi *Pharnabazum* ad cædem perpetrandam perpulerunt. Mortuus eſt *Alcibiades* ætatis ſuæ flore, utpote qui vix quadrageſimum annum exceſſerat, vir ingenii ſtupendi & formæ egregiæ. In eum *Socrates* verum *Platonicum* amorem exercuit, at viſus eſt parum profeciſſe,

profeciſſe, cùm ſatis conſtet neminem tàm vitiis quàm virtutibus *Alcibiadem* ſuperaſſe.

4. *Cyro* minore in prælio ad *Cunaxam* occiſo, *Aſiæ* Civitates *Græcæ* contra *Tiſſaphernem* opem *Lacedæmoniorum* implorarunt. Hi *Thimbronem* in *Aſiam* miſerunt, nuncio autem accepto claſſem ingentem in *Phœnicia* fabricari, *Ageſilaus* Rex profectionem ſuſcepit. Hic *Agidis* nuper defuncti frater & pedè claudus in certamine de ſucceſſionis jure, *Lyſandri* operâ, *Leotychidam* ſuperaverat, quem haud *Agidis* genuinum filium ſed ab *Alcibiade* genitum fuiſſe haud levis erat ſuſpicio.

5. Quamprimùm in *Aſiam* venit, *Lyſandri* dignitate & rerum geſtarum gloriâ ſe planè obſcuratum ſenſit, quapropter ejus poſtulatis ſemper abnuebat ut gratiam imminueret, atque ad alia adminiſtranda eum procul amandavit. Rex verò adeò ſtrenuè res ſuas geſſit ut de ipſo Orientis imperio jam certamen ſubiturus eſſet, cùm *Perſæ* eum vel ab *Aſia* extrahendum vel de ſe actum fore perſpicientes, civitates *Græcas* auro ad bellum *Lacedæmoniis* inferendum corruperunt; quo ille ad patriæ ſuccurrendum redire cogeretur.

6. Contra *Thebanos*, qui primi vim *Lacedæmoniis* intulerant, *Pauſanias* Rex & *Lyſander* miſſi ſunt, quorum hic, *Orchomeno* à *Thebanorum* ſocietate prius abducta, *Haliartum* oppugnans occubuit, homo crudelis & vafer qui nunc jure nunc injuriâ uſus ad res ſuas

promovendas dicere solebat, ubi leonis exuviæ non sufficerent pellem vulpinam illis assuendam esse. *Pausanias* autem, quòd opem illi promissam non citò tulisset, & ob alia objecta damnatus, *Tegeam* fugit ubi postea ex morbo interiit. *Ephori* verò & *Aristodemus* Regis *Agesipolis* tutor hominibus 15000 sociorum exercitum ex 20000 constantem fuderunt, octo tantùm viris desideratis ex suorum numero.

7. *Agesilaus* in *Græciam* reversus Socios magno prælio in *Bœotia* fudit ad *Chæroneam* ubi *Bœoti*, *Athenienses*, *Argivi*, *Corinthii*, *Eubœenses*, *Œnianes*, & *Locrenses* utrique congregabantur. Contra *Argivos* fæliciter belligeravit, sed *Conon Athenienſis* res patriæ *Persarum* ope variis modis promovens & cum *Pharnabazo* conjunctus *Lacedæmonios* navali prælio ad *Cnidum* superavit, & longiùs progressurus videbatur, ita ut pacem omnino petendam hi judicarent, quam, postquàm res huc illuc agitata fuisset, tandem impetrarunt. Pax ista prima post bellum *Peloponnesiacum* inter *Lacedæmonios*, *Athenienses* cæteroſque sancita *Antalcidæ* Legati nomine insignita est. Proditio autem magis *Græcorum* Civitatum est vocanda, ob quarum libertatem asserendam *Agesilaus* (specie saltem) *Asiam* invaserat.

8. *Lacedæmonii* qui pacem obtinuerant jam valde se efferebant, & castigare volebant sociorum illos qui in hostes proniori fuerant animo. *Mantineos* complanare muros urbis

&

& in vicos decedere, *Phliasios* exules suos recipere coegerunt. Contra *Olynthios* bellum susceperunt *Acanthiorum* & *Apolloniatarum* querelis adducti qui eos cum *Athenienſibus* & *Thebanis* conjurationis initæ inſimulaverant. *Olynthii* omnino formidandi nunc erant, utpote qui *Macedoniæ* partem majorem occupaverant, *Pellam* Metropolin ceperant, idemque ſtudium, quod olim *Lacedæmonii*, *Græcas* civitates liberandi præ ſe ferentes, *Amyntam* Regem toto pæne exuerant regno.

9. In *Thraciam* adverſus eos cum 2000 militibus *Eudamidas* miſſus eſt qui *Potidæam* recepit & pro tantis viribus ſatis quidem profecit. Eum *Phœbidas* frater cum exercitu ſequitur & in itinere *Thebas* digreſſus, *Thebanis* jam ſeditione laborantibus, *Cadmeam* arcem à *Leontida Polemarcho* proditam occupat. Hoc ſocii ipſi minime probabant, ſed cum *Ageſilaus Thebanis* infenſiſſimus facti patronum ſe præberet, & illi contra *Lacedæmonios* ne hiſcere quidem auderent, Legatos ſuos mittebant qui tribus *Spartanorum* conjuncti *Iſmeniam* collegam *Leontidæ* cum *Perſa* ſentiiſſe dictum capitis damnabant & urbis imperium tradebant *Leontidæ* ejuſque ſociis.

10. *Olynthum Lacedæmonii* ceperunt & *Phliaſios* debellarunt *Ageſilao* Duce; ſed cùm omnia illis ex voto ſuccedere viderentur, *Thebas* illicò exules recuperabant, & cùm horum dolis *Sphodrias Spartanus* ad *Atticam* invadendam inductus fuiſſet, *Ageſilaus*

filii *Archidami* precibus cedens, factum ejus defendebat, quo *Athenienſes* commoti (quod exules volebant) *Thebanis* ſe adjunxere mariique haud ſemel victoriam obtinebant. *Ageſilaus* contra *Bœotos* bis miſſus parùm feliciter bellum geſſit atque poſt eum alii, quorum fugâ *Thebanos* confirmatos atque ex his certaminibus bellicis exercitatos indies à ſe defendendo ad imperium *Græciæ* quærendum ipſa fortuna manuduxit.

11. Anno ſequenti, in quem *Olympiadis* 101ª annus ſecundus *Artaxerxis Mnemonis* vero trigeſimus incidit, *Archonte Hippodamo*, *Artaxerxes* auxilia *Græcorum* ſibi contra *Ægyptios* adeſſe cupiens pacem inter eos fieri curavit. *Thebani* autem rebus proſperis elati hac pace obligari nequaquam volebant, nec *Bœotiæ* civitates liberas eſſe jubere, civium ſuorum virtute bellica animati, inter quos eminebant *Pelopidas*, & *Epaminondas* qui ex Philoſopho paupere omnium *Græcorum* Ducum clariſſimus evaſit.

12. Nec ii quidem qui pacem ambiebant eâ frui vel intra illius terminos ſe continere potuerunt. Qui enim, *Lacedæmoniorum* jugo rejecto, *Democratiam* recuperabant ſummo *Oligarchicos* odio proſequuti ſunt, cædeſque horrendæ indies fiebant, dum nunc hi nunc illi plurimum poterant, remque ſummam occupabant: Nec ceſſarunt ſeditiones iſtæ inter *Græcos* donec ſub unius Imperii clientelam redacti eſſent.

13. Cùm

13. Cùm autem *Lacedæmonii* paucorum dominatûs, *Athenienſes* verò popularis, uti ſemper, nunc patroni eſſent; ad arma ſtatim convolatum eſt, nihili fœdere habito. *Thebani* in res ſuas eò magis attentiores quò inter illos magis gliſcere diſſidia videbant, *Plataas* & *Theſpias* vrbes, quod viderentur cum *Athenienſibus* ſentire, occupatas ſolo æquarunt, eodem anno quo *Helice* & *Bura Achæorum* urbes ex terræ motu & hunc maris inundatione ſecuta interierunt.

14. Anno proximè ſequenti, in quem incidit *Olympiadis* 102ª annus primus, qua ſtadio vicit *Damon Theurius, Archonte Alciſthene*, pax iterùm *Artaxerxis* operâ inter civitates coaluit, qua tamen *Thebani* minimè obligari *noluerunt*, iiſdem rerum momentis quibus antea inducti. In eos itaque, ut *Græciæ* hoſtes, bellum gerere ſtatuebant Spartani, quibus cùm omnes alii auxiliares copias mitterent, de *Thebanis* actum planè videbatur.

15. Non autem percipiebant cum *Epaminonda* ſibi rem fore qui Dux conſtitutus unà cum *Bœotarchis*, *Cleombrotum* Regem qui *Bœotiam* invaſerat, &, poſtquam nova auxilia recepiſſet, induciis vim tulerat, ad *Leuctra* prælio vicit & occidit. Cum *Cleombroto* ceciderunt ſociorum 4000 *Thebani* verò 300. Incidit hoc prælium in annum trigeſimum quartum à bello *Peloponneſiaco*, *Olympiadis* 102ª annum ſecundum, *Artaxerxis Mnemonis* 34, *Archonte Phraſiclide*, *A. M.* 3634.

16. *Lace-*

16. *Lacedæmonii*, nuncio hujus cladis accepto, egregiam tamen animi magnitudinem retinuerunt. *Archidamum* Regem ad *Bœotiam* iterùm invadendam mittunt quò cùm venisset ab *Jasone Thessalorum* Principe inducíæ factæ sunt. *Epaminondas* verò à *Leuctrica* victoria, *Arcadibus* omnibus ut in unam civitatem coirent author fuit, quæ *Megalopolis* est dicta. In *Siciliam* quoque, *Italiam* insulasque *Euesperidas* & alias regiones ubicunque. *Messenii* habitabant præcones misit qui eos in sedem majorum revocarent, quæ, incolis suis veteribus restituta, *Messene*, ut priscis temporibus, vocatur. Hæc *Messeniorum* restitutio in annum 298 ab *Ira* capta incidit, *Olympiadis* 102æ annum tertium, *Archiute Dyscineto*. Per totum hoc temporis intervallum ritus suos & *Doricam* Dialectum servabant. Hæc scripsit *Pausanias*, *Diodorus* autem *Megalopolin* conditam vult secundo demùm abhinc anno.

17. *Arcades* à *Lacedæmoniis* lacessiti, cùm ab *Atheniensibus* non possent, opem à *Thebanis* impetrabant. *Epaminondas Laconiam* invasit & *Messenen* in integrum restituit, cùmque, diebus 85 in profectione positis, domum rediret, reditum ejus *Iphicratas Atheniensis* impedire conabatur, quem fugatum usque ad urbis mœnia insecutus est. Serò tamen reversus, quòd Duces noxos creari ad *Bucatii* mensis initium leges præceperint, in judicium vocatur.

18. Mor-

18. Mortem quidem se haud ægrè subiturùm dixit modo tumulo inscribi curarent quæ quantaque (modulo recitato) fecerat; Populus verò rerum ab illo gestarum memoriâ vehementer delectatus reum libentissime absolvit. Brevi post in *Peloponnesum* reversus, postquàm multa sociorum causâ fecisset & multa recepisset oppida *Corinthum* oppugnavit, at à *Chabria* repulsus *Thebas* rediit.

19. *Arcades* indignum prorsus existimantes se indigenas solos in bello *Thebanos* sequi ab horum societate se subtraxerunt *Atheniensium* amicitiam amplexi. Cum *Eleis* bellum gesserunt *Pisatæ* qui fabulosis quibusdam argumentis ludorum *Olympicorum* administrationem vendicabant. Atque *Olympiadis* 104æ quidem exercitiis præerant, quæ idcircò inter *Olympiades Eleorum* annalibus conscriptas annumerata non est, & parùm constat, cùm varii nominentur, quis ejus stadio vicerit. *Arcades* autem templum *Olympicum* in potestate sua habentes pecunias ibi inventas in stipendia militum converterunt.

20. *Mantinenses* contra sacrilegium hoc vehementer protestati sunt atque hinc adeo gliscebat invidia ut *Thebani* vocarentur qui impedirent ne *Arcadia* tota in manus *Lacedæmoniorum* veniret. *Epaminondæ Arcades* castigandi iterùm negotium datur, at *Arcades*, tàm *Mantinenses* quàm reliqui, *Peloponnesum* à *Thebanis* subjugandam esse perspicientes *Atheniensium* & *Lacedæmoniorum* fidem & opem implorant. *Epaminondas Agesilaum* videns cum

cum viribus *Spartæ* universis *Arcadibus* adesse *Spartam* contendit ut urbem vacuam & inermem occuparet, & vacuam quidem atque inermem occupasset nisi divinâ providentiâ (ita scribit *Xenophon*) factum fuisset, ut vir quidam de hoc consilio Regem certiorem faceret, qui cives de futura impressione citissimè admonuit promittens insuper se quamprimùm patriæ adfuturum.

21. *Epaminondas* consilium suum de *Sparta* occupanda minùs successisse videns *Lacedæmoniorumque* & *Arcadum* copias in ejus opem advolaturas, *Mantineam* vero inermem relinqui, citato cursu ad hanc opprimendam retrocessit. Quominus urbem caperet, *Hegelochus Athenienſis* cum hominum 6000 obstabat; nihilominus se non honestè nisi prælio commisso rediturum statuens sociorum omnium reditum expectabat.

22. Exercitum *Tegeam* versus ducens hostes inopinantes, cunei in modum acie formata, aggressus est & ubicunque veniebat stragem magnam edidit. Dum autem contentiùs & negligentiùs pugnaret, vulnus in pectore accepit, & cùm telum in vulnere hæreret, in castra moribundus defertur, ubi postquam comperisset, clypeum suum integrum esse & suos victoriam obtinuisse, ferrum è corpore extrahi jubens illicò expiravit vir tam hominis & Philosophi quam Ducis omnibus officiis perfunctus, *Græciæ, Bœotiæ, Militiæ* simul & *Scholæ* summum decus & ornamentum.

23. Quantus

23. Quantus fuerit *Epaminondæ* ex eò constat quòd cum *Thebani* ante eum nihil memoriâ dignum fecerint, eo sublato, ex uno ad aliud incommodum devoluti totius statim fortunæ naufragium passi fuerint. Hoc autem prælio effectum est ut neutra partium vinceret, quamvis utraque se vicisse ex trophæis erectis ostentare vellet, atque divinâ providentiâ curante, ut *Xenophon* scribit, multùm aliter ac homines putarunt, res cecidere. *Artaxerxe* Rege Authore nunc *Græcia* tota fœdus inivit ex quo *Messenios* excludendos *Agesilaus* frustra contendebat.

24. *Agesilai* quidem dignitatem haud parum diminuere videbatur quòd belli desiderio flagrans *Græciam* adhuc dilacerari permitteret, atque illud augebat infamiam quòd senio pænè confectus lucelli gratiâ *Nectanebo Ægyptio* Tyranno militaret. Omnia autem posthabens patriæ incolumitati, postquàm cum dignitatis suæ dispendio, pecuniam quærens, stipendia quædam fecisset, in reditu diem suum obiit annos natus 84, cum regnasset 41. vir egregius, tam belli laude quam aliis virtutibus vix ulli secundus. Eodem anno mortuus est Rex *Artaxerxes*, altero nempe ab *Epaminondæ* interitu.

25. Hoc temporis intervallo floruerunt *Hippocrates Coüs* Medicorum Princeps, *Democritus* Abderita Philosophus, *Socrates Atheniensis*, *Plato*, *Sophocles* & *Euripides* Poetæ, *Ctesias* Medicus & Historicus, *Aristoteles* Stagirita Peripateticorum Princeps, *Demosthenes* Athe-

Atheniensis Orator, *Eudoxus Cnidius* Mathematicus, *Zeno Citieus* Parens Stoicorum, *Thucydides* Historicus *Atheniensis*, & *Xenophon* ob eloquentiam *Musa Attica* dictus Philosophus egregius atque talis in rebus bellicis, ut *Graecorum à Cyri* Minoris interitu reductio, *Alexandri* Magni res gestas, si non rei mole, stratagematum certè & solertiæ varietate, haud injuriâ, longe superasse videatur.

SECT. 5.

A Philippi Regis Macedonia initio usque ad Alexandri filii ejus Monarchiam.

Spatium Annorum 31.

1. *Macedonia* olim *Emathia* dicta *Pelasgos* incolas habuit & nomen demum *Bœotiæ*. In *Paonia* regnavit *Telegonus* pater *Astriopæi* bellatoris clarissimi qui *Priamo* militavit. In alia parte imperavit *Europus*. *Caranus* autem *Argivus* decimus sextus ab *Hercule*, quinto anno circiter ab interitu *Sardanapali* ab Oraculo monitus coloniam in hanc regionem deduxit & vi regnum stabiliyit. Hunc secuti sunt Reges 15 usque ad *Amyntam Tharalei*, seu *Philippi*, filium.

2. *Amyntas* ab *Illyriis* victus, cùm statum suum recuperare desperaret, regni partem magnam *Olynthiis* tradidit, quam postea rebus

suis

suis resarcitis repetebat. Illi reddere quod donatum fuerat plane recusabant, & quamvis à *Lacedæmoniis* auxilium obtineret, victus tamen Magnam Regni portionem & *Pellam* Metropolin amisit. Ex uxore *Eurydice* tres sustulit filios, *Alexandrum*, *Perdiccam*, & *Philippum* filiamque *Euryonen* seu *Eximen*: Ex *Gygæa* vero uxore altera *Archelaum*, *Argæum* & *Menelaum* à *Philippo* fratre tandem interemptos. *Alexander* patri succedens à *Ptolomæo Alorite* tam regno quam vitâ exutus est matris insidiis, ut nonnulli tradunt; quæ cùm antea maritum tollere voluisset ut huic *Ptolomæo* genero suo nuberet, liberorum communium gratiâ, veniam obtinuerat.

3. Post triennium *Perdiccæ Alexandri* frater, *Ptolomæo* occiso, regnum avitum obtinuit, quod postquam per quinquennium tenuisset vel prælio contra *Illyrios* occubuit vel matris insidiis interemptus est. *Perdiccæ* filium infantem reliquit cui tutor datus est *Philippus* frater anno *Ochi* secundo, *Olympiadis* 105æ anno primo *Archonte Callimede*. *Philippus Thebis* obses per annos aliquot habitus in *Epaminonda* convictu tam bellicæ quam civilis virtutis fundamenta posuisse dicitur. Ad tempus certum Tutoris officio functus, cùm bellis undique *Macedones* peterentur, quibus pueri authoritas & vires omnino impares erant, ex Tutore Rex declaratur.

4. *Macedones* enim Magnam acceperant cladem ab *Illyriis* qui etiam aliam profectionem meditabantur. *Pæones* impressiones faciebant;

Rex

Rex *Thraciæ Pausaniam*, *Athenienses* verò *Argæum*, (ambos *Æropii* qui regnum usurpaverat filios) in solium evehere conabantur. *Philippus* autem ab omnibus hisce angustiis se explicavit, benignum se erga subditos præbendo. Disciplinam militarem restituens instituit *Phalangem Macedonicam*, *Paones* & *Thraciæ* Regem pecuniâ, *Argæum* & *Atheniensis* armis, submovit. Hos etiam *Amphipolin* liberando atque erga captivos clementiam præ se ferendo sibi conciliavit.

5. Quum autem regnum sibi satis stabiliviſſe videretur, *Paones* subjugavit, *Illyrios* devicit, *Amphipolin* recepit, *Olynthios*, quorum amicitia jam necessaria videbatur, postquàm *Potidæam* cepisset, *Pydnâ* dono datâ sibi devinxit: *Crenidæ* accessione novorum civium auctas à seipso *Philippos* nominari voluit fodinasque auri ibi inventas adeò in rem suam administravit, ut 1000 talentorum quotannis inde proventus fieret, ex quo magnum incrementum res ejus cepere. Ex hoc enim auro nummum illum signabat *Philippicum* dictum, magnas copias conduxit & *Græcos* plurimos corrupit ad patriam prodendam. Eò autem faciliùs res suas augebat ornabatque quòd *Athenienses* bello sociali occupati *Amphipolin* aliasque *Græciæ* res Curare haud potuerint.

6. Bellum autem *Sociale* originem habuit ex *Chiorum Rhodiorum*, *Coorum*, & *Byzantiorum* defectione ab *Athenienſibus*. Per triennium gestum est tandemque compositum quòd

quòd *Athenienſes Perſarum* cum rebellibus conjunctionem metuerent. Hoc bello floruerunt *Iphicrates*, *Chabrias* & *Timotheus* cum quibus Ducum *Græcorum* gloria extincta prorſus & ſepulta jacuit.

7. *Philippus* anno ſuperiori *Olympiadem* duxerat *Neoptolemi Moloſſorum* Regis filiam *Arymbæ* autem (ſeu *Aribbæ*) qui tunc regnabat non ſororem (ut apud *Plutarchum* legimus) ſed neptim. Cum ſucceſſum ejus moleſtiſſimè ferrent *Thracum Illyriorum* & *Paonum* Reges, quod ſinguli non poterant conjunctis viribus efficere conabantur. Palantes autem eos & incompoſitos aggreſſus Rex ſuperavit facilè & reduxit ad obſequium.

8. Eodem anno, *Olympiadis* 106ᵉ primo, *Artaxerxis Ochi* ſexto, *Archonte Elpinice*, *Alexander Philippi* & *Olympiadis* filius *Pellæ* natus eſt, Menſe *Attico Boedromione*, ſiquidem annos natus 32, menſes vero 8, penultimo mortuus fuerit *Thargelionis*. Eodem die Templum *Dianæ Epheſinum* conflagravit homuncione quodam flammam ſubjiciente qui tanto facinore ſe poſteritatis memoriæ tranſmiſſum volebat. Conſilii autem publici *Aſiæ* (ſeu *Panionici*) decreto Cautum eſt nequis illius omninò mentionem faceret, & nihil quidem certi de ejus nomine ad nos pervenit; quamvis enim *Heroſtratus* nonnullis ſit, nonnunquam tamen *Lygdamis* vocatur.

9. Anno ſequenti, *Archonte Calliſtrato*, *Bellum Phocicum* ſeu *Sacrum* exortum eſt.

Lace-

Lacedæmonius, ob *Cadmeam* absque ulla juris specie occupatam, *Amphyctiones* pecuniâ mulctavêrant, *Phocenses* etiam talentis multis ob *Cirrhæam* possessam, agrum quendam ad Templum *Delphicum* pertinentem. *Philomelus* autem vehementer *Phocenses* concitavit, ex duobus *Homeri* versibus probare volens Templum olim in illorum patrocinio fuisse, & Dux cum plenissimâ potestate constitutus *Lacedæmonios*, quasi eâdem injuriâ affectos in belli societatem pertraxit.

10. Templum & Oraculum *Delphicum Apollinis Pythii* vetustum admodùm fuit. Poeta enim ante *Troicum* bellum *Agamemnonem* illud consuluisse canit. Oraculi locus *Græciæ*, atque ipsius mundi, umbilicus habebatur, fabula de duabus aquilis (vel Corvis) relata quæ à *Jove*, hæc in *orientem*, in *occidentem* illa, demissæ, hùc tandem, æquali viâ emensâ, convolaverint. Origo Oraculi ex Capris ducta quæ ad hunc specum pastæ gestus & sonos insuetos edebant.

11. Principio quidem alius alii indiscriminatim responsum dedit, at cùm multi furore correpti se præcipites in speluncam darent, machina tripos inventa est quâ tuta mulier stare posset. Mulier hæc ab interrogando *Pythia* dicta, primaque omnium fuit *Phemonoe*. Virgines ad hoc officium destinabantur, donec, quadam ab *Echecrate Thessalo* stuprata, fœminæ quinquaginta annorum electæ fuerint quæ tamen virginum habitu responsa dederunt. Priscis temporibus Templum celebre admodum

admodum fuit ob Oraculum, *Amphyctionum Consessum, Ludos Pythios & divitias*; *Strabonis* ætate fama ejus valde diminuta erat.

12. *Philomelus* nihil nisi justum & honestum præ se ferens *Lacedæmonios* & *Athenienses* in belli societatem traxit, reliqui autem ferè omnes *Græci* Templum armis vindicandum existimantes se cum *Thebanis* conjunxerunt, *Amphyctionesque* decreto suo eorum consilium approbarunt, *Multâ* talentorum 1000 insuper *Lacedæmoniis* impositâ, quòd alteram intra tempus definitum non solvissent. *Philomelus* autem Sociorum copias coeuntes contra *Thebanos* perspiciens Templi thesaurum occupavit, quo militibus conductis, infæliciter pugnavit, & re male gesta vel prælio cecidit, vel, ne in hostium potestatem vivus veniret, è rupe præcipitem se dedit.

13. *Philomelo* successit *Onomarchus*, qui *Lycophroni Pheræorum* Tyranno contra *Thessalos* & *Philippum* opem ferens bis illos in prælio vicit & *Chæroneam* cepit, demum verò à Rege victus captus & strangulatus est. Hunc excepit *Phayllus* frater qui, cùm civitates *Græciæ* Majores nummo distributo ad auxilium conferendum corrupissent, absque ulla alia re memorabili gesta ex tabe interiit. *Philippus* autea *Methonam* ceperat, quam dum oppugnaret oculum ex sagittæ ictu amisit, *Pheræorum* Tyrannos potestate exuit & *Hellespontiacis* civitatibus aliquot devictis *Olynthios* aggressus est, virium jam satis sibi esse existimans ad illos superandos quorum potentiam

tàm

tàm ipſe quàm Majores ejus, reformidaverat, quoſque modis omnibus ſibi conciliare ſtuduerat.

14. Urbem, civibus bis victis, à Magiſtratibus proditam diripuit, incolas & prædam vendidit, unde ingentem vim pecuniæ comparavit qua *Græcos* ad patriam prodendam corrumpens pergeret in incæpto. Proditores enim in civitate quaque invenit & palàm profiteri non dubitavit ſe auro magis quam ferro res ſuas ornaſſe & auxiſſe. *Athenienſes* monitu *Demoſthenis* inducti huic arti occurrere ſtatuerunt; quicquid autem conati fuerint, ille fidei *Græcæ* argenteis (vel aureis) telis pugnans quotidiè ſpolia ampliſſima reportavit; atque de *Athenienſibus* ipſis triumphavit, à quibus pacem in annos ſeptem, pecuniâ inter *Demagogos* (inter quos nonnulli *Demoſthenem* recenſent) diſtributâ, obtinuit, donec *Thracicis* rebus explicatus liberiùs poſſet *Græciæ* inhiare.

15. Reverſus ex *Thracia* à *Bœotis* de auxilio ſolicitatus eſt, & *Phocide* invaſa bellum abſque prælio finivit. *Phalecum* enim Ducem *Phocenſium* ad hos deſerendum nominis ſui gloriâ compulit, copiâ factâ cum exercitu diſcedendi. Cùm bellum *Phocicum* itaque poſt decennium talem exitum habuiſſet, de *Phocenſium* pœna ad *Amphyctiones* relatum eſt. Hi decreverunt illorum ſuffragium duplex, quod in conſilio obtinuerant, *Philippo* ob tam fidelem operam Templo navatam transferendum eſſe, illos Templo arcendos, nec arma nec equitatum habituros

habituros prius quàm thesauros ablatos restituissent, exules eorum omnes & quotquot Sacrilegi erant piaculares habendos & è quovis loco auferendos; urbes eorum solo æquandas, incolas vero in vicos dispertiendos quorum singuli ex familiis 50 constarent stadii longitudine separati; solvendum denique ab illis talentorum 60 tributum annuum eò usque donec ablata pecunia restitueretur.

16. Ita quidem *Phocenses* mulctati sunt, *Abæis* exceptis qui soli sacrilegio se non contaminarant. *Philippus* autem gloriâ clarior indies factus omnibus modis gratiam captabat qua totius *Græciæ* Imperator contra *Persas* eligeretur; in hos enim à longo jam tempore bellum meditabatur. *Illyrios* & *Thraces* devicit ad quos reprimendos Castella extruxit. Anno sequente *Philippi* verò 18 *Arymbas Molossorum* Rex mortuus est relicto filio *Æacida Pyrrhi* patre. *Philippus* puerum adhuc *Æacidam* regno privavit & *Alexandrum Olympiadis* fratrem in ejus locum promovit, quem nonnulli, vivo adhuc *Arymba* & regno exuto, Regem fuisse factum scribunt.

17. *Philippus* posthæc *Perinthum* & *Byzantium* parùm fæliciter oppugnavit, illa enim urbs à *Persicis Satrapis*, hæc ab *Athenienſibus* & eorum sociis obsidione liberata est, *Græcique Athenienſium* operâ in societatem adeò firmam coaluere ut pacem cum illis facere cogeretur. Sub hoc tempus *Ateas Scytharum* Rex ab *Istrianis* oppugnatus *Philippum* in auxilium vocavit

vocavit, pacta, in mercedem, successione in regnum suum: *Istrianis* autem se recipientibus pacto statim renunciavit. Hoc *Philippus* irritatus *Scythiam* invasit & magnam prædam obtinuit, qua in reditu à *Triballis* obviam factis privatus est vulnere in femore accepto per quod equus transfixus protinùs interiit. *Isocrates* Orator, hac ansa arrepta, secunda epistola Regis animum ad pacem flectere conabatur, at conatu prorsus irrito.

18. Clade enim ista ad ulteriùs audendum potiùs excitatus cum *Græcorum* plerisque societatem inivit, quumque *Athenienses* sibi solos obstare videret, quo minùs quod in consiliis habebat obtineret, illos bello domandos & inopinantes opprimendos statuit. *Elateam* itaque in *Phocide* occupavit, quo casu subito *Athenienses* consternati se tamen pro ratione temporis muniebant & *Bœotos* sibi conjungebant. *Bœotos* Rex invasit cum peditum 30000 equitum vero 2000 & hoste tàm militari prudentiâ quàm militum numero superior (Duces enim *Græcis* nulli jam supererant) ad *Chæroneam* maximo prælio fudit. Hîc libertatis *Græciæ*, hîc gloriæ antiquæ terminus & finis. Victoriâ erga Captivos *Athenienses* moderatè usus *Thebas* munivit; contra *Thebanos* tamen eum sæviisse *Justinus* scribit. Accidit hæc ad *Chæroneam* pugna *Olympiadis* 110æ anno tertio, *Archonte Charonide* (seu *Charonda*) *Arsis* Regis *Persarum* primo.

19. Hæc

19. Hæc victoria facilè effecit ut, concilio *Corinthi* habito, Dux *Græciæ* contra *Persas* eligeretur, pecuniâ & militibus Civitatibus singulis indictis, quarum *Lacedæmonii* soli eum pacisque conditiones contempserunt. Sic autem foris florentis res domesticæ in pejori statu erant ob *Olympiadi* nuncium remissum *Cleopatramque Attali* neptim ductam; illa enim filium suum *Alexandrum* ad summam invidiam non desiit incitare. Insequente vere, postquàm responsum, adeo ambiguum ac *Crœsus* olim, ab Oraculis de bello consultis accepisset, *Attalum Amyntam* & *Parmenionem* Duces sub specie Civitates *Græcas* liberandi in *Asiam* præmisit.

20. Ipse cum exercitu secuturus filiæ *Cleopatræ* cum *Alexandro Epirota* nuptias magnificentissime celebravit. Dum autem ostentaret Majestatem suam & populi captaret favorem spectaculis & epulis, à *Pausania* quodam vulnus in latere accepit, ex quo ilicò mortuus concidit. *Pausaniam* ebrium factum *Attalus* stupraverat & aliis prostituerat, contra quem, cum nihil miser apud regem valeret, injustum judicem hoc modo mulctavit. Talem finem habuit *Philippus* postquam annos regnasset 24, vixisset 46, vir egregius qui maximis difficultatibus se exemerat, tantum imperium sibi comparaverat, virosque tot bellicosos & laureâ dignissimos instituerat, ut tàm *Marte* quàm *Mercurio* stipatus earum rerum quæ à filio postea gestæ sunt laudem vel præcipuam meruisse videatur.

M 21. *Philippo*

21. *Philippo* succeſſit filius *Alexander* annos viginti natus *Olympiadis* 111ª anno primo qua, ſtadio vicit *Cleomantes*, *Archonte Pythodoro*, *Darii Codomanni* anno primo, *A. M.* 3669. Genus paternum ab *Hercule*, maternum ab *Achille* duxit. A puero ſpiritus altiſſimos gerens ab *Ariſtotele* in diſciplinis ingenuis inſtitutus fuit, cùmque adoleſceret virtutis ſpecimina egrégia edidit. Funere patris Regali pompâ deducto, ad Remp. acceclit regnumque à Regicidarum ſupplicio auſpicatur. Omnibus anguſtiis ſe explicavit ſingulari humanitate & animi incredibili magnitudine uſus quæ per totum vitæ decurſum illi nunquam defuit.

22. *Athenienſes*, authore *Demoſthene*, in novum Regem conjurabant cum *Attalo* quem *Olympiadis* in *Cleopatram* & filiolum horrenda immanitas graviter irritaverat. *Ætoli* reſtituere decreverunt *Acarnanes* à *Philippo* in exilium pulſos. *Ambraciotæ* præſidium ſibi impoſitum ejecere, & *Thebani Cadmeam* recuperare ſtudebant. *Arcades*, ut patrem antea, nunc filium contemnebant: *Peloponneſii* vero cæteri ad libertatem defendendam erant paratiſſimi. His malis acceſſit tumultus gentium circa *Macedoniam* jugum excutere ſummè cupientium.

23. In fatis erat ut *Alexander* vel gratiâ vel armis omnia ſuperaret. A *Theſſalis* primùm deinde ab *Amphyctionibus* ipſis ſe Ducem *Græcorum* renuntiari curavit, tunc ducto in *Bœotiam* exercitu cæteros adeo terruit ut

Concilio

Concilio *Corinthi* convocato Dux eligeretur, ad bellum cum *Persis* gerendum. Vere autem sequenti dùm *Thracibus* domitis contra *Paones* & *Illyrios* fœliciter pugnaret, civitates quædam defecerunt, & *Thebani*, *Cadmeâ* expugnata, *Athenienſibus* ſe aſſociarunt, *Demoſthene* in *Alexandrum* quotidie (ut in *Philippum* olim) debacchante, quem *Pueri* & *Stulti* cognominibus cohoneſtavit.

24. Verùm, Rege in *Bœotiam* curſu citato contendente, *Athenienſes* animos depoſuerunt. *Thebani* tamen flocci factis conditionibus omnibus oblatis ad obſidionem tolerandam ſe componunt. *Alexandrum* quidem urebat quod à *Perſicis* rebus diſtineretur, & moræ impatiens conditiones pacis haud facilè ſpernendas obtulit, cùm verò ad nihil aliud ſe proficere videret niſi ut ſcommatis & modis omnibus indigniſſimis exciperetur, pervicaciam illorum moleſtiſſimè tulit & ſeveriſſimè caſtigare ſtatuit. Urbem facili negotio cepit, aditu per oſtiolum quoddam neglectum patefacto. *Amphyctionum* decreto, captivi omnes, quòd cum *Perſa* ſæpius conſpiraſſent, venundati vel necati ſunt, *Pindari* progenie excepta, cujus ædes ſolas victor ſuperesſe voluit. Urbs enim hæc celebris ex eodem decreto complanata eſt die ultimo *Eleuſiniorum* ab *Athenienſibus* celebratorum, *Boedromionis* menſis viceſimo, poſtquàm in eodem fermè ſtatu duraſſet per annos octingentos.

25. *Alexander* edictum promulgavit quo *Græcis* exulum receptione interdixit, cui

Athenienſes ſe immorigeros geſſerunt. Hinc ſimultates recruduerunt quæ, deprecantibus illis iram victoris, alio jam moventis, diminutæ potiùs (ſi non conſopitæ tantùm) quàm ſublatæ ſunt. His rebus adminiſtratis, in *Macedoniam* revertitur ubi ad *Perſicum* bellum omnia parat. Nec ab incepto vel gravitate rei vel ſobolis quærendæ gratiâ flecti potuit. Vere itaque exercitum 34000 peditum, equitum 4000 ad *Helleſpontum* duxit, ſecundùm illorum rationes qui vires majores huic profectioni attribuunt. Ad has copias alendas non ſupra 70 talenta eum habuiſſe *Ariſtobulus* ſcripſit, commeatum in dies 30 tantùm *Datis*, & 200 talenta eum inſuper debuiſſe non nemo aſſeruit.

26. Ante deceſſum tamen *Macedoniam* pænè totam inter Duces diſtribuit, & *Perdiccæ* percontanti quid ſibimet relinqueret reſpondit *Spem*. Exercitum in navibus 60 *Troadem* tranſvexit, primuſque, haſtâ in terram dejectâ, tripudiantis in modum exiliens *Aſiam* veluti cepit anno regni ſui ſecundo, *Darii Codomanni* item ſecundo, *Olympiadis* 111ª anno tertio, *Archonte Enæneto*, (tertio nempe menſe antequam, Magiſtratu depoſito, locum daret *Cteſicli*, quo Principe profectionem hanc ſuſceptam ſcripſit *Diodorus Siculus*) *A. M.* 3670.

27. *Antipatro* rerum Ciſmarinarum Adminiſtrationem commiſit, cum peditum 12000, equitibus 1500. *Lacedæmonii* poſt Regis deceſſum rerum novandarum occaſionem avidi expectabant,

expectabant, à prælio verò ad *Arbela* commisso pleræque Civitates extrema omnia pro libertate tentanda statuebant, antequam *Persarum* vires penitùs conciderent. Dum *Antipater* itaque seditionibus in *Thracia*, quas *Memnon* suscitarat, distineretur, *Lacedæmonii* tempus opportunum adesse rati *Græcos* ad defectionem impulerunt. At *Antipater*, rebus *Thraciæ*, quomodo licebat, compositis, contra eos profectus est, Magnoque prælio fudit, in quo *Agis* Rex *Spartanus* & Copiarum Dux inter alios multos occubuit.

28. *Antipater* hoc successu usus bello finem imponendum duxit ne longiùs procederet quàm subditi modestia pateretur. Probè enim *Alexandri* ingenium noverat, cui victoria, non autem victor gratus erat, & qui tantum à sua gloria detrahi putabat quantum alterius famæ accederet. *Lacedæmonios* itaque pacem petentes ad *Græciæ* Concilium remisit quod, auditis utrinque querelis, ad Regem ipsum rem totam detulit. Illi, obsidibus 50 *Antipatro* traditis, *Alexandrum* versùs, ad veniam petendam, legatos miserunt.

CAP. III.

De his quæ in Sicilia acciderunt durante Imperio Persico.

SECT. 1.

Nomina atque Incolæ hujus insulæ unà cum iis rebus quæ Imperium Persicum præcesserint.

1. *Sicilia* insula est Maris Mediterranei è regione *Italiæ* posita. Eam in circuitu patere quantum navis magna possit obire intra dies octo & à continenti distare *Thucydides* ait viginti stadiis.

2. *Trinacria* primùm à figura triangulari, deinde *Sicania*, tandem *Sicilia* nominata est. Indigenæ fuerunt *Cyclopes* seu *Læstrygones*, *Sicani* etiam & *Siculi*; cum pro fabula omninò habendum sit quòd illi ex *Hispania* hi vero ab *Italia* huc migraverint. Non enim origine sed loco distinguebantur. A *Græcis* Coloniæ multæ deductæ sunt & multæ civitates conditæ. *Phœnices* etiam loca maritima, circa *Lilybæum* præcipuè, occupabant. Atque ab his tàm insulam ipsam quàm præcipuum quemque fluvium & locum nomina accepisse multis docet *Samuel Bochartus* vir Clarissimus.

3. *Cyclopibus*

3. *Cyclopibus* extinctis, *Cocalum* insulâ fuisse potitum scribit *Justinus*, ad quem à *Minoe* Cretensi fugit *Dædalus Architectus Atheniensis* celeberrimus. *Talum* nepotem & discipulum suum in arte præstantiorem futurum occiderat & in *Cretam* se receperat ubi Regis odium incurrebat in te quadam ad *Pasiphaen* reginam spectante. *Minos* ad *Ingcum* seu *Camicum Cocali* regiam eum insequutus est, ubi ab hujus filiabus in domum allectus in balneo necatur. *Dædalus* ope *Pasiphaes* evasisse in navi existimatur & vela invenisse (cùm remi antea in usu soli fuissent) unde alis sibi factis avolasse dicitur: *Icarusque* filius in alio navigio patrem sequutus, cùm novum inventum rectè administrare non potuerit, submersus creditur. *Minois* autem hujus junioris interitus in *Herculis Graci* tempus incidit & ætatem tempora *Troica* antecedentem.

4. Post *Cocalum* civitates in manus Tyrannorum devenêre quorum regio nulla feracior fuit, inquit *Justinus*. Cum vero *Tyranni* isti qui civitates *Græcas* opprimebant *Græci* fuerint, *Cocalus* autem ætate bellum *Trojanum* præcedente vixerit, & Civitas prima *Græca* in *Sicilia* non fuerit ante *Olympiadem* 11 fundata, inter *Cocalum* & Tyrannos 500 vel 600 anni omninò interceserunt. Per annos enim multos vix fieri potuit quin Coloniæ istæ eâdem Reip. formâ, qua Metropoles, usæ fuerint, donec *Phalaris* apud *Agrigentinos* Tyrannidem invaserit circiter *Olympiadem* 54.

5. *Phalaris Astypalea* natus infans adhuc *Laodamum* patrem amisit. *Erythiâ* ductâ pau'ò antequàm nasceretur filius *Paurolas* in exilium pulsus est, rebusque adversis vehementer pressus & ab *Agrigentinis* seditione laborantibus vocatus summam rerum tandem occupavit. Quibus artibus (fraude nempe & crudelitate) Tyrannidem adeptus fuerat iisdem retinuit. Huic ad homines vivos comburendos *Perillus* Statuarius *Athenienſis* insignis machinam nobilem, taurum æneum, obtulit, cujus ipse primus periculum facere meritò coactus est.

6. Hoc immaniſſimo ſupplicii genere ſe 37 homines affeciſſe Tyrannus epiſtolis ſuis fatetur. Portentum certè quoddam fuit ad hominis nequitiam caſtigandam ortum, crudeli odio, & crudelitate prorſus inaudita, animo tamen erga amicos beneficentiſſimo, tantamque virtutis rationem habente, ut hujus ſolius gratiâ injuriis veniam faceret, atque in gratiam rediret. Non ex inſidiis interiit, ut alii multi tyranni, ſed in eum *Agrigentinorum* multitudo impetum fecit poſtquam crudelitatem exercuiſſet per annos 16.

SECT.

SECT. 2.

De Imperio Perſico Contemporaneis.

1. *Phalaride* oppreſſo, libertatem ſuam conſervabant *Agrigentini* donec *Theron* filius *Æneſidami* Tyrannidem invaderet. Eodem tempore *Panætius Leontii*, *Cleander Gelæ* ſe dominum fecit. Huic poſt ſeptennium ſucceſſit *Hippocrates* qui *Naxios*, *Zanclæos*, *Meſſanæ* incolas & *Leontinos* ſubjugavit. Cum *Syracuſanis* bellum geſſit à quibus ademit *Camarinam*, & poſt annos ſeptem in prælio contra *Siculos* occubuit. Liberos *Geloni* fidei commiſit, qui, fide poſthabita, *Gelæ* ſe dominum conſtituit & poſtea, ſeditione inter populum *Syracuſanum* & Magiſtratus orta, ab his exulantibus de auxilio ſolicitatus plebem dolis delusit &, factione utraque tandem oppreſſa, ſummam rei occupavit, *Olympiadis* 72. anno ſecundo, *Archonte Hybrilide*, *Darii* 31°, eodem anno quo inter *Græcos* & *Perſas* ad *Marathonen* pugnatum.

2. *Syracuſæ*, *Ortygia* primùm dictæ, *Ætolorum* quorundam ſedes erant. Hi à *Siculis*, *Siculi* à Colonia pulſi ſunt quam deduxit *Archias Corinthius* circiter *Olympiadem* undecimam, *Romulo Romæ* regnante & ferveute jam bello *Meſſenico*. Confluentibus verò multis ab aliis *Peloponneſi* locis, in tantam crevit iſta civitas, ut *Cicero* eam omnium *Græcarum*

urbium maximam & venuſtiſſimam appellaverit. Ex urbibus 4 conſtabat *Inſula*, *Acradinâ*, *Tychâ*, & *Neapoli*. In circuitu patebat ſtadia 180. Præter ſuburbana portus duos habuit. Primi incolæ Inſulam habitabant *Ortygiam* dictam. Ariſtocratica Reip. forma in uſu fuit coloniæ ab *Archia* deductæ; talis enim tunc temporis *Corinthi* vigebat ſub *Bacchiadis*. Poſtea Populus ferociens & omnia confundens ſeditionibus & mutationibus plurimis *occaſiones* præbuit, & quo magis Monarchiam fugiebat eò plus Tyrannidem expertus eſt.

3. *Gelon* autem adeò moderatè potentiâ ſuâ utebatur ut amandus omnibus, nemini timendus eſſet, & *Siculorum* omnium animos ſibi ita conciliavit ut triremibus bis centum & exercitu tàm ingenti, quàm *Græcia* univerſa contra *Xerxem* armare valeret, *Græcis* bello Medico implicatis opitulari paratus eſſet, modò vel Claſſis vel terreſtris exercitus præfectura ſibi committeretur. Repulſam ferens vires ſuas convertit in *Carthaginienſes* ab *Egeſtanis* in *Siciliam* vocatos quos tanto prælio vicit eodem die, quo *Græci* ad *Salaminam* proſperè pugnabant, ut ipſo *Themiſtocle* haud inferior haberetur. Quandoquidem *Carthaginienſium* hìc mentio fit, de origine Civitatis illius pauca ſunt dicenda in hoc loco, ut videatur quemadmodum ex parvis initiis creverit, & tantos progreſſus fecerit, ut de ſumma rerum conſtituenda demùm litem intentaret.

4. *Carthago*

4. *Carthago à Tyriis* condita eſt qui priſcis temporibus maris dominio potiti colonias in omnia loca maritima deduxerunt. Ex variis partibus conſtabat diverſis temporibus conditis, unde occaſio nata eſt *Epochas* diverſas faciendi. *Appianus* ante *Trojam* captam anno circiter quinquageſimo eam conditam vult à *Tſoro* & *Carchedone*, cùm *Tſor* & *Zor* nomina *Phœnicia* Metropolis ſint, *Carchedon* verò urbis ipſius, *Carthada* enim *Phœnicio* ſermone urbem novam ſonat. *Strabo* ad columnas *Herculis* uſque Colonias deduxiſſe vult *Phœnices* circa *Troica* tempora, quibus *Didonem* vixiſſe & *Æneam* vagum hoſpitio excepiſſe *Virgilius* canit, aut poeticâ fingendi licentiâ uſus aut ignorantiâ ductus, vel *Servio* judice.

5. *Euſebius Carthaginem* conditam ſecundùm rationes quorundam ſcribit ad annum 143 poſt *Trojam* everſam, & *Davidis* 29. *Menander Epheſius* autem qui *Tyriorum* annales in Sermonem Græcum convertit *Didonem* hanc urbem condidiſſe ſcripſit anno *Pygmalionis* 78°, poſt templum *Heroſolymitanum* ædificatum annis 143 & menſibus 8 exactis, annis 300 poſt *Trojam* exciſam; poſt tempus autem ab *Euſebio* aſſignatum 164.

6. Dicendum itaque *Cothonem* ſeu partem primam portui adjacentem ante *Troica* tempora ædificari potuiſſe, *Megaram* verò (quæ etiam *Magalia* & *Magaria* audit habitationes in terra aliena ſignificans) intra annos 144 à *Troja* everſa; & *Byrſam* ſeu arcem à *Didone*

poſt

post annos demum 166. Ex quo enim *Cananitæ* sedibus ab *Israelitis* pulsi & loca maritima incolentes *Phœnices* appellati sunt, Colonias deducere non desierunt, atque alias præter hanc urbes in *Africa* condiderunt, inter quas *Utica* vel *Ityca* quæ dialecto *Phœnicia Vetus* est.

7. *Dido* autem *Pygmalionis* soror fuit *Tyri* Regis, uxor *Sichæi* (vel *Sicharbi*) *Herculis* sacerdotis, quo à Rege perempto, ipsa cum divitiis in *Africam* fugiens parricidam prædâ fraudavit. Appulsam fama est tantum agri à *Libybus* petiisse quantum corio bubulo circundari posset, atque hoc concesso in tenuissimum funiculum corium dissecuisse quo viginti jugera circundata sunt, ubi *Arx* condita, atque inde *Byrsa* nominata. Verùm narratio ista fabulosa à viris doctis habetur, commentumque inde natum suspicantur quòd *Bosra* locum munitum significans *Διφθέρας* gratiâ in *Byrsam* mutari videtur, cùm literas *S* & *R* conjunctas *Græca* lingua ferre non possit.

8. Regina tandem, ne *Hiarbæ* Regi *Mauritaniæ* nubere cogeretur, manus sibi ipsi intulit. Antequam *Dido* vel *Amabilis*, seu (ut alii interpretantur vocem) *Erratica*, *Elissa* sive *Mulier divina* & *Virago* appellabatur. *Virago* autem vox Latina Græce *Ouirago* scripta apud *Eusebium* corrupta invenitur in *Origo*, quæ ad urbem non ad mulierem attinere visa *Josephum Scaligerum* & alios multùm divexavit.

9. *Carthago*

9. *Carthago* igitur à *Didone* reparata ſeu aucta eſt circa *A. M.* 3132. regnante *Jobaſo Judæ* Rege, & *Jehu Iſraelis*, à *Troja* excisa anno 310, ante primam *Olympiadem* 970, ante *Romam* conditam 120. Reges primum habuit, poſteà Monarchiam excuſſit, unde diù ſeditionibus aliiſque malis laboravit quæ effrenem Populi potentiam ſequuntur. Philoſophus Remp. hanc cum *Cretarum* & *Lacedæmoniorum* Politiis comparat, affirmans eam ex *Ariſtocratia* & *Politia* fuiſſe mixtam. *Polybius* ex *Regali Ariſtocratica* & *Democratica* potentia compoſitam vult: *Iſocrates* domi *Oligarchicam*, militiæ *Monarchicam* fuiſſe.

10. Ut *Spartæ* Reges, ita *Carthagine* duo rebus præfuerunt *Suffetes* dicti vel lingua ſua *Sophetim* quo nomine *Judices Iſraelitici* appellantur. Apud *Ariſtotelem Polybium* alioſque, *Reges* audiunt, in annum autem unum creati ſunt, unde *Livius* cum Conſulibus *Romanis* eos confert. His etiam *Senatus* adjungebatur (cum altero *Spartanorum* ab *Ariſtotele* comparatus) qui ſi ejuſdem cum illis ſententiæ eſſet, decretum vim legis obtinuit, ſin minus, de ea re ad Concionem referebatur. In concione duo à Philoſopho reprehenduntur; unum quòd cuique homuncioni ſententiam ſuam dicere & Magiſtratibus contradicere integrum erat; alterum quòd contra plebiſcitum quamvis iniquiſſimum nihil tutò obiici poſſet.

11. Præter *Senatum* alius fuit *Conſeſſus* virorum 104 à numero rotundo *Centumviratus* dictus,

dictus, quem quum *Aristoteles* cum *Ephororum* Collegio comparet *Judices* & libertatis custodes habendi sunt. *Censores Morum* in hac Repub. inveniuntur atque *Prætores*, qui tributa curabant legesque ferebant, cum Magistratibus aliis. Inter alia vitia *Aristoteles Suffetum* ob divitias electionem incusat, & quòd unus idemque munia varia obiret. Illud detestandum prorsùs quòd rebus adversis pressi *Carthaginienses* filios suos mactarent, quem superstitionis ritum ex *Phœnicia* videntur attulisse.

12. Absurdum etiam illud quòd *Græcè* callere nemini liceret, quia *Sumator* quidam *Græci* Sermonis ope cum *Dionysio* Majore Consilia communicaverat. Laudandum quòd civitas ebrietatem ferre noluerit, atque annulis aureis milites honoraverit. Populus ingenio morosus admodùm fuit, Magistratibus obedientissimus, erga subditos Tyrannicus, rebus in adversis timidus, cùm iraſceretur crudelissimus, in conciliis inconcussus, adeò tamen infidus ut *Fides Punica* in proverbium abiret.

13. Quo tempore & quibus rebus inducti *Carthaginienses Siciliam* primùm ingressi sint, obscurum est. *Livius* insulanorum seditionibus eos allectos & vocatos primùm scribit, *T. Quintio Cincinnato* & *Cn. Julio Mentone Coss.* anno *Romæ* conditæ 323°, quadragesimo circiter à *Xerxis* transitu, *Peloponnesiaco* bello jam inchoato: Hallucinatio gravis, cùm *Gelon Carthaginienses* ad *Himeram* vicerit eodem tempore

pore quo *Græci Xerxis* claſſem ad *Salaminam* profligarunt.

14. *Juſtinus* ex *Trogo* Hiſtorico refert eos, poſtquàm longo tempore in *Sicilia* parùm fæliciter belligeraſſent, in *Sardiniam* arma convertiſſe, numine irato quòd humanas hoſtias immolarent. Hic etiam acceperunt magnam cladem quà vehementer offenſi *Mazæo* duci cum exercitus reliquiis reditu interdixerunt. Milites vero exilium moleſte ferentes, *Carthagine* obſeſſa & demum capta, de conſilii authoribus pœnas ſumpſerunt.

15. *Mazæo* ob affectatam tyrannidem capitali ſupplicio affecto ſucceſſit *Mago* qui militarem diſciplinam ordinando Imperii fundamenta poſuit. Filios duos reliquit *Aſdrubalem* & *Amilcarem*. Horum auſpiciis Reſp. in *Sardinia* bellum geſſit & pugnavit cum *Africanis* qui annuum tributum pro urbis area exigentes nunc tamen illud obtinuerunt. *Aſdrubal* dictaturis 11 & triumphis 4 clarus in *Sardinia* ex vulneribus interiit. Ab ejus morte hoſtes animos ſumpſerunt, *Siculique* injuriis continuis affecti *Leonidæ Spartani* Regis fratris opem implorarunt, unde bellum acre conflatum quo Marte vario pugnatum eſt.

16. Hoc tempore *Darius Hiſtaſpis* filius per legatos imperavit ne hoſtias humanas immolarent, ne humanis carnibus veſcerentur, ne mortuos cremarent potiùs quàm humarent, atque ut ipſi auxilium contra *Græcos* mitterent: In quibus omnibus eos morem geſſiſſe præter

præter ultimum ſcribit *Juſtinus*, quod ſi fuerit, mutaſſe eos poſtea conſilium ex *Platone*, *Diodoro* & *Plinio*, abunde conſtat. Non longo pòſt tempore *Amilcar* in *Sicilia* occiſus eſt, tribus filiis relictis, *Amilcone*, *Hannone*, & *Giſgone*: *Aſdrubal* etiam totidem reliquerat, *Annibalem*, *Aſdrubalem*, & *Sappbonem*.

17. Hic *Amilcar* ille eſt qui in prælio cum *Gelone* commiſſo occubuit anno *Xerxis* ſexto, ex qua clade ad res *Carthaginienſium* digreſſi ſumus. Unà cum illo militum 150000 ceciderunt, & *Carthaginienſes* pacem petere coacti ſunt, cùm in hoc bellum fuiſſent inducti eo conſilio (ſicut quidam exiſtimarunt) ut Civitates *Siculæ* à *Græcis* adjuvandis arcerentur. Oblatum poſtea *Siciliæ* regnum *Gelon* reſpuit atque inde gloriam ſuam magnoperè auxit. Principatum tenuit per annos 13.

18. *Olympiadis* 75ª anno tertio *Geloni* mortuo ſucceſſit *Hiero* frater qui *Catanam* rædificatam *Ætnam* nominavit cujus nominis mons hoc tempore (ut ante annos 50) flammas eructavit. Principio avarus, crudelis, ſuſpicax & turbulentus doctorum virorum præceptis melior factus eſt. Contra *Pœnos* in *Siciliam* reverſos proſpere pugnavit & *Thraſydæum Agrigentinum*, poſtea in civium odium incidens *Catanam* profectus ibi mortuus eſt *Olympiadis* 78ª anno ſecundo, cùm principatum obtinuiſſet per annos 11 & menſes 8. *Hierone* mortuo *Thraſybulus* frater ejus potentiam occupavit omnium Tyrannorum fædiſſimus, qui

poſt

poſt menſes decem à *Syracuſanis* pulſus *Locros* in ora *Italiæ* conceſſit, ubi ſibi ipſi manus intulit, & cives libertatem recuperarunt.

19. *Syracuſani*, libertate recuperata, in ſeditionem gravem ilicò inciderunt æqualia Reip. jura denegantes iis quos *Gelon*, rerum ſuarum promovendarum gratiâ, civitate donaverat. Hos bello in ordinem redegerunt atque eodem tempore per univerſam inſulam è Civitatibus advenæ pulſi ſunt qui *Meſſanam* advolarunt. Ea hoc tempore Reipub *Syracuſanæ* forma fuit quam *Ariſtoteles Politiam* vocat ex *Oligarchia* & *Democratia* compoſitam. Quàm autem infirmis fundamentis inniteretur ſtatim ex eo apparuit, quòd parum abfuerit quin *Tyndarides* vulgi favore captato Tyrannidem occupaſſet, & quamvis ille in tumultu occideretur, alii tamen idem conſilium amplexi ſint.

20. His malis, ut remedium efficax, *Petaliſmum* adhibuerunt, quo (*Athenienſes* imitati) abſentiam impoſuerunt iis in quinquennium qui potentiâ vel gratiâ alios ſuperemineren: Atque inde appellationem ſortitus eſt quòd nomen ejus quem quis pulſum voluerit vel oleæ folio vel laminæ cuidam inſcriberet. Remedium autem ipſo morbo periculoſius comparatum eſt, dum optimates & rebus gerendis idonei à Rep. arcerentur quæ in hominum ſpurciſſimorum & impudentiſſimorum manus devenit. Hinc omnia ruere cæperunt, & Populus legem *Petaliſmi* tandem abrogavit.

21. Ab

21. Ab his rebus ſic domi geſtis ad bellum *Syracuſani* ſe converterunt, quo Civitatibus pleriſque ſubactis, *Leontium* quoque, cùm *Siciliæ* imperio inhiaret, ceperunt & complanarunt, optimatibus *Syracuſas* tranſlatis & turbâ in exilium pulsâ. Ex his motibus domeſticis in bellum cum *Athenienſibus* inciderunt *Olympiadis* 91ª anno primo, de quo à nobis ſatis dictum. *Syracuſæ* autem adeò cædibus & impenſis fuerunt exhauſtæ, ut *Gylippi Spartani* ſolius operâ tantis malis ſuperfuerint & *Athenienſibus* ſummam cladem & periculum intulerint. Populus illâ victoriâ elatus iterùm ferocire cæpit, & majorem ambire poteſtatem rebus præſentibus minime contentus.

22. Populo author fuit *Diocles* homo ſeverus eloquens & prudens ut Magiſtratus non ſuffragiis ſed ſorte diſignarentur. Hac ratione ſumma rei nonnunquam ad imperitiſſimos deferebatur, quod cùm legiſlatoris ſapientiæ nequaquam congruum ſit, nonnulli eum iniquitate temporum ad hanc legem ferendam impulſum putant, & Repub. ordinata huic iterùm vires infregiſſe. Hoc memorandum omninò quòd ſub capitis periculo cavens ne quis armatus in concionem prodiret, ipſe memoriâ lapſus hoc crimen incurreret, & ne legem ſuam ipſe irritam faceret, ferro ſtatim ſtricto ſeipſum occideret. In vitiis corrigendis inexorabilis fuit & rigidus, juſtiſſimus tamen, tantique leges ejus ſunt habitæ ut in pleriſque *Siciliæ* locis receptæ fuerint; & quamvis

Cephalo

Cephalo atque *Polydoro* legum condendarum poſtea negotium daretur, non *Legumlatores* ſed *Commentatores* in ejus leges habiti ſunt.

25. Verùm mala quæ *Democratiam* ſequuntur non ſic quidem tollenda erant, dum qui ſapientiâ præſtabant minùs, vulgus autem imperitum magis, valerent. Hinc ſimultates, invidia, & ſtudium partium quibus Tyrannis demùm exorta eſt. *Dionyſius* enim *Hermocratis* filius artifex egregius ſimulandi diſſimulandique adeò plebem orationibus ſuis ineſcavit, ut ad corporis cuſtodiam ſatellitio acquiſito, rei ſummam occupaverit, anno ab *Athenienſium* clade octavo, *Olympiadis* 93ª quarto, eodem quo *Athenæ* in *Lyſandri* manus venerunt.

26. Gratiæ cum plebe ineundæ in bellis cum *Carthaginienſibus* geſtis fundamenta poſuit. Hi ſub auſpiciis filiorum *Amilcaris* & *Aſdrubalis* contra *Maſtros* & *Numidas* fæliciter pugnaverant, & *Africanos* ad tributum, pro ſolo ſolvi ſolitum, remittendum compulerant. Cùm etiam numeroſiſſima illa familia libertati periculum intentare videretur, ex Senatoribus Judices centum elegerant, qui à Ducibus exigerent rerum geſtarum rationes. *Amilcari* ſucceſſerat filius *Amilco* qui, poſt varias victorias, exercitu peſtilentiâ conſumpto, ſibi manus intulit. Hunc excepit *Hannibal* ex fratre nepos, *Geſconis* (ſeu *Giſgonis*) filius.

27. *Hannibal* propter avum *Amilcarem* interfectum versùs *Græcos* animo infenſiſſimo erat,

erat, *Siciliamque* ingressus magna vi eos adortus est & *Selinuntem* cum *Himera* expugnavit. Illo autem ex peste mortuo, *Amilcar* Collega *Agrigentum* urbem tam hominibus quam omnium rerum copiâ refertissimam cepit, & ornamenta multa in *Africam* transportavit, inter quæ æneum illum *Phalaridis* taurum, quem post annos demum 260 *Scipio Africanus* Minor, *Carthagine* Capta, *Siculis* reddidisse fertur. Quum tota *Sicilia* ab *Agrigenti* excidio cladem accepisse videretur, duces *Syracusani*, ad opem obsessis ferendam missi inter alios, officii neglecti accusati sunt.

28. Defectionis autem apertè eos insimulavit *Dionysius* quasi obsidionem solvere potuerint, & puniendos statim ante tempus per leges statutum affirmavit. Hinc etiam Optimates accusandi ansam arripuit, ut Oligarchiam unà cum Ducibus affectantes, patronum se plebis & libertatis venditans. Et Militum gratiam captans Ducem cum aliis, & postea Collegis falsò accusatis & remotis, solum se renunciari curavit. Nunc conjurationem gravem in se fieri clamitans 600 hominum, in corporis custodiam, satellitium obtinuit, quo pro arbitratu aucto, & inimicis publico decreto oppressis, ex scriba & infimæ sortis homuncione, se maximæ Civitatis *Græcæ* dominum constituit.

29. *Amilcar* verò, *Agrigento* complanato, *Gelam* cepit, & profecturus ulteriùs videbatur, cùm peste gravissima compulsus esset, facta cum

cum *Dionysio* pace, exercitus reliquias in *Africam* trajicere. Contra *Dionysium Syracusani* omnia tentabant, at ille se strenuè defendit &, rebus confirmatis, contra *Carthaginienses* bellum redintegravit, à quibus Civitates multas alienavit. Illi, vere sequenti, *Amilconem* cum numerosissimo exercitu in *Siciliam* miserunt qui, re fæliciter administrata, urbes multas cepit & *Syracusas* obsidione cinxit.

30. Classem tamen eorum *Syracusani* fuderunt, capta prætoria navi, quo successu elati frustrà iterùm libertatem suam recuperandi consilia inibant. Atqui pestilentiâ tandem incredibili *Pœnorum* exercitus adeò consumptus est, ut fugæ omni ratione à *Syracusanis* præreptâ, eam redimere talentis 300 Dux fuerit coactus à *Dionysio* qui res *Carthaginiensium* non magis cupiebat attritas, ne subditi, securi ex hac patrè redditi, Tyranno plus negotii facesserent.

31. *Carthaginienses* itaque, novis copiis in *Siciliam* transmissis, bellum renovabant, quod tamen iterùm in Tyranni commoditatem compositum est. Rebus prosperis superbus *Rhegium* ter oppugnabat à civibus contumeliâ affectus, quos tandem fame victos vendidit. In otio jam positus poësi se totum addixit, atque inter alios Philosophos *Platonem* ad se vocavit, qui, cùm de viri Principis officio liberè fuisset locutus, in maximum vitæ periculum venit & libris quinque væniit, quem Philosophi, in id venientes, redemerunt. Ab

hoc

hoc otio bellum cum *Carthaginiensibus* redintegratum est & vario Marte gestum, cui cum induciæ succederent, brevi post *Dionysius* obiit seu ex Crapula sive Majoris filii operâ necatus, postquam *Syracusis* præfuisset annos 38, *Olympiadis* 103ª primo, ante *Æram* Christi 366°. *A. M.* 3637.

32. Hic *Tyrannus* ille celeberrimus est, qui non propinquis sed convenis quibusdam & feris hominibus atque barbaris custodiam corporis committebat: Qui tondere filias suas docuit, ne tonsori collum committeret: Qui ferrum ab iisdem, cùm essent adultæ, removit, instituitque ut candentibus juglandium putaminibus barbam sibi & Capillum adurerent, qui nocte sic ad uxores ventitabat, ut omnia specularetur & perscrutaretur antea, qui cùm in communibus suggestis consistere non auderet, concionari ex turri solebat: Qui denique *Damocli* Parasito, cujusmodi esset sua fælicitas, quam ille prædicaverat, ostendit, cùm in summis deliciis omnique rerum copia & luxu accumbenti gladium fulgentem è lacunari setâ equinâ appensum dimitti jusserit, ut illius cervicibus appenderet.

33. *Dionysius* uno eodemque die duas uxores duxerat *Dorida Locrensem* & *Aristomachen Hipparini* filiam, *Dionis* sororem. *Dion* in ultimis constitutum Tyrannum pro nepotibus solicitaturus erat, ut in partem regni saltem succederent, quod *Dionysius*, ex uxore priori susceptus & ad ætatem maturam jam provectus, subolfaciens medicos adegisse

dicitur

dicitur ad medicamentum patri propinandum, quo in ſoporem conjectus nunquam expergefieret. *Dionyſius* itaque, ſummâ rei occupatâ, patri ſucceſſit.

34. Principio virtutis quadam ſpecie omnium expectationem excitavit: *Platonem* inter Philoſophos alios bis accivit. At paulatim ad luxum & pigritiam devolutus virtuti ſe infenſum reddidit, *Platonem* modis indigniſſimis tractavit, & *Dionem* in exilium pepulit. Hic *Corinthi*, Mercenariorum manu coacta, *Siciliam* invaſit & Tyrannum, auctis indies copiis, in exilium abegit. *Syracuſani* autem libertatis vindici gratiam male retulerunt & Milites Stipendiis defraudarunt; cùm autem præſidiarii in arce à *Dionyſio* relicti in urbem impetu facto, eos male mulctarent & reprimi non poſſent, in auxilium vocatus eſt, & repreſſis hoſtibus Dux creatus. Inimicitias autem graves & continuas cum æmulis exercens atque inde in anguſtias magnas conjectus, tandem à *Callicrate* homine perfidiſſimo & nequiſſimo circumventus & percuſſoribus immiſſis interfectus fuit, anno ætatis 55° &, poſtquàm ex *Peloponneſo* rediiſſet, quarto.

35. *Callicrates, Dione* ſublato, Tyrannidem occupavit, quem poſt menſes 13 expulit *Hipparinus Dionyſii* Majoris ex *Ariſtomache* filius, ſummamque rei tenuit per biennium. Hunc ſequutus eſt *Naſæus* quidam quem ſummè ſecurum *Dionyſius* potentiâ exuit & *Syracuſarum* imperium recuperavit anno exilii ſui decimo. Hoc temporis intervallo

Locrorum

hoc otio bellum cum *Carthaginiensibus* redintegratum est & vario Marte gestum, cui cum induciæ succederent, brevi post *Dionysius* obiit seu ex Crapula sive Majoris filii operâ necatus, postquam *Syracusis* præfuisset annos 38, *Olympiadis* 103ª primo, ante *Æram* Christi 366°. *A. M.* 3637.

32. Hic *Tyrannus* ille celeberrimus est, qui non propinquis sed convenis quibusdam & feris hominibus atque barbaris custodiam corporis committebat: Qui tondere filias suas docuit, ne tonsori collum committeret: Qui ferrum ab iisdem, cùm essent adultæ, removit, instituitque ut candentibus juglandium putaminibus barbam sibi & Capillum adurerent, qui nocte sic ad uxores ventitabat, ut omnia specularetur & perscrutaretur antea, qui cùm in communibus suggestis consistere non auderet, concionari ex turri solebat: Qui denique *Damocli* Parasito, cujusmodi esset sua fælicitas, quam ille prædicaverat, ostendit, cùm in summis deliciis omnique rerum copia & luxu accumbenti gladium fulgentem è lacunari setâ equinâ appensum dimitti jusserit, ut illius cervicibus appenderet.

33. *Dionysius* uno eodemque die duas uxores duxerat *Dorida Locrensem* & *Aristomachen Hipparini* filiam, *Dionis* sororem. *Dion* in ultimis constitutum Tyrannum pro nepotibus solicitaturus erat, ut in partem regni saltem succederent, quod *Dionysius*, ex uxore priori susceptus & ad ætatem maturam jam provectus, subolfaciens medicos adegisse

dicitur

dicitur ad medicamentum patri propinandum, quo in ſoporem conjectus nunquam expergefieret. *Dionyſius* itaque, ſummâ rei occupatâ, patri ſucceſſit.

34. Principio virtutis quadam ſpecie omnium expectationem excitavit: *Platonem* inter Philoſophos alios bis accivit. At paulatim ad luxum & pigritiam devolutus virtuti ſe infenſum reddidit, *Platonem* modis indigniſſimis tractavit, & *Dionem* in exilium pepulit. Hic *Corinthi*, Mercenariorum manu coacta, *Siciliam* invaſit & Tyrannum, auctis indies copiis, in exilium abegit. *Syracuſani* autem libertatis vindici gratiam male retulerunt & Milites Stipendiis defraudarunt; cùm autem præſidiarii in arce à *Dionyſio* relicti in urbem impetu facto, eos male mulctarent & reprimi non poſſent, in auxilium vocatus eſt, & repreſſis hoſtibus Dux creatus. Inimicitias autem graves & continuas cum æmulis exercens atque inde in anguſtias magnas conjectus, tandem à *Callicrate* homine perfidiſſimo & nequiſſimo circumventus & percuſſoribus immiſſis interfectus fuit, anno ætatis 55° &, poſtquàm ex *Peloponneſo* rediiſſet, quarto.

35. *Callicrates, Dione* ſublato, Tyrannidem occupavit, quem poſt menſes 13 expulit *Hipparinus Dionyſii* Majoris ex *Ariſtomache* filius, ſummamque rei tenuit per biennium. Hunc ſequutus eſt *Naſæus* quidam quem ſummè ſecurum *Dionyſius* potentiâ exuit & *Syracuſarum* imperium recuperavit anno exilii ſui decimo. Hoc temporis intervallo

Locrorum

Locrorum in ora *Italiæ* maritima ſe dominum fecerat, & cives per ſexennium cædibus rapinis & ſtupris valde oppreſſerat. Hi *Locrenſes* illi ſunt quorum Remp. *Zaleucus* ille legiſlator celeberrimus ordinavit, de quo multa alibi diximus.

36. Eodem tempore quo *Dionyſius* Tyrannidem recuperavit *Syracuſani* in *Icetam Leontii* dominum proniores erant, ille tamen potentiam retinuit; *Carthaginienſes* verò *Syracuſanos* ſeditionibus laborantes adorti ſunt. Hi in anguſtiis tantis poſiti *Corinthi* Metropolis opem implorarunt, unde *Timoleon* miſſus eſt vir in Tyrannidem odio acerrimo, qui fratrem ſummam rerum affectantem occidi permiſerat. *Syracuſas* veniens *Carthaginienſes*, *Icetam*, & *Dionyſium* haud magno negotio expulit, quorum hic *Corinthum* deceſſit ubi vitam in magna penuria exegit *Pædagogus*. *Philippo Macedoni* percontanti cur potentiam illam magnam à patre relictam non retinuiſſet reſpondiſſe fertur: *Patrem Principatum quidem non autem fortunam ſibi reliquiſſe.* Hic fuit Tyrannidis *Dionyſiorum* exitus poſt annos 64, *Olympiadis* 109ª anno ſecundo, *A. M.* 3661.

37. *Icetas* verò *Syracuſis* inhians *Carthaginienſes* ad urbem expugnandam reduxit. Hos primùm ab obſidione rejectos prælio maximo vicit & ad omnes pænè concidit *Timoleon*, cùmque *Icetas* & *Mamercus Catanæ* Tyrannus in inſulam eos revocaſſent, vires unitas illorum attrivit, *Icetam* cum filio captum

tum ſupplicio affecit, *Carthaginienſes* ad pacem petendam compulit, & *Mamercus* quidem fugiens poſteà ſeipſum dedidit & necatus eſt. Urbes reliquas omnes à Tyrannis *Timoleon* liberavit, atque, *Syracuſis* bellis & cædibus pæne exhauſtis, per præconem in *Græcia* edici juſſit Populum *Syracuſanum* agrum & domos cuique offerre, quo factum eſt ut, multis confluentibus, frequentiſſimè urbs habitari cæperit.

38. *Timoleon* bellorum curâ liberatus Reipub. ordinandæ totus incubuit quam *Democraticæ* formæ reſtituit, *Cephalo* cuidam & *Dionyſio Corinthio* negotio dato leges *Dioclis* interpretandi. Magiſtratum novum & annuum à Populo eligi voluit & *Jovis Olympii Famulum* nominari in libertatis recuperatæ memoriam. Oculis captus Reip. tamen deeſſe nolebat. Extrema ſenectute confectus tandem univerſo *Siculorum* concurſu ſepultus eſt, atque ut *Hero* cultus. Obiit anno regiminis ſui 38°, *Olympiadis* 110ª ultimo, *Philippi Macedonis* etiam ultimo, *Arſis Perſæ* ſecundo, ante exortum *Imperii Macedonici* ſeptimo, *A. M.* 3668.

CAP. IV.

Res Romanorum Imperio Persico Contemporaneæ.

SECT. I.

A Regis Regnique exilio primaque Reiminis mutatione ad Secundam à Decemviris factam.

Spatium Annorum 57.

1. PRofligatis Regibus rei summa ad *Consules* defertur à *Consulendo* dictos, seu Consilium *Petendo*, sive *Judicando*, vel *Prospiciendo*. *Prætores* verò primùm, postea *Judices*, tandem *Consules* sunt appellati.

2. Potestas Consulum eadem Principio quæ Regum fuit : A *Cicerone Regia Potestas* & *Imperium Regium* dicitur, & apud *Græcos* ὕπατοι seu *Præcellentes* audiunt. Diminuta est hæc duorum hominum annua potestas *Provocatione* & *Intercessione*. *Provocationem* à Consulibus ad Populum instituit *Valerius Poplicola*. Intercesserunt postea *Tribuni Plebis*. Repub. durante negotiis publicis omnibus Consules

Consules præfuerunt & Magistratus præcipui sunt habiti. Postquam Princeps Magistratuum omnium, Consulum verò & Tribunorum imprimis, jura usurpasset, Senatum habere, jus dicere, tutores dare, servos manumittere, tributa locare, & ludos publicos celebrare consueverunt: Atque ex eorum nominibus, nota anni characteristica, ut prius, desumpta fuit. Florente adhuc Rep. cùm arduum quid & periculosum accidisset, summa illis potestas tributa est Senatusconsulto in hanc formam facto: *Viderint Consules nequid detrimenti Resp. capiat.* Cætera de Coss. ex Institutione nostra Tirones petant.

3. Consulatum primi omnium auspicati sunt *L. Junius Brutus* & *L. Tarquinius Collatinus* initio *Olympiadis* 68ª quæ, in stadio vicit *Ischomachus Crotoniensis, Archonte Isagro.* Hi novi Consules, cùm uterque secures 12, ut Rex ipse, ante se gestatas haberent, ad invidiam diminuendam ordinarunt, ut unus secures, alter fasces virgarum haberet; & *Servii* leges, populi in gratiam, velut postliminio reduxerunt. Ad *Tarquinium* autem restituendum conjuratio gravis facta est, qua per *Vindicium* servum patefacta, *Brutus* filios suos *Titum* & *Tiberium* securi percussit; conjuratores vero cæteros Collegæ, cujus erant affines, puniendos reliquit.

4. Hi, cùm *Tarquinius* æquior illis videretur, *Publii Valerii* operâ ad supplicium sunt damnati, consul vero ipse seu ob clementiam sive gentem suspectus magistratu novo privatus

tus in exilium mittitur. Hoc *Cicero Democratiæ* addictiſſimus defendit ut juſtè factum & patriæ tum utile tum honeſtum fuiſſe dicit, ut memoria *Tarquiniorum* & regni tolleretur. S. *Auguſtinus* autem illud ſcelus, *Tarquinium* verò bonum & innocentem virum nominat.

5. *Tarquinio* in Conſulatu ſucceſſit *Valerius* vir acerrimo in Regem odio. *Conſules* bona Regis populo diripienda expoſuerunt, ædes ejus complanarunt, & Campum Martium quem occupaverat publico juri reſtituerunt. Rex, cùm legationibus & dolis ſe parum profeciſſe videret, exercitum *Hetruſcorum* numeroſum in rebelles duxit, atque acre prælium committitur quo *Aruns* ejus filius & *Brutus* certamine ſingulari ambo pariter ceciderunt. Victoria tamen ex *Romanorum* partibus ſtetit & *Valerius* triumphans *Romam* rediit.

6. *Valerio* Populus graviter ſuccenſebat quòd ſolus abſque Collega Reip. præeſſet, & tanquam libertati iniquior ex ædibus regalibus ſatis & ſuperbis Regis inſtar pompâ magnâ procederet. Domum itaque ſuam companavit, ſecures â faſcibus removit, faſces ipſos in comitia veniens Populo ſubmiſit, & Conſulatum petendi cuipiam copiam fecit, poſtquàm plurima in plebis feciſſet gratiam, & *Democratici* imperii poſuiſſet fundamenta. Ex conſulibus enim ad Populum provocationem induxit; ſub pœna capitis ſancivit, nequis, populi injuſſu, Magiſtratum capeſſeret, & pauperibus ſuccurrebat tributi remiſſione.

Le-

Lege alia in Conſules pervicaciam punivit, Senatum virorum 164 acceſſione auxit, & Tyrannidem affectantem interficere cuiquam permiſit, modo crimen demonſtrari poſſet. Quumque ad belli ſumptus à populo pecuniam conferri oportuerit *Ærario* duos præeſſe voluit *Quæſtores* dictos.

7. *Quæſtores* à quærendo nominati ſunt, ut inquit *Varro*, quòd de pecunia publica inquirerent, atque de Maleficiis. Nonnulli eorum originem altiùs petunt, tàm *Romulum* quam *Numam Quæſtores* ſuos habuiſſe contendentes. Si vero habuerint uidentur tantùm ad ſontes puniendos creati (ut poſtea Triumviri de rebus capitalibus) atque *Ærario* demum, Regibus pulſis, præfuiſſe quo tempore opes publicæ magis auctæ ſunt. Duo primi *Vrbani* ſunt dicti, poſtea finibus imperii productis plures creati, donec *Cæſar* tandem 40 creaverit. *Quæſtorum* erat pecuniam publicam colligere atque adminiſtrare, ſigna bellicâ aurea & argentea in *Ærario* ſervare, prædam vendere, legatos hoſpitio excipere & ex publico alere.

8. Senatuſconſultorum etiam curam *Auguſtus* illis commiſit. Principes habuerunt *Quæſtores* ſuos *Candidatos* & *Quæſtores Principis* nominatos. Ex his *Quæſtores Palatii* traxerunt originem, qui cum cuſtodes velut & Præſides legum ſint nunc demum *Cancellarii* audiunt. Quod autem ad *Ærarium* attinet, principio *Saturni* Templum nummo publico aſſervando aſſignatum eſt quo *Libri Elephantini*,

quibus inſcribebantur tribus 35, & Senatus-conſulta, aſſervabantur : Libri autem *Lintei* ſeu *Annales* curæ Pontificum commiſſi. *Ærarium* poſtea *Fiſcus* à *Fiſcellis* appellabatur. Primum *Advocatum Fiſci* creavit *Adrianus*.

9. His ordinatis *Lucretius* pater *Lucretiæ Bruto* ſuffectus eſt, cui mortuo poſt dies aliquot ſucceſſit *Marcus Horatius*. Hic, Collega abſente, *Capitolium* jam abſolutum *Idibus* Septembris dedicavit, atque eo Conſule fœdus primum inter *Romanos* & *Carthaginienſes* pactum eſt. Anno ſequenti, *Valerio* (quod Populum coleret *Poplicola* cognominato) ſecundùm & *Tito Lucretio Tricipitino Coſſ. Porſena Cluſii* Rex ad *Tarquinium* reſtituendum copiis magnis adductis *Romam* obſedit. Velitationibus aliquot Conſules ambo vulnerati ſunt, & *Hetruſci Romanorum* fugientium terga premebant ſuper pontem. Ibi *Horatius Cocles* hoſtium multitudini ſe oppoſuit donec pons à tergo diſrumperetur, quo facto in fluvium diſiliens ad ſuos ſoſpes enatavit.

10. Anni inſequentis *Coſſ. Poplicola* & *M. Horatius Pulvillus Porſenam* prælio magno fuderunt, 5000 ex ejus militibus deſideratis. Honor tamen belli componendi totus ad *Mutii Cordi* virtutem attinebat, qui *Hetruſco* habitu aſſumpto pugione Regem transfodere ſtatuit, &, Scriba pro domino interfecto, manum ardenti foco impoſuit, ſpectantibus omnibus. Hujus virtute Rex perculſus, audito etiam 300 alios in caput ſuum conjuraſſe, hominis

hominis facinori non ignovit solùm sed, pace cum *Romanis* facta, eos obsidione pressos omnium rerum copiâ recreavit.

11. Anno urbis conditæ 250°, à *Tarquinio* pulso 5°, primo *Olympiadis* 69æ, qua, in stadio vicit *Ischomachus Crotoniensis*, *Archonte Aceforide*, *Darii Hystaspis* filii 18°, *A. M.* 3501, *M. Valerio* (*Poplicolæ* fratre) & *P. Posthumio Tuberto Coss.* bellum cum *Sabinis*, qui ex agro *Romano* prædas egerant, ortum est. *Valerius* præliis maximis eos bis vicit, & proximo anno *Poplicola* jam *Consul* quartùm, quamvis *Latinus* sibi adjuxerant eâdem fortunâ pugnavit. Quo facto mortuus est vir plebi charissimus, ex publico sepultus, atque intra pomœrium quod illi & posteris ejus solis indultum. Horum tamen nemo jure suo uti voluit, in forum enim funere ducto, simul ac ignis subjiceretur, mortuus sublatus est, & extra urbem deportatus ad sepulturam.

12. Bello jam fervente ad *Romam* venit *Attius Clausus Sabinorum* nobilissimus 5000 familias secum adducens, cùm gentiles suos à vi inferenda revocare frustrà conatus esset. Ab hoc *Clausiorum* (vel *Claudiorum*) gens clarissima originem traxit. Eodem anno quo *Poplicola* mortuus est, *Sabini* ad muros usque penetrarunt, quibus resistens *Posthumius* Consul magnum suorum numerum desideravit. Pòst Consules conjunctis copiis eximiam victoriam obtinuerunt, & nox sola in causa fuit quod hostes ad internecionem usque non cæderentur.

13. Consulibus ob res præclarè gestas honores sunt decreti: *Menenio* quidem *Triumphus*, *Posthumio* autem *Ovatio* quia cladem nuper acceperat. *Ovationem* ex *O* litera, quam milites *Ovantes* ingeminare solebant, deduxit *Festus*; ex *Evasie Græco* nomine perperam pronuntiato *Dionysius*. A Triumpho differebat quòd Dux non eques sed pedes ante milites urbem intrabat, prætexta toga, non veste auro intertexta amictus, laureatus non sceptrum manu tenens, & myrto coronatus cùm bellum vel non denunciatum fuisset vel sine sanguine compositum. Anno sequenti *Sabini* magna strage iterùm cæsi pacem petierunt. *Camarina* etiam capta & complanata.

14. Annò primo *Olympiadis* 70ª qua *Nicæas Opuntius* in stadio vicit, *Archonte Myro*, *Posthumio Cominio* & *Tito Largio* (seu potiùs *Lartio*) *Coss. Latinorum* urbes 30 contra *Romanos* conjurarunt à *Mamilio Octavio Tarquinii* Regis genero in hoc consilium inducti. *Romani*, quo magis res suas curarent, *Fidenas* obsederunt & tandem expugnarunt, quo incæpto *Latini* vehementer irritati in bellum se promptiùs offerebant. *Romani* hac difficultate pressi seditionibus etiam laborabant, propterea quòd pauperes à creditoribus suis, donec nomina liberarent, haud aliter ac mancipia tractarentur.

15. Hinc nonnulli auro corrupti in Regis reditum conspirarunt, qui quamvis re maturè patefacta oppressi fuerint, delectu tamen militum habito, pauci admodum nomina sua profiteri

ſiteri voluerunt. Huic malo cùm remedium nullum adhiberi potuiſſet ob Provocationem ad Populum à *Poplicola* inſtitutam, alius Magiſtratus creatus eſt qui in ſex Menſes abſolutam poteſtatem & nullis legibus obnoxiam obtineret.

16. Magiſtratus hic ſummus *Dictator* appellabatur, ſeu quòd à Conſule *dictus*, ſive à *dictando* vel præcipiendo; *Magiſter* etiam *Populi* & *Prætor Maximus*, ex *Albanis* deſumptus. Ad bellum gerendum, clavum peſtilentiæ tempore figendum, Comitia conſularia habenda, ludos celebrandos, quæſtionem ferendam, ſenatores eligendos, vel quandocunque gravis ullus caſus exigeret, nominabatur à *Conſule*, ſenatu præcipiente, abſque Populi ſuffragiis. Dictatore renuntiato Magiſtratibus aliis omnibus, Tribunis exceptis, imperium abrogatum eſt. Conſularem aliquem vel Prætorium virum *Magiſtrum Equitum* fecit, qui eandem poteſtatem in *Equites* & *Accenſos* obtinebat. Dictatori in Populum ipſum jus erat, unde *Magiſter Populi* dicebatur; cæteri, quod Minoris eſſent momenti, non *Magiſtri* ſed *Magiſtratus* vocabantur uti ex *Albo Albatus*, ut ſcribit *Varro*. Poſtea tamen ab illo ad populum provocatum eſt.

17. Dictator primus fuit *T. Largius*, *Magiſter Equitum Sp. Caſſius*. Ille faſcibus & ſecuribus Populum terruit, & cenſu acto exercitum numeroſiſſimum conſcripſit, quem educens inducias cum hoſte in annum fecit.

His finitis *Latini*, *precibus Tarquinii*, & *Mamilii* cedentes ſe iterum armarunt, at ab *Aulo Poſthumio* Dictatore ſecundo maxima ſtrage cæſi ad lacum *Rhegillum* pacem petierunt, quæ ægre fuit conceſſa. *Tarquinius*, omnibus jam ſuis amiſſis, pæne nonagenarius, cùm *Latini Hetruſci* & aliæ Civitates liberæ eum rejicerent, *Cumas* ad *Ariſtodemum* Tyrannum migravit, apud quem brevi poſt diem ſuum obiit.

18. *Romani* bello liberati in ſeditiones reciderunt, dum creditores nomina exigerent, pauperes vero ſe non ſolvendo eſſe clamitarent. Hinc ſimultates tantæ exortæ ſunt ut plebei Sacramentum contra *Sabinos* accipere nollent, ſe patriam deſerturos affirmantes. Et quamvis contra hoſtes educi ſe tandem paſſi fuerint, domum tamen reverſi cum nihil levaminis obtinere potuerint, Sacramenti conſcientiâ obſtricti ſigna deſerere quidem nolebant, at in montem ſacrum ſeceſſerunt armati. Urbs hinc tota graviter perturbata, & Patres in diverſas ſententias abibant. Tandem, ingenti indies ad exercitum defectione facta, *Menenius Agrippa* pervicit ut legati mitterentur paciſcendi poteſtate inſtructi, abſque ulla ad Senatum relatione.

19. Promiſſo facto ut iis qui ſolvendo non eſſent debita remitterentur, reſque in poſterum Communi Senatus & populi conſenſu ordinaretur, alacres reverſuri erant, cum *Sicinius* & *L. Junius* eos ad Magiſtratus proprios efflagitandos excitarent, quibus ab injuriis pro-

protegerentur. De hoc, cum maximi videretur momenti, ad Senatum retulerunt legati, cujus decreto demum multis manibus pedibuſque in ſententiam contrariam euntibus, conceſſum & religioſè confirmatum eſt. Comitiis itaque curiatis delecti ſunt *L. Junius Brutus* (ſic voluit cognominari) & *L. Sicinius Bellutus*, quibus acceſſerunt *C.* & *P. Licinii* & *Spurius Icilius Ruga*. *Idibus* Decembris Magiſtratum novum ineunt, anno 16° à *Tarquinio* pulſo, ſecundùm *Dionyſii Halicarnaſſei* rationes.

20. Magiſtratus iſti (ſi modo Magiſtratus audire debent) *Tribuni Plebis* dicebantur, quòd ex Militum tribunis primi electi eſſent. Anno *V. C.* 297. illorum numerus decennalis factus. Ex plebe ſemper *Plebei* (duos excipit *Livius*) electi ſunt. Poteſtas vulgus defendendi principio illis tributa, cujus, in audaciam incredibilem provecti, terminos valde ampliarunt. Senatuſconſultis & Magiſtratuum edictis interceſſerunt, hoc verbo *Veto* ſolenniter pronuntiato. Pòſt *Sacroſancti* lege lata facti, Senatum habere, Populum convocare, leges ferre & Magiſtratus ipſos ad carcerem ducere ſunt auſi. Solum contra eos auxilium erat quòd unus aliis intercederet, niſi enim totum collegium conſentiret, nihil valebant.

21. Viri turbulenti potentiâ tantâ ornati magnas turbas ciebant, adeò ut quamvis ad jus tuendum creati fuerint, *Lucanus Turbantes jura* eos ritè dixerit. *Sulla* nervos iis intercidit; at illo mortuo, *Aurelii Cottæ*, *Pompei*

8a

His finitis *Latini*, *precibus Tarquinii*, & *Mamilii* cedentes se iterum armarunt, at ab *Aulo Postbumio* Dictatore secundo maxima strage cæsi ad lacum *Regillum* pacem petierunt, quæ ægre fuit concessa. *Tarquinius*, omnibus jam suis amissis, pæne nonagenarius, cùm *Latini Hetrusci* & aliæ Civitates liberæ eum rejicerent, *Cumas* ad *Aristodemum* Tyrannum migravit, apud quem brevi post diem suum obiit.

18. *Romani* bello liberati in seditiones reciderunt, dum creditores nomina exigerent, pauperes vero se non solvendo esse clamitarent. Hinc simultates tantæ exortæ sunt ut plebei Sacramentum contra *Sabinos* accipere nollent, se patriam deserturos affirmantes. Et quamvis contra hostes educi se tandem passi fuerint, domum tamen reversi cum nihil levaminis obtinere potuerint, Sacramenti conscientiâ obstricti signa deserere quidem nolebant, at in montem sacrum secesserunt armati. Urbs hinc tota graviter perturbata, & Patres in diversas sententias abibant. Tandem, ingenti indies ad exercitum defectione facta, *Menenius Agrippa* pervicit ut legati mitterentur paciscendi potestate instructi, absque ulla ad Senatum relatione.

19. Promisso facto ut iis qui solvendo non essent debita remitterentur, resque in posterum Communi Senatus & populi consensu ordinaretur, alacres reversuri erant, cum *Sicinius* & *L. Junius* eos ad Magistratus proprios efflagitandos excitarent, quibus ab injuriis pro-

protegerentur. De hoc, cum maximi videretur momenti, ad Senatum retulerunt legati, cujus decreto demum multis manibus pedibuſque in ſententiam contrariam euntibus, conceſſum & religioſè confirmatum eſt. Comitiis itaque curiatis delecti ſunt *L. Junius Brutus* (ſic voluit cognominari) & *L. Sicinius Bellutus*, quibus acceſſerunt *C.* & *P. Licinii* & *Spurius Icilius Ruga*. *Idibus* Decembris Magiſtratum novum inibant, anno 16° à *Tarquinio* pulſo, ſecundùm *Dionyſii Halicarnaſſei* rationes.

20. Magiſtratus iſti (ſi modo Magiſtratus audire debent) *Tribuni Plebis* dicebantur, quòd ex Militum tribunis primi electi eſſent. Anno *V. C.* 297. illorum numerus decennalis factus. Ex plebe ſemper *Plebei* (duos excipit *Livius*) electi ſunt. Poteſtas vulgus defendendi principio illis tributa, cujus, in audaciam incredibilem provecti, terminos valde ampliarunt. Senatuſconſultis & Magiſtratuum edictis interceſſerunt, hoc verbo *Veto* ſolenniter pronuntiato. Poſt *Sacroſancti* lege lata facti, Senatum habere, Populum convocare, leges ferre & Magiſtratus ipſos ad carcerem ducere ſunt auſi. Solum contra eos auxilium erat quòd unus aliis intercederet, niſi enim totum collegium conſentiret, nihil valebant.

21. Viri turbulenti potentiâ tantâ ornati magnas turbas ciebant, adeò ut quamvis ad jus tuendum creati fuerint, *Lucanus Turbantes jura* eos ritè dixerit. *Sulla* nervos iis interciſit; at illo mortuo, *Aurelii Cottæ*, *Pompei*

& *Craſſi* legibus in integrum potentia reſtituta perduravit donec Principes ad Remp. acceſſerint, ſub quibus nomen tantùm inane obtinuerunt. Nec Prætextam nec Lictores nec Sellam Curulem habuere; anni initio Munus ſuum non capeſſebant, nec deponebant Dictatore nominato. Hinc conjecerunt nonnulli eos non *Magiſtratus* fuiſſe ſed in tales ordinatos. Præter *Tribunos Plebis* autem & *Tribunos Celerum*, fuerunt *Tribuni Militum*, & *Tribuni Ærarii* in Rep. Sub Imperatoribus *Tribunus Voluptatum*, *Tribunus Matrimoniorum*, *Tribunus Chartariorum*, *Tribunus Provinciarum* & *Tribunus Scholarum*, de quibus *Caſſiodorus* in Epiſtolis.

22. Plebs ultrà obtinuit ut ex ſe crearentur duo alii qui, *Tribunorum Miniſtri* cùm eſſent, de cauſis aliquot etiam cognoſcerent, ædificiorum curam gererent & annonæ. *Miniſtri Tribunorum* primùm, poſtea *Ædiles* ſunt dicti ab *Ædibus* Curandis quibus deponebantur *Plebiſcita*. His *Ædilibus Plebis* poſt multos annos additi ſunt ex *Patritiis* duo *Curules* dicti à *Sella Curuli* cujus uſus illis permittebatur. Anno *V. C.* 710. duo alii à *Julio Cæſare* adjecti ex *Patritiis Cereales* appellati quod commeatibus proſpicerent: Atque hi ſex uſque ad *Conſtantini* tempora perdurarunt. *Ædiles*, inquit *Cicero*, *Urbis*, *annonæ* & *ludorum ſolennium* curatores ſunt. Fabulas inſpexerunt antequam agerentur, atque alia ſcripta videntur examinaſſe. Poſt victoriam commeatus *illis* à Ducibus traditus,

ut

ut *Prætori* Captivi, & nummus *Quæſtori*. Scribit etiam *Livius* curaſſe *Ædiles* nequi niſi *Romani Dii*, neve iſti alio more quam patrio colerentur.

23. Ab his rebus *Plebei* ſponte nomina ſua apud Conſules profitebantur & contra *Volſcos* pugnabant. *Longulam* & *Poluſtiam* facilè ceperunt, & *Coriolos* Metropolin virtute *Marcii Patritii* cujuſdam cui hinc *Coriolani* cognomentum attributum. Fœdus hoc anno cum *Latinis* renovatum, quòd fideles ſe præſtitiſſent dum *Romani* malis domeſticis & hoc bello premerentur: Supplicationes à Senatu decretæ & Tertia addita duabus *Feriis Latinis* quarum unam *Tarquinius*, *Hetruria* domita, alteram *Populus*, illo pulſo in exilium, inſtituerat. Cenſus nunc actus quo 110000 civium capita cenſa ſunt.

24. Anno proximo fames magna ex ſeditionibus nuperis orta urbem invaſit quæ plebem conjecit in tumultum gravem. Nec pauperum animi conciliari potuerunt lege in Comitiis Tributis lata qua Tribunis concionantibus contradicere prohibitum erat. Ad annonam itaque in *Sicilia* emendam mittuntur legati qui cum frumenti copiam magnam attuliſſent, quidam dixerunt illud pauperibus vendendum modico pretio, alii conſiliis uſi ſevirioribus vulgus acerbè tractandum quod ex otio indulgentiaque nimia ferociebat. Inter hos liberrimè locutus eſt *Marcius Coriolanus* Patriciæ dignitatis fautor eximius & ob repulſam in Comitiis Conſularibus acceptam irritatus.

irritatus. Non ſolùm nihil in ſtumento Plebi indulgendum contendebat, ſed Tribunatum ipſum protinùs eſſe tollendum è medio.

25. *Tribuni* eum ſtatim ad pœnam depoſcere, &, cùm *Patritiorum* globo defenderetur, diem illi dicere quo populo coram reſponderet. Ægre quidem permittebant *Patritii* ut ſui ordinis quenquam Populus judicaret, at cùm Tyrannidis affectatæ reum peracturos ſe *Tribuni* ſignificarent ultrò ſe obtulit ad cauſam dicendam. Atque facile quidem crimen illud diluebat & miſeratio magna populum ſubiit, Multis, quos vir egregius in bello ſervarat, illius in ſeipſos & Remp. merita demonſtrantibus, adeo, ut plane conſtaret eum quam citiſſimè eſſe abſolvendum.

26. *Tribuni*, hoc perſpecto, quem aperte non poterant, dolis opprimere ſtatuebant, vitio vertentes quod prædam in bello captam nec *Quæſtori*, quod leges jubebant, tradidiſſet, nec pecuniam in *Ærarium* retuliſſet, ſed diſtribuiſſet inter amicos. Hoc factum ad gratiam captandam, qua ſatellitium ſibi compararet, interpretabantur; & quamvis ad animos militum roborandos, & publicæ levandæ calamitatis causâ id fecerat, patriâ ſeditionibus laborante, Populus adeo exanduit ut ex 21 tribubus 11 eum damnaverint ad exilium perpetuum.

27. Hæc prima ſententia *Populi* fuit in *Patritium* lata. Ab hoc tempore *Tribuni* diem, dicere cuique ſolebant & *Plebeiorum* poteſtas magnopere

magnopere eſt aucta, *Patrum* authoritate indies diminuta, donec, tandem Senatus, Magiſtratus & Sacerdotia communicarentur plebi; Patritiis partim neceſſitate prudentiâ partim ad morem gerendum adductis. *Coriolanus* autem ad *Volſcos* fugiens maximum belli incendium in patriam ingratam excitavit, atque multis locis captis ipſi exitium allaturus videbatur. Nullis legationibus flecti potuit, atque matris & uxoris precibus & lachrymis ægre ceſſit, *Antium* reverſus *Tulli* æmuli operâ occiſus eſt, vir omnium, hac ætate, bellicâ gloriâ florentium bellicoſiſſimus, ſed qui rigida ſeveritate patriam in ſummum diſcrimen, ſibimet exitium attulit.

28. *Coriolano* interfecto, *Volſci* ad pacem petendam compulſi ſunt & *Hernici* devicti, qui fœdus obtinuerunt cujus Leges *Caſſii* Ducis arbitrio fuerunt permiſſæ. Hic civitatem illis dedit & Plebem omnibus modis demereri ſtuduit viam ſibi parans ad Tyrannidem. *Legem Agrariam* de agris populo viritim dividundis propoſuit, Patritiorum autem coitione facta impeditus, damnatus & è Tarpeia rupe præceps datus eſt, *Olympiadis* 74ª anno primo, qua, in ſtadio vicit *Aſtylus Syracuſanus*, *Archonte Leoſtrato*, *Xerxis* primo, *Q. Fabio* & *S. Cornelio Coſſ.*

29. *Caſſio* oppreſſo, Patritii elatiores, Plebei vero ferociores ſunt redditi. Redintegrato bello *Tribuni* illis qui Sacramentum reſpuebant opem tulerunt, quorum Interceſſionem ut inutilem redderent in *Campum Martium*

Martium ſellas ſuas tranſtulerunt Conſules; illi enim extra Pomœrium nemini valebant ſuccurrere. Hinc magna invidia quæ ad pugnorum certamen jurgia & minas proceſſit, quibus tollendis Dictator nominandus videbatur. Hic fuit *Sp. Largius* qui Conſules tam Plebi quam Nobilibus gratos creando aliquantum malis inteſtinis adhibuit remedii.

30. Anno ſequenti in quem incidit *Olympias* 75ª & *Xerxis* in *Græciam* tranſitus, *Archonte Calliade, Cæſone Fabio* ſecundùm & *Sp. Furio Coſſ. Æqui* & *Vejentes* in *Populum Romanum* ſe armarunt. Hi quidem, *Hetruria* tota concitata, Conſules haud ſemel vicerunt atque excurrerunt ad urbem uſque. Senatus neceſſarium apprime duxit fines præſidiis muniri; exhauriebatur autem *Ærarium*, privatorum tributa publicis ſumptibus erant imparia, & parùm erat ſperandum in militiam tam diutinam ullos ſponte nomina ſua profeſſuros. His in anguſtiis *Fabia* gens, Authore Conſule, totum onus in ſe ſuſcepit & *Cremeram* caſtellum in finibus munivit.

31. At à *Vejentibus* qui prælio victi pacem obtinuerant, nunc vero bellum redintegrabant, *Fabii* omnes ad numerum 306 cæſi ſunt. Fama eſt tōtam gentem interiiſſe ſuperſtite ſolo impubere domi relicto qui familiam deſolatam propagavit, quod argumentis manifeſtis falſi arguit *Dionyſius*. De cladis tempore varii varia ſcripſerunt. *Macrobius* 17° Calendas *Sextilis* eam accidiſſe vult, *Plutarchus Quintili* Menſe circa plenilunium poſt ſol-

ſolſtitium æſtivum; *Livius*, & *Tacitus*, 15° Calendas *Sextiles*, *Ovidius* vero *Idibus Februarii*.

32. *Vejentes* à *Fabiorum* excidio ferocientes ad *Janiculum* uſque penetrarunt, uno tamen vel altero anno elapſo tot clades ipſi acceperunt ut pacem iterùm peterent. Leviſſimum autem hoc bellum videbatur cum civilibus diſſidiis comparatum. Urbs maximâ rerum penuriâ laborabat quòd, *Janiculo* ſuperiori anno à *Vejentibus* obſeſſo, nec agros exercere nec mercimonium *Romani* potuerint. Hinc magni tumultus *Genutio Trib. Plebis* de lege *Agraria* turbas maximas ciente, & *P. Volerone* ſucceſſore ejus aliam rogante qua Tribuni in Comitiis Tributis crearentur. Inter *Comitia Curiata* autem & *Tributa* hoc erat diſcriminis, quòd in illis confirmarentur tantùm à *Curiis* quæ Senatus ante juſſerat auſpiciis bonis: His vero omnia tranſigerentur nullo interveniente Senatuſconſulto, auſpiciis nullis, ex Tribuum ſuffragiis ſeparatim collectis.

33. De hac lege ferenda ſumma contentione actum eſt inter ordines. *Patritii* impudentiâ Tribuni vehementer offenſi ſunt, atque eo magis quòd *Ædiles* etiam in Tributis Comitiis creari & omnia tranſigi ad Plebeios ſpectantia voluerit, quod eo ſpectabat apertè, ut poteſtas tota à Senatu ad Populum transferretur. *Appius* Conſul in adverſum præcipuè nitebatur, *Plebi*, ex ingenio familiæ, infenſiſſimus, qui in concionando nullis opprobriis

probriis aut verbis contumelioſis abſtinuit, quibus omnia miſcebat cùm *Quintius* Collega vir mitiſſimus ſermone blando partes tantùm non compoſuiſſet. Tribuni Conſulem ad carcerem duci juſſerunt, ſed à *Patritiis* defendebatur, atque ad manus & Saxorum jaculationes, fædum in modum, ventum eſt.

34. *Quintius* tamen rebus moderandis totus incumbens à Tribunis obtinuit, ut res Senatus arbitrio permitteretur, cùm populus capitolium jam occupaſſet, ibique diu & noctu excubias egiſſet. Senatus legem approbavit, quâ a Comitiis confirmata, Conſules exercitus eduxerunt; *Quintius* contra *Æquos*, *Appius* verò in *Volſcos*. Utrique Conſuli res ſucceſſit ut ſuccedere par fuit. Exercitus enim *Quintii* lenitatis ejus & æquitatis amore promptus erat ad omnia imperata facienda, & plurima pericula ſponte ſuâ, nullo jubente, adibat ut duci ſuo gloriam & honorem pararet. Qui vero *Appio* militabant, odio quò eum proſequebantur, datâ operâ ignaviter rem geſſerunt, & in aciem producti cum hoſtibus manus conſerere noluerunt, vociferantes & ſe ex hoſtico abduci jubentes.

35. *Appius* ex hoſtico exercitum deducere coactus antequàm in patriam rediret legum ſeveritate in contumaces utebatur. Centuriones enim quorum cohortes fugerant, atque anteſignani & ſigniferi qui ſigna amiſerant partim ſecuri percuſſi partim fuſtibus cæſi & necati ſunt. Ex reliqua verò multitudine pro aliis decimus quiſque miles ſorte ad ſupplicium

plicium abductus. Hæc enim pœna apud *Romanos* ſolennis erat in eos qui ordines deſeruerant, vel ſigna projecerant & amiſerant.

36. Anno ſequenti iterùm de *Agraria* in Senatu actum Conſulibus referentibus de agri publici diviſione & Tribunis adjuvantibus. *Appius* verò contrarium ſentiens Senatores fermè omnes in ſententiam ſuam pertraxit. Tribuni itaque diem illi dixerunt litem capite æſtimantes. *Patritii* omni ſtudio parati erant ad reum ſervandum & *Appium* hortati ſunt ut tempori cedens habitum fortunæ preſenti convenientem ſumeret : At negabat quidquam ſe facturum quod eſſet illiberale & indignum, nec quidquam de priſtina magnanimitate remittens, ut vidit totam Civitatem judicii expectatione erectam & ſuſpenſam, paucis ante judicium diebus manus ſibi intulit. Filio ejus populus permiſit, reluctantibus licèt Tribunis, patrem, more Majorum, oratione funebri laudare.

37. Per annos aliquot contra *Æquos*, *Sabinos*, & *Volſcos* proſperè *Romani* pugnabant. *Olympiade* autem 80 qua, in ſtadio vicit *Torymbas Theſſalus*, *Archonte Phraſide* ; *P. Volumnio*, *Ser. Sulpicio Camerino Coſſ.* Tribuni iterum plebem concitarunt docentes hominibus liberis eam eſſe optimam Reip. formam ubi dicendi libertas omnibus ex æquo eſſet, atque omnia tam privata quam publica ex legum præſcripto adminiſtrari volebant, illud perficere ſtatuentes quod *C. Terentius Trib.* Plebis anno ſuperiori tentaverat. Legem rogarunt,

garunt, inconsulto Senatu, qua *Decemviri* à populo legitimis Comitiis electi atque ætate & prudentiâ præstantissimi de rebus omnibus tam publicis quàm privatis conscriptas leges promulgarent, leges vero ab illis conscriptæ in foro proponerentur, & tam Magistratus annui quàm privati cives mutuas controversias ex carum præscripto dirimerent.

38. *Patritii*, minimè permissuri ut absque ullo Senatusconsulto leges ferrentur, vi impediebant quo minùs celebrarentur comitia, & inter alios juvenes plurimùm potuit *Cæso Quintius* filius *L. Quintii Cincinnati*. Hic in Plebeios vehementer invehebatur à nullis verbis contumeliosis temperans cui diem dixerunt Tribuni. Pater eum parùm feliciter defendebat, nam Tribuni, videntes juvenum insolentium audaciam in posterum intolerabilem fore nisi ille pœnas daret, ficti criminis eum accusarunt, & judicio dilato cùm datis vadibus dimitteretur, & vadimonio deserto in *Hetruriam* fugeret, à vadibus pecunias quas pro vadimonio spoponderant, exegerunt. Pater maxima bonorum parte vendita, quum vadibus restituisset pecunias quas pro reo numeraverant, ruri (unicus enim agellus reliquus illi erat ubi humilem quandam casam habebat) cum paucis servis suum agrum colens vitam laboriosam & ærumnosam tolerabat, atque præ dolore & inopia nec urbem invisebat, nec amicos salutabat, nec diebus festis celebritates adibat, nec ullis publicis hilaritatibus se immiscebat.

39. Cæterùm Tribunos sua spes valde

fefellit.

fefellit. Non ſolùm *Cæſonis* calamitas nihil profecit ad reprimendam juvenum inſolentiam, ſed etiam ob eam illi longe inſolentiores & ferociores ſunt redditi, factis dictiſque legem oppugnantes. Tribuni, itaque cum legem ferre non valerent, conjurationem in Plebem gravem fieri clamabant ſed fictam hanc ab illis eſſe *Claudius* Conſul demonſtravit. Domeſtica hæc mala incrementum ceperunt, *Herdonio Sabino*, qui cum hominibus 4000 Capitolium occupaverat, ſervos ad pileum vocante. Reip. tamen in hac difficultate poſitæ opem ferri Tribuni non permiſerunt antequàm *Valerius*, Conſulum alter, juramento promiſiſſet confecto bello ſe Plebeiorum poſtulatis ſatisfacturum. In Capitolio autem expugnando occubuit, & *Claudius* multa cauſabatur donec *L. Quintius Cæſonis* exulis pater Conſuli occiſo ſuccederet.

40. *L. Quintius Cincinnatus* ab agello ſuo ægrè avulſus authoritate ſeditiones compeſcuit & juſtitiâ Plebem magnopere conciliavit. Anno proximo contra *Æquos* qui *Tuſculum* occupaverant *Dictator* creatus intra decimum ſextum diem, ex quo Magiſtratum acceperat, Conſulis obſeſſi caſtra ſervavit, florentem hoſtium exercitum profligavit, urbem eorum diripuit, ibi præſidium reliquit, & belli duce aliiſque viris illuſtribus catenis vinctis & triumpho ductis, ſe à Magiſtratu abdicavit, nihilque eorum quæ Senatus offerebat accipiens ad agellum ſuum rediit, laborioſam vitam Regiæ anteponens & ob paupertatem

ſe

ſe magis efferens quam alii ob divitias.

41. Sequenti anno Collegium Tribunatus ad numerum Decennalem auctum fuit, *Plebeii*, niſi hoc fieret, contra *Sabinos* & *Æquos* pugnare recuſantibus. Hoc tamen impetrato nondum quieverunt, ſed contentiones inter Conſules & Tribunos inſequentis anni renovatæ ſunt, quibus hi illorum poteſtatem diminuebant. Nam cùm antea Tribunis concionis ſolum habendæ & in ea apud Populum agendi jus eſſet, Senatum verò habere aut ſententiam ſuam dicere non liceret (qui honor Conſulum ſolorum erat) illius anni Tribuni Senatum convocare auſi ſunt, authore *Icilio* viro induſtrio & facundo. Hic etiam enitebatur ut collis *Aventinus* ambitu non minore quam ſtadiorum 12 comprehenſus, qui publicus erat & Sylveſtris materiæ plenus, plebi ad ædes in eo fabricandas divideretur.

42. *Tribunus* petens ut rogationem ſuam Senatuſconſulto confirmatam liceret promulgare, Conſules, cùm rem differrent & protraherent tempus, miſſum apparitorem ad Collegium ſequi & Senatum convocare juſſit, atque è lictoribus unum, qui juſſu Conſulum apparitorem repuliſſet, parum abfuit quin comprehenſum de ſaxo dejeciſſet: Nec enim vim afferre nec eum qui abducebatur eripere potuerunt Conſules licèt ſe gravi contumeliâ affectos putarent, ſed aliorum Tribunorum opem implorabant; at unanimi conſenſu res adminiſtrare conjuraverant. Senatu à Conſulibus habito, omnia *Icilius* excuſavit, docenſque

que legem ſuam utilem fore, ad ſedandam præcipuè pauperum ſeditionem exortam ob agrum publicum à Patritiis invaſum, Senatuſconſultum obtinuit.

43. Civilis autem ſeditio quæ jam conſopita videbatur à Tribunis ſuſcitata eſt ſequenti anno, & bella quædam exorta ſunt, quæ nullo incommodo Remp. affecerunt, cui hoc familiare erat, ut ſi bello premeretur domeſticis malis eſſet libera, ſin pace frueretur ſeditione laboraret. Et recte quidem Conſules ſentiebant, turbam externâ militiâ eſſe diſtinendam, at in reliquis peccabant quòd in vitioſa civitate non moderatos delectus haberent, ſed ſumma ſeveritate, nullam excuſationem admittentes, uterentur: Hanc occaſionem concitandæ plebis Tribuni arripientes contra Conſules vehementer loquuti ſunt, qui Cives *Romanos Tribunitiæ* poteſtatis opem implorantes ad carcerem duci juſſerant, & tumultu majore indies facto, donec tandem ad manus ventum ſit, Conſules ad cauſam dicendam citarunt, non ſolum Tribunitiæ poteſtati ſed etiam Sacroſanctis Tribunorum corporibus injuriam factam clamantes.

44. Plebs tam vehementer concitata fuit, ut ſi Tribuni aliquid in Conſules vel Senatum facere voluiſſent, nihil impedire potuerit quin civitas ſe ipſa perdidiſſet, adeò omnes ad arma & bellum civile erant parati. Tandem convocato Populo illi culpam in ſe admiſſam condonare dicebant in gratiam multorum ac proborum virorum, ſed injuriam

plebi

plebi factam ulturos & prohibituros; promulgaturos enim se *Legem Agrariam* per annos 30 dilatam & rogationem de æquando jure quam superioris anni Tribuni frustà tulerant. Multis in Comitiis multa dicentibus, nemo populum magis commovebat quàm *L. Siccius Dentatus* vir aspectu admirando & annos natus 58 qui, permultis & magnis facinoribus suis commemoratis, effecit ut plebs ne contradicentium quidem vocem admitteret.

45. Vir iste honoribus pænè & officiis omnibus militaribus defunctus atque ad miraculum usque strenuus, 40 annis quibus continenter militaverat, pugnaverat centies vicies, vulnera 45 adversa, (nullum autem aversum) acceperat, quorum 12 eo die quo Capitolium, ab *Herdonio Sabino* occupatum, & receptum fuerat. Fortitudinis præmia expræliis variis retulerat: Coronas civicas 14 quibus cives ab illo servati eum coronabant, unam obsidionalem, tres murales quòd primus muros hostium ascendisset eosque occupasset, & 8 alias quibus ob operam in acie navatam à summis Imperatoribus ornatus fuerat, præterea torques aureos 73, armillas aureas 60, hastas 18, phaleras insignes 25, inter quas 9 erant quas ex hostibus reportaverat qui *Romanos* provocaverant ad singulare certamen. Huic *Dionysii* relationi *Gellius* alteram obsidionalem coronam addit, armillarum numerum ad 160 auget, hastarum ad 22, phalerarum ad 29. *L. Sicinium Dentatum* eum licit & *Achillem Romanum* fuisse appellatum.

46. *Siccius*

46. *Siccius* in tot tantisque facinoribus se operam navasse Reip. dixit, præmium vero laboris eorum à *Patritiis* ereptum qui agrum bello acquisitum possidebant, aliisque additis legem omnino ferendam ajebat, nihilque adversus eam audiendum. Atque concio quidem adeò erat commota ut nihil admissura videretur, cui *Icilius Tribunus* tamen assurgens, hominem laudibus magnis prosequutus, iniquum prorsus dicebat eos qui aliorum injustitiam redarguebant illud ipsum in se crimen admittere: Cùm nihil enim justius esset quam ut quisque sententiam suam liberè proferret, comitia ad alium diem distulit, quo paratus quisque adesset.

47. *Patritii* autem si precibus minùs possent, vi saltem legem impedire statuentes, ne Populus in Tribubus coiret effecerunt, vasa & calculos eripientes etiam Ministros abegerunt, & à Tribunis vociferantibus & in medium se projicientibus abstinentes, iis qui sequebantur resistebant, atque adeo eorum officium inutile reddebant. Inter hos juvenes *Postumii, Sempronii* & *Cluelii* maximè laborabant, qui etiam obstabant potissimùm & in causâ fuerunt quòd Lex *Agraria* plebiscito non confirmaretur.

48. Tribuni, vehementer licèt commoti, statuebant tamen nemini præter illos diem dicere, & litem facultatibus solùm æstimabant quæ à *Patritiis* redemptæ dominis restitutæ sunt. Legem iterùm laturi erant cum *Æqui* ad *Tusculum* usque penetrantes à contentioni-

bus domeſticis ad bellum populum provocarent. Inter alios *Siccius* in militiam profectus eſt 800 militibus emeritis ſtipatus qui eum honoris causâ ſequebantur. Illum Conſules perditum volebant ut Patriciæ dignitati graviſſimum ob rerum geſtarum gloriam. Negotium itaque dederunt homini hoſtium caſtra oppugnandi, tali ratione] præſcripta quam exitium illi allaturam certiſſimè noverant. Ille tamen alio modo caſtra expugnavit & ad prælium deſcendens maximum momentum ad victoriam attulit. Quo facto *Romam* reverſus rem totam populo expoſuit, & tantam conſulibus invidiam vel ex ipſis *Patritiis* excitavit ut triumphum petentes repulſam ferrent. *Siccium* vero Comitiis proximis *Plebs Tribunum* creavit.

49. *Siccius* eo ipſo die quo Magiſtratum inibat, peractis pro ſalute ſacris ſolennibus, antequàm rem ullam publicam aggrederetur pro Concione *T. Romulio* ſuperioris anni Conſuli diem dixit, quo tribus miſſæ in ſuffragia, cùm orationem haberet non humilem nec tempori convenientem, eum damnarunt. Mulcta tamen pecuniaria erat aſſium 10000; atque hoc non ſine conſilio provido *Siccius* feciſſe videtur. Paucis pòſt diebus *Veturius* Collega ejus damnatus eſt, cui etiam irrogata fuit mulcta pecuniaria cujus proportio erat ſeſquialtera ſeu 15000 aſſium.

50. Hujus itaque anni Conſules magnus inceſſit timor ne conſulatu depoſito eodem modo à plebe acciperentur] Plebi igitur a-

perte

perte favebant ac primùm Comitiis Centuriatis legem tulerunt qua Magiſtratibus omnibus liceret eos mulctare qui facinus aliquod inſolens aut iniquum præter diſciplinam & leges Reip. in illorum poteſtatem admiſiſſent: Nam ad illum uſque diem non omnibus ſed ſolis conſulibus id licebat: Mulctæ tamen modus non ipſorum arbitrio permittebatur, ſed ſtatutum eſt ne maxima mulcta duos boves & triginta oves excederet; quæ lex diu apud *Romanos* obtinuit.

51. Deinde Conſules de legibus quas Tribuni in communem totius populi *Romani* uſum & in perpetuum ſervandas ſcribi maximo ſtudio laborabant, cognitionem Senatui permiſerunt. Ibi *T. Romulii* ſententia vicit, qui quaſi ſui diſſimilis factus morem Plebi gerendum eſſe contendebat. Et ne quis miraretur, haud illi æquiorem eſſe ſe quàm antea profeſſus eſt, at cùm rem in eo ſtatu poſitam manifeſtò videret, quo Patritiorum poteſtas labaretur, pro rerum conditione fortunæ accommodandum eſſe aſſeruit. Author igitur illis fuit ut Legatos eligerent quos partim in *Græcas* quæ erant in *Italia* urbes, partim *Athenas* mitterent, qui leges optimas atque *Romanis* moribus & inſtitutis convenientes inde afferrent. Illis verò reverſis, ut conſules ad Senatum referrent de Legiſlatoribus eligendis & de eorum imperio, quodnam eſſet futurum & quàm diuturnum, & de cæteris rebus prout ipſis conducere videretur.

52. Senatorum pars maxima *Romulii* sententiam amplexa est. Facto itaque Senatusconsulto & per plebiscitum confirmato, Legati legum à *Græcis* petendarum causâ creati sunt *Sp. Postumius*, *Ser. Sulpicius*, & *A. Manlius*; quibus triremes cum ornamentis omnibus quæ amplam Imperii *Romani* Majestatem indicarent, ex ærario assignatæ sunt. Tertio anno demùm reversi sunt, & Tribuni vehementer rogarunt Consules ut de legibus ad Senatum referrent. Consules tamen tempus trahebant optimatum potentiam nolentes tollere, & rem distulerunt ad Comitia, quibus, longè maturius solito, consules designarunt *App. Claudium* & *T. Genutium*. Deinde depositâ omni Reip. curâ quasi ad alios nunc pertineret, Tribunis amplius aures non præbebant, reliquum temporis consulatus sui dolosè ac inaniter terere cogitantes.

53. Tribuni ad Consules designatos se conferre coacti *Appium* honoris novi promissis inescatum in Plebis partes pertraxerunt. Ille, Collega in sententiam suam ducto, populum adeo concionibus concitavit ut *P. Sestius* Consul, *L. Menenio Collega* decumbente, Senatum convocare solus cogeretur & de legibus referre. Sententia Consulum designatorum vicit quam *Appius Claudius* primo loco rogatus (prout moris erat) dixit, ut *Decemviri* Senatorii ordinis nobilissimi eligerentur, eorumque Imperium esset annuum & totius Reip. administrationem haberent cum potestate Consulari quam Reges multò ante habuerant:

erant: Cæteriſque omnibus Magiſtratus abrogaretur donec tandem reſtitueretur ex legibus; atque ut de contractibus privatis cognoſcerent & publica negotia procurarent.

54. Ubi dies Comitiorum adfuit, Conſules deſignati ſe Conſulatu abdicarunt, quos populus laudibus & admiratione proſequutus primùm elegit. Et creati ſunt Centuriatis Comitiis præter *Appium Claudium* & *T. Genutium*, *P. Seſtius*, hujus anni Conſul & tres legati *P. Poſthumius*, *Ser. Sulpicius*, *A. Manlius*, & *T. Romulius* qui à populo damnatus ſententiæ tamen popularis author fuiſſe videbatur: Ex Senatoribus reliquis *C. Julius*, *T. Veturius* & *P. Horatius* pro quo *Livius Hiſtoricus P. Curiatium* nominat, omnes Conſulares. Tribunis verò, Ædilibus, Quæſtoribus & omnibus aliis Magiſtratibus poteſtas abrogata.

SECT. 2.

A Decemviris creatis uſque ad bellum cum Privernatibus, quod incidit in ultimum annum Darii Codomanni.

Spatium Annorum 121.

1. SEcunda Reip. *Romanæ* mutatio facta eſt *Idibus Maii* anno *V. C.* 302°. ſecundum *Catonis* rationes, 303° autem uti *Tarrutius* &

Varro rationem putarunt, qui incidit in annum ſecundum & tertium *Olympiadis* 82ª, *Artaxerxis Longimani* decimum quartum, ante *Æram* Chriſti 449. *A. M.* 3554.

2. Penes unum *Decemvirorum* faſces aliaque Conſularia inſignia erant. Hic patres convocavit, confirmavit decreta, atque alia fecit ad Magiſtratum Principem ſpectantia. Reliqui ad invidiam evitandam habitu non multùm à privatis differebant quibus *Accenſus* tantùm præibat: Deinde alius rurſus ei in poteſtate ſuccedebat, hoc autem vicibus ſervatis perpetuò fiebat, idque ad certum dierum numerum præſtitutum. Remp. juſtitiâ ſummâ & æquitate adminiſtrabant, legeſque decem tabulis proponebant magis conſpicua fori parte, ære inciſas ut ſcribit *Dionyſius*, ebore verò ut *Pomponius Iſtus*. Sic *Minos* olim &, longo pòſt tempore, *Solon Athenienſis* leges ſuas tabulis inſcribi curavit quæ *Cyrbes* & *Axones* appellantur.

3. Anno ſequenti cùm quædam adhuc deeſſe viderentur, præcipue vero quòd Tribunatus, Patritiis adeò moleſtus, abrogaretur, ea Patrum ſententia vicit quæ cenſebat *Decemviros* iterùm creandos. Plebs alacriter conſentiebat decepta *Appii* ſumma diſſimulatione qui totius adminiſtrationis laudem reportabat ſalutando & appellando comiter, aliiſque officiis populum demerens. Ut ille Magiſtratum retineret Plebs maximè contendebat, cujus conatui ægre annuere videbatur & tanquam precibus victus omneſque alios calum-

calumniatus amicis suis apertè favebat. *Centuriatis* itaque *Comitiis* iterùm Decemvir creatus est, & cum eo *Q. Fabius Vibulanus* &, quos charos habebat, *M. Cornelius*, *M. Servilius*, *L. Minutius*, *T. Antonius*, *Manius Rabuleius*, Patritii omnes: Ex Plebeiis verò *Q. Petilius*, *Cæso Duillius*, & *Sp. Oppius*. Hos enim *Appius* sibi assumpserat ut majorem cum plebe gratiam iniret.

4. *Appius Claudius* ejusque Collegæ, accepta Consulari potestate *Idibus Maiis* (Menses autem pro cursu lunari tunc observabant, & plenilunium in ipsas *Idus* incidebat) clanculari fœdere inito conjurarunt ut Imperium perpetuò retinerent, omnesque pari honore & potestate essent, quod uni placuisset id omnes firmum ratumque haberent, Senatusconsultis & Plebiscitis non nisi rarò & urgente necessitate uterentur, maximam vero rerum partem pro Imperii sui potestate agerent. Duas alias legum tabulas prioribus decem addiderunt, unde omnes collectim *Leges duodecim tabularum* sunt dictæ, de quibus & *Juris Civilis* universi ordine, Institutionem nostram Tirones consulant.

5. Decemviri autem omnia vi administrantes cædibus & rapinis urbem compleverunt; potestate in sequentem annum retenta, cives plerosque melioris conditionis vel necabant vel in exilium pellebant. Tempus hoc opportunum sibi fore *Sabini* & *Æqui* existimantes agrum *Romanum* & *Latinum* invadebant, contra quos exercitu ducto *Decem-*

viri in ea crimina inciderunt quæ Tyrannidi demùm finem afferebant. *Appius* enim, qui in urbe manſit, cùm videret *Siccium Dentatum Achillem* illum *Romanum* in Remp. attentiorem, cum in caſtra milit legati titulo & perfidè à Collegis interfici curavit. Deinde *L. Virginii* Civis *Romani* filiam deperiens, ut ea poriretur, Clientis ſui ſervam eſſe judicavit; pater autem perſpiciens filiam ſuam Tyranni libidini proſtituendam eſſe cultro eam trajecit & caſtra citato curſu petens milites ad deficiendum induxit. Quæ res tritæ ſunt & in medio poſitæ.

6. *Decemviri* igitur à Senatu (cui, & Reip. jam exercitus militabat) poteſtas eſt abrogata, & res ad Conſules rediit *Valerium Potitum* & *M. Horatium* plebis partibus addictos, quod legibus latis abunde demonſtrarunt. Harum una jubebat leges à populo in Tributis Comitiis latas, ex æquo omnibus eſſe latas & eandem vim habere, quam quæ Centuriatis Comitiis ferrentur. In Tributis enim Comitiis Patritii à Plebeis & pauperibus vincebantur, in Centuriatis verò illi hos ſuperabant licèt hi numero eſſent longè ſuperiores. Pœna in eos qui hanc legem aut abrogarent aut violarent, ſi convicti fuiſſent, Capitale ſupplicium & bonorum publicatio.

7. *Appio* à *Virginio* Tribuno Plebis, *Decemviris* vero aliis ab aliis, dies dicti ſunt. *Appius* ante judicium in carcere vel à Tribunis necatus eſt vel ſeipſum interfecit; *Oppius* etiam ſibi manus intulit. Octo reliqui

ibant

ibant in exilium, & *Claudius* qui *Virginiam* ut ſervam ſuam vendicaverat exilio perpetuo mulctatus eſt. Ex cæteris, qui *Decemviris* iniquam operam navarant, nemo publicum judicium ſubibat, venia omnibus data. Conſules poſtea contra *Æquos Volſcos* & *Sabinos* fœliciter pugnabant, triumphum vero petentes à Senatu repulſam tulerunt, quam iniquo animo ferentes & ſe gravi contumelia affectos dicentes multitudinem ad concionem convocarunt, quumque oratione longa Senatum accuſaſſent, & Tribuni illis patrocinati fuiſſent ac rogationem tuliſſent, à populo triumphandi poteſtatem acceperunt & primi omnium *Romanorum* conſuetudinem hanc induxerunt in Rempublicam.

8. Ex his quæ diximus ſatis conſtat quemadmodum Plebs *Romana* poteſtatem ad ſe arripuerit, Patritioſque tandem exuerit pænè Imperio. Nondum tamen acquiſitis contenta indies fecit ulteriores progreſſus quo plus haberet eo ſiti vehementiori affecta. Nunc enim conſulatum ſibi communicari voluit, cùmque bellum ingens ab *Æquis*, *Sabinis*, *Vejentibus*, & *Ardeatibus* ingrueret, Tribuni eos omnes ex Conſulum manibus eripuerunt quos ad militare Sacramentum ducebant, nec permiſerunt ut pænas ullas de contumacibus ſumerent. Cùm nec tempori cederent, imo aliis in rebus Senatui ſe adverſaturos dicerent, nec ullum Senatuſconſultum de ulla re factum ſanciri paſſuros, niſi priùs de lege à ſe promulgata Senatuſconſultum

fieret, *Claudius* Senator rationem novam excogitavit qua *Plebeiorum* ambitioni satisfieret & Consulatu non communicato, *Patritiorum* dignitati esset consultum.

9. Patribus enim persuasit ubi ad necessitatem redacti essent, Plebeios maximæ potestatis & imperii participes facere, at Magistratus Tribunos militum dictos creare in quorum numero non pauciores essent Patritii quam Plebeii. Hæc sententia, secretò prolata primùm, à Tribunis & aliis cum magno gaudio excepta est, & permissum Plebeiis, quotquot vellent, unà cum Patritiis Magistratum petere. Cupiditas autem sine ratione res est adeo levis & quæ confestim in alteram partem inclinet (præcipuè vero turbæ cupiditas) ut ii qui antea omninò & quavis ratione ad Magistratum admitti volebant, & qui nisi à Patritiis hoc impetrassent aut urbem deserturi ut antea, aut armis eam occupaturi erant, quum quod petebant ipsis concessum fuisset, continuò à sua cupiditate recesserint, & studia sua in alteram partem contulerint.

10. Quum enim Plebeii multi Tribunatum Militum peterent & magno studio preces adhiberent, illi eorum neminem hoc honore dignum judicabant, sed suffragiorum jus penes se habentes Patricios qui eum Magistratum petebant viros illustres Tribunos Militum creabant: *A. Sempronium Atratinum, L. Atilium Longum, & T. Clælium Siculum.* Hi primi Proconsulare Imperium ac-

acceperunt *Olympiadis* 84ᵃ anno tertio, *Archonte Diphilo*, ſecundùm *Dionyſii* rationes, ut alii autem rationem putant, *Olympiadis* illius primo, *V. C.* 310. *Artaxerxis Longimani* 21, *M. Genutio* & *C. Quintio*, vel *L. Papyrio* & *L. Sempronio*, Coſſ.

11. *Tribuni Militum* principio tres numero fuerunt, poſteâ ſex, tandem octo creati. *Pomponius Iſtus* viginti & ſuprâ aliquando fuiſſe ſcribit, qui vel hallucinatus eſt, vel locus pro corrupto habendus ex *Seni* in *Viceni*. Cùm multi numero eſſent & Plebei tandem irreperent, quamvis Conſulari poteſtate donati fuiſſent & Conſulum haberent inſignia, dignitas tamen eorum diſſimilis videbatur & veluti *Proconſularis*. Nunc hi nunc Conſules creati ſunt donec anno *V. C.* 388°, *Q. Sextio* Plebeio in Conſulem electo, in uſu amplius eſſe deſinerent. Primi tres per dies tantùm 73 Imperium retinebant, quòd ſigna quædam apparuiſſent. Populus nunc Conſules elegit, *L. Papyrium Mugilanum* & *L. Sempronium Atratinum*.

12. Anno ſequenti, cùm Populo placuiſſet ut Conſules crearentur, idibus *Decembris*, *M. Geganius Macerinus* ſecundùm & *T. Quintius Capitolinus* quintùm Conſulatum inibant. His Magiſtratibus Cenſores inſtituti ſunt, quorum officium deſcribi lucidiùs potuiſſet ſi *Dionyſii Halicarnaſſei* Narrationis tenam non abrupiſſet temporis injuria. Conſules Senatum edocebant cùm multas alias res, ob Conſulum continuas expeditiones, fuiſſe neglectas,

neglectas, tum verò id quod maxime omnium neceſſarium erat inſtitutum, nimirùm cenſus fortunarum quo cognoſcebatur & numerus eorum qui ætate militari eſſent, & facultatum Magnitudo pro quarum modo oportebat quemque tributa ad bellicos uſus conferre; nullo cenſu per 17 annos habito à *L. Cornelii* & *Q. Fabii* Conſulatu, ita ut viri probi & utiles cenſerentur & in expeditionibus verſarentur, flagitioſiſſimi verò & improbiſſimi quique relinquerentur incenſi, & alium locum, priore mutato, caperent, ubi pro arbitrio ipſis vivere liceret.

13. Patres itaque ex ſuo ordine duos voluerunt Creari *Cenſores* dictos vel quòd ſecnndùm eorum *Cenſionem* Populus *Cenſus* eſſet, ut *Varro* ſcribit, vel tanti facultates uniuſcujuſque æſtimarentur quanti illi *Cenſuiſſent*, quod *Feſtus* tradidit. Principio in quinquennium creati ſunt. Poſtea *A. V. C.* 320. intra ſeſquianni terminos officium illorum fuit contractum. Primi cenſus & luſtri adminiſtrationem ſumpſerunt, pòſt morum etiam cura *Cenſoribus* erat demandata, adeò ut noxiis Senatum, Equos publicos & Tribum adimere potuerint, atque ad *Ærarios* redigere ſic appellatos quod Cives ſolummodo haberentur ut pro capitibus ſuis tributi nomine *æra* ſolverent. Cenſores etiam temporis progreſſu vectigalia locabant, opera publica curabant; vias publicas, & impenſas publicorum ſacrificiorum. Coloniæ etiam ſuos ſubcenſores habuere, qui illis rationem hominum

num & facultatum reddiderunt ad tabulas publicas deferendam. Cenſores poſt bellum *Punicum* ſecundum Conſularis dignitatis fuerunt, Conſulum habuerunt inſignia, imò his honeſtiores ſunt habiti.

14. Plebei verò à Tribunis ſuis quotidie irritati moleſtiſſimè jam ferebant connubium cum Patriciis interdictum atque ad æquum jus ſeduli aſpirabant. Hoc animatus *Sp. Mælius* largitione frumentaria tempore famis regnum quærebat, ſed *L. Quintius Cincinnatus* Octogenarius Dictator factus per *C. Servilium Halam* Equitum Magiſtrum eum interfecit ejuſque domum complanavit *A. V. C.* 315. Ejus mortem Tribuni ægre ferentes voluerunt Tribunos Militum anno proximo creari, ut Plebei nunc ſaltem in Magiſtratum hunc irreperent, at de ſpe ſua deciderunt. Hoc anno *Fidenæ*, Colonia *Romana* ſe *Tolumnio Vejentum* Regi tradidit, atque authore illo Legatos *Romanos* violavit. In hoc bellum *Mamercus Æmilius* Dictator nominatus eſt, ſub cujus auſpiciis *Corn. Coſſus* Tribunus *Tolumnium* occidit & ſecundus *Opima Spolia* obtinuit.

15. *Opima* ab *Opibus Varro*, ab *Opere Plutarchus* dici vult. Conſecrata ſunt *Jovi Feretrio* ſic dicto vel quod ſpolia in *Feretro* vcherentur, vel à *Feriendo*. Honor iſte tribus tantum contigit ad tempus uſque *Plutarchi*, *Romulo* ſcil. qui *Acronem Cæninæ*; *Coſſo* qui *Tolumnium Vejentum*, & *Marcello* qui *Britomartum* (ſive *Virdumarum*) *Gallorum* Regem occidit & ſpoliavit. *Fidenæ* autem brevi

captæ

captæ denuò defecerunt ad quas ſubigendas Tribuni Militum ſunt miſſi qui cum plures eſſent æquali poteſtate prædîti, dum non idem ſentirent nec dicerent, rem geſſerunt peſſimè. Dictator igitur creatus eſt *Æmilius* tertiùm, Magiſter vero equitum *Coſſus*, qui, *Hetruſcis* victis, *Fidenas* ceperunt.

16. Conſules & Tribuni Militum, pro Populi voluntate, ſibi mutuò ſuccedebant. Tribuni Plebis brevi pòſt *Quæſtores* tres ex plebe & demùm Tribunorum Militum unum (P. *Licinium Calvum*) eligi curabant. Cum *Vejentibus* bellum adhuc fervebat, qui *Fidenates* iterùm ad defectionem pertraxerant, & *Vejorum* obſidio per decennium continuata eſt. Anno decimo Dictator eligitur *Furius Camillus* qui antea *Tribunus Militum* bis & *Cenſor* fuerat. Hic *Vejas* facile cepit & *Romam* reverſus triumphavit, curru 4 equis albis tracto vectus quem honorem *Jovi* peculiarem ſolus *Romanorum* ſibi aſſumpſit. Invidiam ex hoc contractam auxit laborando ne *Plebs* à *Patritiis* ſeparata *Vejos* decederet, quæ adeo in eum excanduit, ut, quaſi prædâ *Hetruſco* bello captâ ærarium fraudaſſet, in exilium ejectus & *Æris* 15000 (vel 1500 potius) mulctatus eſſet. *Æs* enim *Romanis* ſolum hoc tempore in uſu erat, & *denarius* inde dictus quòd aſſes ejuſdem *decem* contineret.

17. *Camillus* in exilium decedens manibus verſùs Capitolium extenſis precatus eſt, ut ſi injuriâ afficeretur, ingratæ patriæ pœnitendi præberetur occaſio, ut videri poſſet quantum

Romani

Romani præſentiam ejus deſiderarent, quod & non longo pòſt tempore effectum. *Galli Celtæ*, quibus fines nimis erant anguſti, multos emiſerant ex ſuis ad ſedes novas quærendas. Horum, qui inter *Pirenæos* & *Alpes* conſederant, poſteri, *Italico* vino deguſtato, flagrabant vehementi deſiderio terram illam ſubjugandi potus talis feracem, atque *Alpibus* ſuperatis, in illam *Italiæ* partem migrarunt quam antea *Hetruſci* obtinuerant, & poſtea *Senones* dicti ſub *Brenni* Regis auſpiciis *Cluſium Hetruriæ* urbem obſederunt. *Cluſii Romani* eorum opem implorantibus, legatos tres (*Fabios* omnes) miſerunt ad litem dirimendam, qui, cùm *Galli* nulla alia ratione ad pacem flecti poſſent niſi agrorum partem acciperent, irati ad pugnandum extra urbem prodibant, quo deprehenſo *Brennus* jus gentium violari clamat & *Romam* versùs proficiſcitur.

18. Legatos ſibi tradi poſtulans repulſam tulit, quam injuriam ferro vindicandam ſtatuit, & Tribunos Militum ad fluvium *Alliam* facile profligavit. *Romam* à pleriſque deſertam invenit & vaſtavit, *Capitolium* verò obſedit. *Camillus* hoc tempore *Vejis* agens à *Romanis* exulibus *Dictator* fuit electus & ab iis qui *Capitolium* tenebant confirmatus urbem *Gallis* liberavit quos fudit & fugavit. Atque adeò *Roma*, quæ *Idibus Quintilis* circiter à *Gallis* improviſò occupata fuerat, recuperata eſt *Idibus Februarii*, anno *V. C.* 365°, *Artaxerxis Mnemonis* 16°.

19. Tribuni

19. Tribuni Plebis de deceſſione & ad *Vejos* migratione litem iterùm moverunt, cui malo ut mederetur, *Camillum*, Patres per annum integrum, licet contra morem eſſet, retinere *Dictaturam* voluerunt. Ille Plebem detinuit atque ad urbem reædificandam induxit quæ citiſſimè extructa facta eſt potiùs ædium exaggeratio quàm urbs bene ordinata, atque aquæductus qui antea in plateis, nunc ſub ædibus erant poſiti. Anno ſequenti *Camillus Volſcos Æquos* & *Hetruſcos* ſecundum *Dictator* factus devicit, *Volſcos* verò ad deditionem compulit poſtquam belluin contra eos duraſſet per annos 70.

20. Anno abhinc tertio *Camillus* Tribunus Militum creatus eos iterùm vicit & *Latinos* qui à pugna *Rhegillenſi* ad hoc uſque tempus in fide permanſerant. Hæc maximam invidiam concitarunt in *M. Manlio* qui famam ex Capitolio defenſo largitionibus auxit ad plebem demerendam quo viam ad Tyrannidem muniret. A Dictatore autem *Cor. Coſſo*, ſeu à *Quinctio Capitolino* (quem *Livius* adhuc Magiſtrum equitum vocat) oppreſſus eſt, indignante Plebe.

21. Poſthac fœliciter iterùm contra *Latinos* & *Volſcos* pugnatum, Plebs verò de ære alieno admodum eſt conqueſta. Tribuni ſimultates auxerunt, maximè verò *Fabius Ambuſtus* Patritius, qui cùm filiam unam Patritio, alteram verò Plebeio in matrimonio locaſſet, huic ægerrime ferenti ſe ſine honoribus eſſe, affirmavit fore ut familia ejus honore

honore etiam afficeretur. Cum *Licinio Stolone* genero & *L. Sextio* de Conſulatu Plebi communicando conſultavit. Hi duo *Tribuni Plebis* creati tumultus adeo ingentes & inauditos ſuſcitarunt, ut per quinquennium Magiſtratus nullus Princeps fieret. Per annos novem duravit hæc ſeditio, atque ad diſceſſionem iterum deventum fuiſſet, ni *Camillus* authoritate ſua partes aliquantùm conciliaſſet. Poſt Dictator quintùm factus *Gallos* ad *Anienem* fluvium rurſus profligavit.

22. *Romam* autem reverſus in magnas difficultates incidit, Plebe de Conſulatu litem iterùm movente & parum abſuit quin ipſe tàm rerum geſtarum gloria quàm Magiſtratu Maximo ornatus violaretur. Patribus igitur perſuaſit ut temporibus cedentes conſulum alterum ex Plebeis crearent. Patritiis etiam conceſſum fuit ut ex iis *Prætor* ad jus in urbe dicendum eligeretur. Ob res ſic compoſitas *Concordiæ* templum dedicatum eſt quod *Camillus* antea voverat, *Feriis Latinis* dies quartus additus, & *Ludi Majores* celebrati, quos cùm *Ædiles* recuſarent adminiſtrare, ex *Patritiis* duo creati ſunt & *Curules* à ſella *Curuli* nominati. Sellam iſtam quidam ex curru, in quo poſita eſt, *Curulem* appellatam volunt, alii vero à *Curibus Sabinorum* urbe. Forma ejus numiſmatibus impreſſa perquam ſimilis eſt ſellis Hiſpanicis, quibus utuntur hodierni Principes. Pedes curvatos habuit, per gradus ad eam aſcendebatur. Ebore obducta erat & variè inſculpta.

23. *Prætor*

23. *Prætor* autem à *præeundo* dictus, quo nomine Consules primùm & plerique Magistratus appellati sunt. Consulibus in bellis plerumque occupatis, *Prætor* ad jus dicendum creabatur. Anno abhinc 112°, *V. C.* 500. circiter, alter additus fuit *Peregrinus* dictus quòd de *Peregrinorum* rebus cognosceret. Tandem *Sardinia*, *Sicilia*, *Hispaniis*, *Narbonensi* quoque in provincias redactis, tot *Prætores* facti quot Provinciæ erant, donec tandem ad 18 & supra numerus auctus fuerit, qui postea imperio decrescente diminutus est, & ad tres lege *Valentiniani* & *Marciani* reductus. *Prætor* autem *Urbanus*, *Præfectus Urbi* etiam dictus, *Consulum* absentium munere fungebatur, atque ad eum ludi, sacrificia & judicia pertinebant. Eadem quæ Consules habuerunt insignia, nisi quod sex tantum iis fasces præirent. Potestatis & dignitatis gratiâ, & propterea quòd iisdem crearentur auspiciis, *Consulum Collegas* eos appellat *Livius*.

24. *Plebeius* primus *Consul* erat *L. Sextius*; *Prætor* primus, *Sp. Furius Camilli* filius. *Ædiles Curules* primi, *Cn. Quintius Capitolinus*, & *P. Cornelius Scipio*. *Sextio* Collega datus est ex Patritiis *L. Æmilius Mamercus*, atque ità post annos demum 23 *Consulatus* rediit qui fuit ex Regibus pulsis Octogesimus octavus; Tribuni Militum vero in æternum exularunt postquàm quadragies octies Remp. administrassent, & quindecies à Consulibus ad eos & ab iis ad Consules summâ rei devoluta fuisset.

fuiſſet. Præter iſtas mutationes, à Regibus ad Conſules, à Coſſ. ad *Decemviros*, & ab his retrò ad Coſſ. Reſp. transferebatur, Dictaturæ etiam 20 interceſſerunt, præter interregna innumera ferè, quibus in dies quinque Interreges præibant cum Conſulari poteſtate. Tot rerum mutationes acciderunt intra Spatium annorum 134, à Tarquinii Regis exilio.

25. Patritii verò Conſulatum à Plebeis invaſum adeo moleſtè tulerunt, ut à Senatu contra *Gallos* apparatus nulli fierent: Plebei etiam indignabantur quòd illi Magiſtratus tres obtinuiſſent, & Prætoris quidem poteſtas invidioſa videbatur: Ædilitas igitur *Curulis* Plebi communicata eſt. Annò ſequenti peſtilentia gravis ingruebat qua *Camillus* & alii multi interierunt. Cùm nullum remedium adhiberi potuiſſet, ludi *Scenici* inſtituti ſunt, *Ludionibus* ex *Hetruria* accitis, ſeu *Hiſtris*, unde *Hiſtrio Romanis* dictus. Paulò pòſt *M. Curtius* in terræ hiatum in foro ſe projecit, quo tempore proſperè pugnatum eſt contra *Hernicos*, *Gallos*, *Hetruſcos*, & *Latinos*.

26. *Plebeis* autem per annos novem Conſulatu potitis, *Patritii*, indignati quòd anno ſuperiori *C. Martius Rutilius Dictator* fuiſſet factus, in ordinem ſuum eum tranſtulerunt: Plebs verò adeo graviter commota eſt ut Patres tàm Conſulatum reſtituere quàm æs alienum pauperum ex ærario ſolvere cogeret. Atque anno ſequenti Cenſorum alter ex *Plebeis* eligitur.

27. Huc

27. Huc usque bella *Romani* non longè gesserant, nunc verò arma sua ultrà terminos consuetos transtulerunt à *Campanis* solicitati de auxilio contra *Samnites*, quos Consul *Valerius* devicit & pacem petere coegit. Contra *Latinos* etiam qui inimicis *Samnitum* (jam Sociorum) opem tulerant, bellum susceperunt, quo *P. Decius Mus* Consul pro exercitu Populi *Romani* se devovit, & in confertissimam turbam hostium irruptione facta confossus interiit. *T. Manlius* etiam (*Torquatus* cognominatus quòd *Gallum* singulari certamine victum torque spoliaverat) filium suum qui injussu suo, quamvis fœliciter, pugnaverat, securi percussit. Hinc mandata duriora *Manliana* sunt dicta; *Manlio* verò *Latinis* devictis revertenti juvenes obviam procedere noluerunt.

28. Consules sequentis anni *Latinos*, qui ob agrum sibi ademptum defecerant, cladibus novis affecerunt. Cùm autem Senatus horum uni *Æmilio* paulò iniquior esset, & Dictatorem vellet nominari, *Q. Publium Philonem* Collegam suum plebeium nominavit, cujus Magistratus Patribus gravis admodum erat & vel eo nomine, quod leges tres tulerit quarum prima ipsam Reip. formam immutare videbatur. Hæc jussit ut Plebiscita Quirites omnes obligarent. Secunda tamen voluit ut quæ in Comitiis Centuriatis rata fierent à Patribus proponerentur: Tertia censorum unum, ut minimùm, ex Plebeis fieri. Latæ sunt *A. V. C.* 416°, *Arsis Persarum* Regis primo, *Philippi Macedonis* 23°.

29.

29. Anno ſequenti *Latium* univerſum debellatum, & *Antiatibus* naves auferuntur quarum roſtris templum, quo orationes haberi ſolebant, ornatum inde *Roſtra* audivit. Anno proximo Q. *Publius Philo* ex Plebeis Prætor eſt factus, Patritiis parùm motis, à quibus jam quidem omnia jura & dignitatis inſignia fuerant erepta. Paulò pòſt *Sidicini* & *Auſones* devincuntur, cenſuque celebrato *Metia* & *Scaptia* Tribus novæ factæ, ad novos cives recipiendos.

30. Eodem tempore fæminæ 170 artis veneficæ damnatæ & necatæ ſunt, quod cùm prodigium haberetur, Dictator nominatus eſt ad clavum figendum. Tunc bellum cum *Privernatibus* ortum quos concitaverat *Vitruvius Gallus* vir Magnus inter *Fundanos*. Anno primo quidem victi ſunt, ſecundo *Vitruvius* captus & *Privernum* in *Romanorum* ditionem venit. Illo cum ſociis capite mulctato, cives reliqui civitate donantur. Primus autem hujus belli annus in ultimum *Darii Codomanni* incidit Regis *Perſarum* ultimi, *V. C.* 424, *L. Papyrio Craſſo* ſecundùm & *L. Plautio Venoce* (ſeu *Venonne*) Coſſ.

Elemen-

Elementorum Hiſtoriæ.

LIBER TERTIUS.

De Imperio Macedonum atque illi Contemporaneis.

CAP. I.

Ab Imperii Macedonici initio uſque ad Alexandri mortem.

Spatium Annorum 6 & Menſium 10.

1. ALexander viſo *Darii* Cadaveri illachrymavit. *Beſſum* fruſtrà perſequutus *Hecatompolin Parthiæ* urbem rediit, ubi Milites in Patriam revertendi vehementi deſiderio flagrantes ad pergendum excitavit. Tunc *Mardos* invaſit quos dimittere coegit *Bucephalum Damarati Corinthii* donum. *Zadracartam Hyrcaniæ*

nia Metropolin veniens *Thaleſtrin Amazonum* reginam excepiſſe dicitur, cum nec *Ptolomæus Lagi* filius nec ſcriptor probatæ fidei iſtorum temporum ullus hujus congreſſus meminerit, & *Alexander* ipſe literis ad *Antipatrum* datis & multis aliis commemoratis, hac de re nihil omnino ſcripſerit.

12. Hinc in *Ariorum* inde in *Zarangæorum* regionem venit, ubi conjuratio in eum fuit patefacta, quam cùm *Philotas Parmenionis* filius Regi revelare vel noluerit vel ceſſaverit capite pœnam luit, atque ipſe *Parmenio* *Mediæ* Præfectus jam ſeptuagenarius & optime de Rege meritus, ſeu criminis ſuſpectus ſive quod necem filii ulturus videretur, interfectus eſt. Rex verò *Beſſum* perſequutus, qui in *Bactris* purpuram cum titulo *Artaxerxis* Regis *Perſiæ* acceperat, monte *Paropamiſo* ſuperato, in *Bactra* venit & *Beſſum* ſibi proditum accepit, quem *Ocyarti Darii* Regis fratri tradidit tormentis necandum.

13. Circa hoc tempus urbem *Branchidarum* cum incolis omnibus deſtruxit ut pœnam de illis ſumeret ob Sceleſtus quoddam ante annos 150 admiſſum, cùm *Xerxi* fugienti theſauros *Didymæi Apollinis* traderent, atque eum ſequuti locum hunc acciperent eorum Majores. Fluvio *Tanai* ſuperato, qui ex Monte *Caucaſo* in mare *Hyrcanum* decidit, vulnus in femore accepit; at *Scythæ Abii* per legationem ſe dedere coacti ſunt, & *Marcandam* recepit quam *Præſidiariis Macedonibus* occiſis *Sogdiani* multi cum aliis occupaverant.

paverant. Hic vino gravis *Clytum* interfecit, qui, quòd *Philippi* patris res gestas flocci faceret, cum reprehenderat & paulò indignantiùs diminuerat ejus gloriam.

4. Vere sequenti, regni anno decimo incunte, Rupem altissimam in *Sogdiana* expugnavit, ubi *Oxyartes Satrapa* habitaverat cujus filiam *Roxanam* ita deperiit ut eam statim duceret. Rebus ejus indies fit auctis & defectoribus reductis, tandem honores divinos sibi assumpsit quos *Callisthenes* Philosophus *Aristotelis* consobrinæ filius tribuere nolens capite pœnam luit. *Indiam* versus profectus *Aornon* rupem cepit quam antea *Hercules* solus superasse dicebatur.

5. Anno regni sui 11°, ex *Darii* morte quarto, *Indiam* invasit *Indo* flumine trajecto. *Omphis* (seu *Mophis*) hujus regionis Rex se statim dedidit cui *Taxilis* nomen sumere permisit. *Abosarus* etiam Monticolarum Rex, per legatos se regnumque suum tradidit, & *Alexander* contra *Porum* profectus est qui trans fluvium *Hidaspem* regnabat. Fluvio, haud absque labore magno, superato, ad prælium ventum quo *Indus* Elephanto vectus & terribilis aspectu *Macedonem* aggreditur, qui equo trajecto & multis suorum amissis satellitum ope fuit servatus. *Porus* quidem militibus stipatus pugnare non desiit donec tandem ab omnibus desereretur. Victor virtutem ejus admiratus regnum restituturum terrarum aliarum accessione auxit. Duas urbes ædificari voluit quarum unam eo in loco ubi *Porus*

vicerat *Nicæam* dictam, alteram ad fluvium in memoriam equi *Bucephali* (qui hic mortuus est cum annos haberet 30) *Bucephalæam* vocatam.

6. Gentibus multis superatis ad *Hyphasim* (seu *Hyparim*) fluvium venit victoriarum terminum; hunc enim ut superarent milites nullo modo inducere potuit. Castra hìc triplo Majora, lectos cubitorum quinque singulos, præsepia, arma, fræna atque omnia magnitudinis stupendæ fieri voluit, ut sibi suisque posteri plus æquo attribuerent. *Hydaspem* fluvium regressus Oceanum versus navigavit, exercitu ad utrumque littus partito. *Novembris* initio solvens *Sibaros* recepit, & multis aliis cæsis, qui se dedere noluerant, contra *Mallos* & *Oxydracas* festinavit, cum quibus acre bellum gestum est. Hìc etiam in periculum summum seipsum conjecit; muris enim conscensis intra *Mallorum* castellum solus desilire est ausus. Barbari undiquaque eum missilibus petebant, & vulnus in pulmone accepit ex quo, spiritu & sanguine simul exeuntibus, in lipothymiam incidit quæ sanguinis fluxum cohibuit.

7. Cùm ex vulnere convaluisset, ad confluentiam *Hydraotis* & *Acesinis* navigavit (quorum hic in illum influit) & tandem in *Indum*. Inter *Indos* alios, *Brachmannos* subegit, quibus arduas quæstiones proposuit. Mensibus decem in navigatione consumptis in insulam *Pattalenam* venit, ubi *Indus* in duos discedit canales, atque inde solven-

tem

tempeſtatibus magnis divexatus, tandem in Oceanum, ubi tauris *Neptuno* mactatis ſacriſque aliis peractis, navigationem fœlicem apprecatus eſt claſſi quam *Nearcho* duce per Oceanum & Sinum Perſicum navigare voluit uſque ad *Euphraten* & *Tigrim*. Claſſe *Pattalæ* (hodie *Pattalæ* in *Cambaia*) relicta, *Arabitarum* regionem tranſit, *Oritarum* & *Gedroſiorum*.

8. In *Gedroſiorum* regione tranſeunda majus illi incommodum accidit quàm in toto *Aſiæ* circuitu; aquæ enim penuria, caloris vehementia & fames effecerunt ut copiarum vix quartam partem reduxerit quam in *Aſiam* tranſportaverat. Nec quidem difficultatis ignarus fuiſſe dicitur, at audito *Semiramidem* cum hominibus 30, *Cyrum* cum 7, tantùm ab hac regione fruſtrà invaſa aufugiſſe, maximo deſiderio flagravit gloriam eorum ſuperandi. Incredibili tandem difficultate ſuperata *Caramaniam* evaſit, atque interea *Nearchus* à *Pattaleniis* pulſus, poſtquam rupe quadam perfoſſa claſſem in Oceanum deduxerat, *Arabiorum, Oritarum, Gedroſiorum* & *Ichthyophagorum* finibus emenſis in ſinum *Perſicum* devenit & *Armuſiam*, hodie *Ormum*, appulit. Hinc audito Regem non valde procul abeſſe, iter dierum quinque ad eum ſuſcepit, cui navigationis hiſtoriâ expoſitâ, ad claſſem rediit, juſſus ut ad *Euphratis* oſtium atque inde *Babylonem* procederet.

9. Exercitu navibus in *Perſiam* tranſmiſſo ſub *Hephæſtionis* ductu, Rex ipſe terreſtri

itinere, *Paſargadas* (hodie *Chalqueram*) venit ubi fœminis pecuniam diſtribuit prout Regibus *Perſarum* illuc venientibus in more erat, & Sepulchrum *Cyri* violatum reſtituit. Dum in *Perſia* hæreret ſontes multos punivit, *Statiram Darii* filiam duxit, & *Macedonum* æs alienum ſolvit, quod ad 10000 talentorum ſummam vix aſſurgebat, ſingulis quoque, prout meruerant, dona dedit.

10. Militibus tamen minime ſatisfecit, cùm enim, *Eulæo* fluvio ad Oceanum navigato per *Tigrim* ad *Opim* uſque reveheretur, ibi, convocatis omnibus, militiæ ineptis in patriam revertendi copiam fecit, multa iis promittens qui ad bellum perficiendum ſecum perdurarent, quod ita interpretabantur quaſi eos deſpiceret & nihili haberet. Reputarunt ſecum quòd *Perſicis* moribus aſſueſcens habitu etiam uteretur, quòd barbari in amicorum cohortem fuiſſent admiſſi, & juvenes circiter 30 ex provinciis electos & *Macedonica* diſciplina inſtitutos *Epigonos* vocaret. Ex rebus iſtis conjicientes ſe, mores ſuos, patriamque contemni, miſſionem petebant hortati Regem ut *Hammonis* patris ſolius conſortio adjutus bellum gereret.

11. Rex in magnam animi perturbationem conjectus 13 ſtatim comprehenſos in fluvium juſſit præcipitari, reliquos omnes miſſos fecit, & in tentorium ſe abdens neminem per biduum admiſit. Tertio, *Macedonibus* in caſtris ſe continere juſſis, barbaros elegit in munia præcipua exercitus, quod illos adeo graviter

graviter urebat, ut magnis lamentis per triduum veniam peterent, quam ægre tandem obtinuerunt. Omnes tunc bello minùs aptos dimisit quibus non stipendia tantùm solvit, sed viaticum addidit, atque talentum singulo. *Craterum* etiam ad *Macedoniam* regendam misit qui succederet *Antipatro* copias auxiliares adducturo. Tandem *Ecbatanam Mediæ* Metropolin venit ubi *Hephæstion* ex crapula in febrim incidens & victus tenuis impatiens intra dies 7 interiit. Rex molestissime mortem ejus tulit, *Glaucum* Medicum in Crucem egit, & luctum universum indixit, cujus urbes, ornamentis ex muris remotis, participes erant.

12. *Cossæis* superatis *Babylonem* venit, repugnantibus licet *Chaldæis* qui ea *Belo* dixerunt prædictum, adventum illi funestum fore. Legatis ibi vacavit ex *Asia*, *Europa*, & *Africa* missis. Classi novæ fabricandæ operam dedit qua lustraret *Arabiam*, portumque novum *Babylone* curavit extrui. Dum hæc fierent, per *Euphratem* in *Pallacopam* vectus in *Arabiæ* fines venit ubi urbem ædificari jussit. Derisis deinde *Chaldæis* *Babylonem* rediit qua sedem Imperii ponere studebat. Brevi autem pòst ex crapula in febrim incidit & die undecima interiit, cùm annos vixisset 32 & menses 8, regnasset 12 & menses 8. Vixit autem à *Darii* cæde annos 6 & menses 10. Mortuus est *Olympiadis* 114æ anno primo, ante *Æram* Christi 322°, *A. M.* 3681.

CAP. II.

De his quæ ab Alexandri excessu inter Duces ejus acciderunt, eo usque donec, Imperio partito, Reges se appellaverint.

Spatium Annorum 17.

1. *Alexander* filium unum, at nothum, reliquit *Herculem* ex *Barsine Artabazi Persæ* filia genitum; alterum vero in utero *Roxanæ Oxyartis* filiæ quem posthumum natum *Alexandrum* nominarunt. Fratrem habuit spurium *Aridæum* ex *Philinna Lariſſæa* genitum, soror etiam ejus *Cleopatra Epiri* Regis vidua supererat. Ducibus, post longam de successore eligendo contentionem, tandem placuit ut *Aridæus* Rex salutaretur, *Perdiccas* autem, cui *Alexander* moriens annulum suum tradiderat, Regis, cui mens non satis constabat, tutelam gereret.

2. Provinciæ, his factis, distributæ sunt inter *Duces*, quarum *Ægyptum* facilè occupavit *Ptolomæus Lagi* filius. Perdiccas illi regionem invidens tantam, *Cappadociam* aliasque subactas *Eumeni* tradidit & exercitum *Ægyptum* versus duxit, assumptis Regibus *Aridæo* & *Alexandro* posthumo. Cùm nullam autem

autem in *Nilo* tranſeundo rationem haberet militum, quorum multi fluctibus abſorpti, à crocodilis multi devorati ſunt, à quibuſdam equitibus occiſus eſt poſtquàm Regum tutelam geſſiſſet per triennium. In ejus locum *Ptolomæi* operâ *Pithon* & *Aridæus* fuerunt electi, quorum ille *Euridices* uxoris *Aridæi* Regis opprobriis laceſſitus poteſtati renunciavit, cui *Antipater* cum ſummo imperio ſucceſſit.

3. *Antipater* ducem *Antigonum* contra *Eumenem* creavit qui in *Aſia* relictus à *Perdicca Craterum* in prælio occiderat & ab exercitu hoſtis fuerat declaratus. *Eumenem* quidem non virtute ſed inſidiis vicit atque in *Nora* Caſtello obſedit. *Antipatro* autem mortuo, & *Polyſperchonte* (militum *Alexandri* natu maximo) ſucceſſore relicto, *Antigonus* totum Imperium ambire cœpit, atque *Eumenem*, ut eum ſibi conciliaret, ab obſidione liberavit, juramento accepto, quod, abſente *Antigono*, in ſenſum ſuum accommodabat. Ægre quidem tulit *Antigonus* eum, juramento ſic mutato, liberatum, atque iterùm obſideri, at fruſtrà, voluit. Interea *Caſſander* filius *Antipatri Macedoniam* occupandi conſilia inivit atque fœdus pegigit cum *Ptolomeo* & *Antigono*, quorum hic operam ſuam totam promiſit, amicitiam ſummam præ ſe ferens ut liberiùs poſſet *Aſiam* in ſuam ditionem perducere.

4. *Polyſperchon*, ut *Caſſandro* faciliùs reſiſtat, *Eumenem* cum Regibus in ſocietatem

trahit, quem *Olympias* etiam literis, ut familiæ Regiæ patrocinium ſuſcipiat, ſummè hortatur. *Eumenes* quo vim majorem ſibi comparet in Provincias ſuperiores proficiſcitur quarum Rectores ſe, cum exercitu 18700 peditum, equitum verò 4600, illi adjungunt. *Antigonus* eum perſequutus, *Paræteconorum* regione prælio commiſſo, ex ſuis plures deſideravit, at *Antigoniani* occiſos primo loco ſepelientibus, de victoria controverſum eſt. Ab hoc certamine dolis utriuſque res geſta, donec tandem ad prælium ſecundum ventum fuerit quo *Eumenes* victoriam obtinuit, at victor ab exercitu victore manibus ponè ligatis, victis fuit deditus fœdiſſimum in modum & occiſus poſt dierum trium inediam. Vir ſolertiſſimus & bellator nulli ſecundus, anno octavo à morte *Alexandri*.

5. *Olympias* una cum *Alexandro* nepote ſuo, *Macedoniam* à *Polyſperchonte* & *Æacida Moloſſorum* Rege reducta, Regem *Aridæum* cum uxore *Eurydice* (filia *Amintæ* illius quem *Philippus* avunculus & Tutor regno, *Alexander* autem vita ſpoliaverat) è medio ſuſtulit, *Nicanorem Caſſandri* fratrem centumque alios ex amicis ejus interfecit. *Caſſander* autem ex *Peloponneſo* cum exercitu profectus Reginam in *Pydna* obſedit, ad ſe dedendam compulit, & necandam tandem tradidit iis quorum amicos crudeliter interfecerat. Interea *Antigonus* in Oriente omnia pro arbitratu adminiſtrans *Pythonem Mediæ* Præfectum novis rebus ſtudentem capitali ſupplicio

ſupplicio affecit & *Seleucum Babyloniæ Satrapam* ratione pecuniæ reddendæ adeo terruit ut in *Ægyptum* equitibus 50 ſtipatus aufugeret.

6. *Seleucus* à *Ptolomæo* benignè exceptus effecit ut contra *Antigonum* fœdus ab omnibus iniretur. Juſſus eſt *Cappadociam* & *Lyciam* *Caſſandro Cariæ* Præfecto, *Phrygiam* ad *Helleſpontum* jacentem *Lyſimacho*, *Syriam* totam *Ptolomæo* & *Babylonem* *Seleuco* reſtituere, atque theſauri illius qui ab *Eumenis* morte in manus ejus perveniſſet, hos, unà cum Ducibus qui præfecturis ſuis exciderant, participes facere. Has pacis conditiones omnes rejecit, & *Polyſperchonte* ſibi fœdere juncto, rebus ſuis ordinandis jam totus incubuit.

7. *Ptolomæus* autem, *Cyrene* & *Cypro* pacatis, filium ejus *Demetrium* ad *Gazam Cœleſyriæ* urbem magno prælio fudit. *Seleucus* cum 800 peditibus, equitibus verò 20 *Babylonem* regreſſus, urbem facile recuperavit, viribuſque auctis, *Suſianam*, *Mediam* aliaſque regiones in ditionem ſuam perduxit, adeò ut Regali jam potentia & Majeſtate acquiſita, ab hoc anno multi *Æram Seleucidarum* ſeu *Græcorum* deduxerint, *A. M.* 3694, *Olympiadis* 117æ primo, ante *Æram Chriſti* 309°, à morte *Alexandri* duodecimo.

8. *Antigonus* adverſus *Seleucum Demetrium* filium miſit qui *Callem* ſuperando, (à *Ptolomæo* ad eum *Syria* expellendum miſſum) dedecus omne aboleverat. *Babylonem* deſertam cepit & caſtellum unum expugnavit relicto

vero *Archelao* qui munimenta cætera reciperet, cùm tempus à patre præstitutum elapsum fuisset, ad mare rediit, ubi *Halicarnassum* obsidens à *Ptolomæo* expulsus est, atque in æternum superioribus provinciis valedixit. Hinc *Chaldæi*, forsan, & *Maccabæorum* libri primi scriptor *Æram Seleuci* ex hoc anno inchoaverunt.

9. Paulò post inter *Ptolomæum*, *Cassandrum*, *Lysimachum*, & *Antigonum* fœdus percussum est his legibus: Ut *Cassander* dux esset *Europæ*, *Lysimachus Thraciam* retineret, *Ptolomæus Ægyptum* & regiones cæteras quas nunc obtinebat, donec *Alexander Roxanæ* filius in virilem ætatem perveniret, *Antigonus* vero *Asiæ* præesset & *Græci* legibus suis uterentur. Fœdus tamen istud brevi in fumum abiit cùm quisque ad se omnia rapere conaretur; atque hoc magis potuerunt quandoquidem ille qui omnium dominus erat & cujus administratores anteâ videri voluerint, sublatus è medio fuerat. *Cassander* enim, intellecto quòd populus in *Alexandrum* proniori animo esset & apertè loqueretur eum custodia liberatum in paternum solium evehendum esse, adolescentem matremque secretò interficiendos curavit. Atque ita quidem *Alexander* Posthumus, anno à Patris morte decimo tertio, nefariò fuit è vivis sublatus.

10. *Hercules Alexandri* filiorum alter, à *Macedonibus* spurius habitus & annos natus 17 *Pergamo* in *Macedoniam* à *Polysperchonte* vocatur, qui *Cassandro* Principatum *Macedoniæ*

doniæ invidebat. At cum prælium committendum eſſet, promiſſis maximis effecit *Caſſander* ut *Polyſperchon* juvenem tolleret. *Cleopatra* etiam, *Antigono* proco rejecto (ut in *Ptolomæum* pronior) *Sardibus* fugitura illius inſidiis fuit ſublata. Brevi pòſt *Demetrius Antigoni* filius, *Athenis* liberatis, quas *Demetrius Phalereus* tenuerat, *Menelaum Ptolomæi* ducem in *Cypro* magna clade affecit, & in *Salaminam* compulſum obſedit, cui, cùm opem ferret ipſe *Ptolomæus*, 8000 hominum amiſit cum claſſe tota, navibus 8 exceptis, quibus in *Ægyptum* fugit tam urbe quam inſula *Demetrio* relictis.

11. *Antigonus* hujus victoriæ gloriâ elatus Regis titulum & diadema ab amicis oblatum accepit, filio *Demetrio* etiam eundem honorem tribuit. *Ægyptii* verò ne res ſuas pro deſperatis habere viderentur, *Ptolomæum* Regem falutarunt. Cæteri etiam *Seleucus*, *Caſſander*, & *Lyſimachus* Reges appellari voluerunt, *Alexandri* ſtirpè jam penitùs eradicata.

CAP.

CAP. III.

Ab eo tempore quo Duces se Reges appellaverunt ad mortem usque Seleuci eorum superstitis.

Spatium Annorum 24.

1. ANtigonus successu nupero elatus *Ptolomæum* non ita pridem victum *Ægypto* etiam exuere volebat. Copiis ad *Antigoniam* (ad *Orontem* fluvium in *Syria* conditam) coactis, ad *Nili* ostia profectus est, cùm autem vadum nullum ad transitum inveniret atque milites ejus hostis corrumperet pedem referre coactus est, nec meliùs contra *Rhodios* conatus ejus successerunt. Missus tamen in *Græciam Demetrius* urbes à jugo *Polysperchontis* & *Cassandri* liberavit, unde hic magno timore correptus ad pacem petendam legatos misit, & cùm *Antigonus* nullas conditiones admitteret nisi res suas in totum illi referret, *Lysimachum, Ptolomæum,* & *Seleucum* ad Tyranni audaciam reprimendam concitavit.

2. Principum horum copiæ ad prælium illud fatale vere proximo committendum deducebantur. *Antigonus* exercitum duxit peditum 70000, equitum 10000, elephantos verò 75. Fœderatorum copiæ 64000 peditum

1500

1500 equites, elephantos 400 & currus 120 complectebantur. *Antigonus* Regum istorum conventum seu voluerum convolatum lapidis jactu se dissipaturum gloriatus, prælii tempore vehementer contristabatur & colloquebatur cum filio solo (quod antea nunquam fecerat) quem etiam exercitui commendabat. Ad *Ipsum Phrygiæ* oppidum pugnatum est, ubi temeritate sua *Demetrius* res patris pessundedit, *Antiochum Seleuci* filium fugatum tam longe persecutus ut, elephantis interpositis, ad suos se recipere non potuit nec patri succurrere qui, auxilio diu frustrà expectato, tandem missilibus fuit interfectus, anno à morte *Alexandri* 23°, sexto postquam Regis titulum accepisset, *Olympiadis* 119æ anno quarto, *A. M.* 3704.

3. Victores principatum *Antigoni* inter se partiti sunt, at *Ptolomæus* & *Seleucus* pleraque regiones obtinuisse videntur, & cum de præda partienda non bene illis conveniret, litem hanc successoribus suis dirimendam reliquisse. *Ptolomæus Syriam, Cyprum* & paulò post *Cyrenem* occupavit, filiamque suam *Arsinoen Lysimacho* in matrimonio conjunxit. *Seleucus* urbem *Seleuciam* condidit, & *Antiochiam* ad quam, vel ex patre vel filio nominatam, *Antigoniæ* incolas transtulit. *Demetrii* filiam vero *Stratonicen* uxorem duxit. Anno sequenti *Cassander Macedoniæ* Rex ex hydrope interiit, pediculis fœdum in modum erumpentibus, postquàm regnasset annos 19, anno ab *Alexandri* excessu 26°, *A. M.* 3707.

4. Ex

4. Ex *Theſſalonice Philippi* filia ſuſceptos filios tres reliquit *Philippum*, *Antipatrum*, & *Alexandrum*. Ille patri ſuccedens brevi tabe confectus periit, alter matrem occidit quod *Alexandro* magis faviſſet, quamvis per mammas ut ſibi parceretur rogaret, ex quo ſcelere in certamen magnum fratres inciderunt atque uterque Reges in auxilium vocantes *Macedoniâ* pariter & vitâ exciderunt, Deo ſic *Caſſandri* ſcelera puniente ut Ethnici Scriptores obſervarunt. *Demetrius* ab *Alexandro* vocatus *Macedoniam* obtinuit & conſiliis magnis initis *Lyſimachum Thraciâ* pellere ſtuduit. A *Pyrrho* autem *Epiri* Rege qui *Theſſaliam* invaſerat avocatus & multùm laceſſitus cum eo pacem fecit, multa ac magna animo volvens & imperio toti patris recuperando ſedulus incumbens.

5. Majores apparatus fecit, exercitumque majorem conſcripſit quàm ex *Alexandri* morte in unum fuerat coactus, peditum 100000, equitum 12000, navibus 1500 comparatis. *Seleucus* igitur *Ptolomæus* & *Lyſimachus* rebus ſuis valdè timentes fœdus inierunt & *Pyrrhum* junctis precibus induxerunt ad pacem violandam, *Lyſimachus* à *Thracia*, *Pyrrhus* ab *Epiro Macedoniam* invaſit, atque hic, *Byrrhæa* occupata, à *Demetrii* exercitu *Macedoniæ* Rex ſalutatur. *Lyſimachus* autem adveniens partem regni vendicabat & obtinuit, *Pyrrho Macedonibus* nutantibus parùm confidente.

6. *Demetrius Macedoniâ* exutus & huc illuc adverſâ fortunâ jactatus tandem *Seleuco* genero

genero ſe dedere fuit coactus. Ab illo humaniter ſatis, at in cuſtodia libera, exceptus venatu primùm ſe exercuit, poſtea potationibus & aleis ſe tradens, tanquam *Demetrius Poliorcetes* fuiſſet nunquam, poſt triennium in morbum incidit ex quo mortuus eſt annos natus 54. *Lyſimachus* brevi *Pyrrhum*, ut alienigenam, *Macedoniâ* expulit, & *Agathoclem* filium natu maximum, uxore impellente, occidit. Hujus uxor aliique, quorum affines juvenem deplorantes interfecerat, *Seleucum* rogarunt ut de Tyranno pœnas ſumeret. *Lyſimachus* hoc malum procul arcendum ratus in *Aſiam* trajecit, ubi prælio acerrimo in *Phrygia* commiſſo occubuit, & 15 liberis antèâ amiſſis ruinæ familiæ ſuæ ultimus acceſſit, annos natus 80, cùm *Macedoniam* tenuiſſet 4, à morte *Alexandri* quadrageſimo, *Olympiadis* 124æ ſecundo, *A. M.* 3722.

7. *Seleucus* ex victoria hac ſe vehementer extulit atque eo nomine magis quòd omnium *Alexandri* Ducum jam ſolus ſupereſſet *Aſiâ Antiocho* filio traditâ, in *Macedoniam* contendit ubi diem ſuum obire deſtinaverat, at *Helleſponto* tranſmiſſo *Lyſimachiam* versùs profectus, loco quodam *Argo* dicto à *Ptolomæo Cerauno*, quem *Ptolomæus* ſuſceperat ex *Eurydice Antipatri* filia, perfidè interfectus eſt. *Ptolomæus*, fratre minore ſibi prælato, *Ægypto* fugerat ad *Lyſimachum* qui ſororem ejus duxerat, illo verò occiſo, ad *Seleucum* ſe contulerat, cui benignè acceptus talem

talem gratiam retulit. Pecuniâ *Seleuci* Militibus datâ, Rex declaratus est, & *Antigono Gonnata Polioreetis* filio, qui *Macedoniam* recuperare studebat, navali prælio superato, res suas confirmavit.

CAP. IV.

Macedoniæ Regnum

A Seleuci interitu usque ad captivitatem Persei & hujus Regni excidium.

Spatium Annorum 139.

1. *Ptolomæus* ad Regnum suum stabiliendum Regum vicinorum amicitiam ambiebat. Sororem suam *Arsinoen* duxit; postea filiis in sinu matris occisis huic etiam nuntium remisit. Hoc tempore *Gallorum* multi quibus patriæ fines nimis angusti erant, ad sedes novas quærendas sub ducibus tribus profecti sunt: Unam turmam in *Thraciam* duxit *Ceretbrius*, alteram in *Pannoniam Brennus* & *Acicborius*, tertiam in *Macedoniam Belgius*, vel *Bolgius*. Hac temere *Ptolomæus* congressus in manus hostium vivus devenit & miserè necatus est postquàm *Macedoniam* tenuisset per annum unum & dimidium.

2. *Ptolomæo*

2. *Ptolomæo* succeſſit *Meleager* frater in menſes duos, quibus finitis, ut regno indignus à *Macedonibus* rejiciebatur qui Regem ſalutabant *Antipatrum Philippi* filium *Eteſiam* dictum quòd per dies tantùm 45 regnum obtineret. Poſthunc *Soſthenes* quidam, juvenum manu coacta, *Gallos* repreſſit, at titulum Regis recuſavit Sacramentum ſibi ut Duci prætitari jubens. *Brennus* autem, audito *Bolgium* prædam tam ingentem adeptum fuiſſe, cum copiis numeroſiſſimis in *Macedoniam* irrupit, cui *Soſthenes* ſe opponens fuſus & fugatus eſt. *Brennus*, *Macedonia* vaſtata, cum peditum 152000, equitibus 20400 *Græciam* invaſit. Eques ſingulus duos habuit ſervos, qui eum ſequebantur & mortuo ſuccedebant, qui mos *Trimarkaſia* dictus ſeu potiùs *Trimaraſia*, cùm tam lingua *Anglo-Saxonica* quam *Teutonica* veteribus Vox *Mare* totam ſpeciem equorum denotet. *Galli* autem *Delphos* uſque progreſſi ad templum diripiendum, fulminibus, rupium ruinis, aliiſque modis plerique dicuntur periiſſe.

3. *Soſthene* mortuo cùm *Macedonia* præfuiſſet per biennium, *Antigonus Gonnatas*, pace cum *Antiocho Sotere* facta, *Macedoniam* obtinuit, & *Gallos* quos *Brennus* ad fines tutandos reliquerat magna clade affectos repreſſit. Hoc tempore *Galli* iſti qui *Brennum*, *Macedonia* invaſa, reliquerant & *Thraciam* intraverant, variis locis in *Aſiam* tranſmiſſi, in unum exercitum iterùm coiverunt, & opem tulerunt *Nicomedi* Regi contra *Zypœum* qui

partem

partem *Bithyniæ* occupaverat, atque hoc victo, & regione longè lâtêque vastata, terram divisérunt & circa *Halym* fluvium sedes posuerunt eo loco qui postea ab illis *Gallogræcia* seu *Gallatia* appellata est, *Olympiadis* 125æ anno tertio, *A. M.* 3727.

4. *Pyrrhus Epiri* Rex, bello in *Italia* & *Sicilia* parùm fœliciter gesto per sexennium, domum reversus *Antigonum Gonnatam Macedonia* expulit. Vix autem per biennium eam retinuit; *Cleonymum* enim *Spartanum* à civibus pulsum restituere conatus, *Argis* à vetula quadam, cujus filium erat interfecturus, lapidis ictu est occisus & *Antigonus Macedoniam* recuperavit. *Antigonus* tamen ab *Alexandro Pyrrhi* filio, ad quem milites defecerant iterùm pulsus est, & à *Demetrio* filio restitutus qui *Alexandrum Macedoniæ* exulem regno etiam proprio ad tempus certum privabat. *Antigonus Gonnatas* mortuus est annos natus 80, postquàm *Macedoniam* primùm occupaverat anno 36°, (*Græcis* autem quibusdam civitatibus præfuerat antea per decennium) *Olympiadis* 134æ anno secundo, *A. M.* 3762°.

5. *Antigono Gonnatæ Demetrius* filius successit qui *Ætolos* à se alienavit, *Agronem* Regem *Illyriorum* inducendo ut *Mydionis* ab illis obsessis opem ferret; & post decennium diem suum obiit. *Philippum* filium puerum reliquit cui *Antigonus* defuncti vel frater vel avunculus Tutor datus est, postea se benignum & mitem præbens Rex salutatus. *Demetrio*

mortuo

mortuo civitates *Græcæ* caput extulerunt & *Tyrannorum* jugo excusso se Reip. adjunxerunt *Achæorum* qui in corpus unum coaluerant (ob justitiam & prudentiam in magno pretio apud vicinas gentes habiti) *Olympiade* 124, atque urbes alias contra *Macedonas* excitaverant.

6. *Achæorum* res *Aratus Sicyonius*, qui patriam illis adjunxerat, ornavit magnopere & auxit, *Athenas* etiam *Macedonum* Imperio liberavit. Eorum autem fortunam prosperam iniquis oculis *Ætoli* contemplabantur quibus se adjunxit *Cleomenes Spartæ* Rex qui omnes belli rationes quærebat ad ruinam *Ephororum*, quam animo jam destinaverat, meliùs perficiendam. Bellum quidem grave in *Achæos* conflarunt qui tantis viribus impares *Antigoni Dosonis* opem implorabant. Hic nutantes eorum res restituit, *Cleomene* represso qui urbes multas ceperat & re sæpius benè gesta eum tanto prælio vicit ut abjecta omni spe *Sparta Alexandriam* fugeret. Summa humanitate *Spartanos* tractavit, atque iis avitas restituit leges, sed tanta gloria florens coactus est in *Macedoniam* se recipere quam *Illyrii* invaserant. Eos fudit & fugavit, sed in prælio ex vociferatione in sanguinis sputum incidit quo tabes vehementer aucta eum statim è vivis eripuit, postquam *Macedoniæ* præfuisset per decennium, à Morte *Alexandri* anno centesimo, *Olympiadis* 139ª anno secundo, *A. M.* 3782.

7. *An-*

7. *Antigono* succeſſit *Philippus* nepos annos natus 16 in quo *Sibyllæ* vaticinium impletum eſt quod prædicebat fore ut gloria *Macedoniæ*, uti in *Philippo* incœperit, ita terminaretur. Ex *Antigoni* autem morte *Ætoli* metu ſoluti belli cum *Achæis* gerendi ſeduli occaſionem captabant, cumque injuriis continuis eos ſocioſque afficerent bellum *Sociale* ortum eſt. Ab *Arato Philippus* vocatus in auxilium *Ambracum* cepit quam *Ætoli Epirotis* eripuerant, & *Ætoliam* invaſit, qua vaſtata, in *Macedoniam* revocatus eſt in quam *Dardani* penetraverant, quamque *Scopas Ætolorum* Prætor igne ferroque vaſtaverat.

8. *Dardani* nominis illius fama territi in patriam ſe receperunt. Ille reverſus loca multa cepit & bellum contra *Ætolos* feliciſſimè adminiſtravit. Tandem audito *Hannibalem Carthaginienſem* ad lacum *Thraſymenum Romanos* viciſſe, à *Demetrio Phario*, qui pro *Illyriis* contra Populum *Romanum* bellum geſſerat, adductus eſt, ut, *Ætolis* miſſis, *Illyrici* res curaret, unde in *Italiam* poſſet tranſire & Mundi totius Monarchiam obtinere. Hoc conſilio elatus bellum iſtud compoſuit ita ut quod ſinguli jam poſſidebant retinerent. *Agelaus* etiam *Naupacti* civis *Græcos* incitavit ad litem dirimendam, ne *Carthaginienſibus* vel *Romanis* prædæ eſſent; ſic finitum eſt bellum poſt quadriennium, *Philippi* ſexto, *Olympiadis* 141ª primo, *A. M.* 3789.

9. *Philippus* in ea quæ *Demetrius Pharius* rerum ſuarum promo vendarum gratiâ ſuggeſſerat

gesserat totus intentus classem adornavit qua *Romanos* aggrederetur ; at eorum audito adventu classiarii in tantum conjecti sunt pavorem ut cogeretur se recipere. Legatos misit ad fœdus cum *Hannibale* victore ineundum quod sancitum his legibus : Ut *Philippus classe* 200 *navium vel circiter in Italiam navigaret ad loca maritima vastanda & bellum tam mari quam terra gerendum ; ut*, Italia *devicta* Hannibali & Carthaginiensibus *cum præda universa obtingeret, qui in* Græciam *transeuntes quos vellet* Philippus *aggrederentur, qui locis omnibus tam insulis quam continenti occupatis gauderet.* His quidem conditionibus quibus res magnas auspicaretur, contentus est. Legati vero in reditu capti sunt à *Romanis* & alii post missi qui de fœdere Regem certiorem fecerunt.

10. *Philippus* adeò se ob hæc consilia extulit, ut prorsus degeneraret in Tyrannum. Civitatibus *Græcis* se iniquiorem præbere cœpit authore *Demetrio* dicto, qui *Peloponnesum* occupandam affirmavit, præcipuè vero bestiæ illius (sic eam appellabat) cornua duo, *Corinthi* & *Messenes* arces intelligens. *Messenios* itaque inter se committere studebat, & male accepit, illudque ægre ferentem *Aratum* veneno sustulit. *Illyrici* civitates autem aggressum *Lævinus* Prætor *Romanus* 3000 cæsis *Apolloniâ* fugavit & in *Macedoniam* rejecit. Reversus tamen pleraque urbes in ditionem suam redegit, cui *Lævinus* iterùm negotium facessit, *Ætolos* à societate ejus abducendo.

Cum

Cum his bellum gessit satis fœliciter donec à *Sulpicio* Prætore *Romano Elide* pulsus in *Macedoniam*, rebus ibi turbatis, revocaretur.

11. Per triennium fortunâ prosperâ in *Ætolos* usus est qui auxiliis destituti *Romanorum*, quibus maxime fidebant, pacem conditionibus à Rege propositis acceperunt. Brevi pòst tempore *P. Sempronius* Proconsul *Sulpicio* succedens pacem etiam, *Epirotarum* interventu, *Romani* populi nomine, cum illo fecit. Cujus leges erant ut *Parthini*, *Dimalum*, *Bargalum*, & *Eugenium* urbes in *Romanorum* potestate essent, *Atintanæ* autem, cùm id flagitarent, in *Philippi* clientela. In hoc fœdere ex Regis partibus inclusi sunt *Prusias* Rex *Bithyniæ*, *Achæi*, *Bœoti*, *Thessali*, *Acarnanes*, & *Epirotæ*, ex partibus *Romanorum*, *Ilienses*, *Attalus Pergami* Rex, *Pleuratus* Rex *Thraciæ*, *Elei*, *Messenii*, & *Nabidis Lacedæmoniorum* Tyranni successor *Machanidas*. Illum enim *Philopœmenes* in prælio occiderat & patriam egregiè tueri inceperat.

12. *Philippus* autem rebus gerendis nunc assuetus & gloriæ inhians quietis impatientissimus fuit. *Philopœmenis* famæ invidens percussores ad eum tollendum immisit quo maximam invidiam in se conflavit. Cum *Antiocho Magno* societatem contraxit & conspiravit ad *Ptolomæum* juvenem regno spoliandum, at ambo ab incepto à *Romanis* absterriti pœnas postea dederunt, ut *Polybius* scribit. Ab *Ætolis* cum quibus in gratiam redierat,

redierat, ne minimam quidem justitiam præ se ferens, *Lysimachiam* absolvit & *Chalcedonem*, *Caunorum* verò urbem subjugavit, quo vehementer *Rhodii* offensi hostes ejus deinceps facti sunt & cum *Attalo* se conjunxerunt. Tot tantisque licèt rebus occupatus & tot multatus cladibus animum tamen invictum semper præstitit & spe magna elatum, bellumque cum *Romanis* gerere est ausus quod paucis mensibus à *Punici* secundi fine contra eum decretum fuit, anno circiter 140 à fœdere cum *Annibale* initò, regni sui 23, *Olympiadis* 145ª primo, *A. M.* 3805.

13. *Romani* fœdus ab illo violari dicebant, quod *Ætolis* aliisque sociis injuria affectis *Annibali* & *Carthaginiensibus* in *Africam* auxilia miserat. *Athenienses* *Athamanum* in gratiam à Rege obsessi illorum etiam auxilium & fidem implorabant; *Attalus* vero & *Rhodii* Civitates in *Asia Græcas* ab eodem oppugnari conquerebantur. *P. Sulpicius Galba* in *Macedoniam* missus est cùm *Philippus Thraciæ Chersonesum* aggrederetur, ubi *Abydensium* facinus memorandum est prorsus, qui se dedere nolentes extrema omnia perpessi sunt. Rex *Athenas* frustra oppugnabat *Ætolosque* in Societatem pertrahere volens nihil omisit quo eorum animos sibi conciliaret; illi verò primùm nutantes, postquàm Regem bis à consule victum vidissent, *Romanorum* partes amplexi sunt.

14. Anno sequenti à *Tapsulo* Consule nihil actum. *Titus Quintius Flamininus* verò succes-

sor

cessor ejus post colloquium frustra liberum *Philippum* vicit locosque varios in *Thessalia* cepit. Cùm *Athæ* jam, societate regia delata, ad *Romanos* se contulissent, Consul verò in urbibus expugnandis procederet, *Philippus* mensium duorum inducias obtinuit, ut Legatos *Romam* pacis causa mitteret. *Græci* etiam miserunt suos, quorum auditis querelis propterea quòd *Chalcidem*, *Demetriadem* & *Corinthum* (quas urbes *Græciæ* vocabat vincula) dedere nollet, Senatus, pace haud concessa, res *Græciæ* *Quintio* administrandas reliquit. Hic Regem ad *Cynoscephalas* fudit fugavitque, qui clade hac fractus inducias 4 mensium petiit ut legatos *Romam* secundùm mitteret.

15. Pax tandem à Senatu & Populo his legibus data: *Ut* Græciam *libertati in integrum restitueret, captivos omnes & fugitivos traderet, naves omnes tectas præter 5 & unam magnam dederet, talentorum* 100 *dimidium solveret hoc anno, reliquum verò intra decennium.* In *Græciam* viri decem sunt missi qui una cum *Flaminino* Civitatum res componerent, quæ omnes præ gaudio exultabant *Aetolis* exceptis qui decretum vellicantes *Græciam* tantùm dominos mutasse suos clamabant, cum *Corinthus*, *Demetrias*, & *Chalcis Romanorum* essent in potestate.

16. *Philippus* autem temporum victus vi & necessitate fortunam suam molestè tulit & eo præsertim nomine quòd rebelles puniendi sibi facultas adimeretur. Hoc auxit invidiam quòd

quòd *Thessalorum*, *Athamanum*, & *Eumenis Asiæ* Regis querimoniis cedere & urbes aliquot occupatas juri suo restituere cogeretur. Eum urebat *Romanorum* in *Demetrium* filium suum natu minorem favor, quem obsidem *Romam* miserat, quasi juvenis amicitiæ quam patris plus tribuerent. *Perseus* natu major hinc suspiciones excitavit quasi *Demetrius* affectaret regnum, eòque fictis criminibus & testibus subornatis rem perduxit ut juvenis innocentissimus jussu patris suspicacis & creduli è vivis tolleretur. Uno vel altero anno elapso cùm Rex filii desiderio in mœrorem maximum conjectus langueret, conjuratio tota, operâ *Antigoni* cognati detecta est. Hinc in tantam animi ægritudinem incidit ut, *Antigono Macedonibus* commendato, qui sibi succederet, omnibusque diris *Perseo* devoto, præ dolore vitam finiret, postquàm annos regnasset 44, ab *Alexandri* morte 146°, *Olympiadis* 150ª anno secundo, *A. M.* 3826.

17. Si *Philippus* vitæ fuisset diuturnioris, regnum, ejus studio, *Antigonus* obtinuisset. *Perseus* autem à Medico de patris fato appropinquante certior factus inimicos suos oppressit & rei summam adeptus est. Bellum cum *Romanis* gerendum velut hæreditarium accepit, cui omnia à patre parata fuerant. Nihilque aliud jam meditabatur amicos *Romanorum* qua ratione posset opprimens. Verùm illis arma sumentibus, palinodiam cecinit pacemque petiit, quam obtinere non potuit, bello decreto.

18. *Genthium Illyriorum* Regem in Societatem suam perduxit, cùm autem pecuniam ei, cujus magnam copiam habebat, ad sumptus belli præbere nollet, magnam opportunitatem rei bene gerendæ amisit. *Q. Marcius Philippus* Consul contra eum missus facilè opprimi potuit ob itineris difficultatem summamque rerum omnium inopiam: *Perseus* autem vinci se absque prælio clamans, fugam adornavit, locos angustos deseruit & hosti transitum permisit: *Thessalonicæ* naves suas incendi voluit & thesauros *Pellæ* in mare immergi. *Marcio* successit *L. Æmilius Paulus* secundùm Consul qui non procul à *Pydna* prælio Regem vicit exercitum 39000 peditum, equitum 4000 habentem, unà cum uxore matre liberisque cepit, & in triumpho duxit. Biennio in custodia servatus *Romæ* diem suum obiit. Regnavit annos 11. *Macedonibus* libertate donatis Regnum hoc finem accepit anno 156 à morte *Alexandri*, *Olympiadis* 153ª primo, *A. M.* 3837.

CAP.

CAP. V.

Asiæ & Syriæ Regnum.

A Seleuci interitu eo usque donec Syria in Provinciam Populi Romani redacta fuit.

Spatium Annorum 220.

ANtiochus Seleuci filius novercam Stratonicen filiam Demetrii deperibat, adeò ut in febrem & morbum incideret, qua ab Erasistrato Medico detecta, Seleucus uxorem ultro filio cessit, illisque Regibus facie regnum tradidit, in Macedoniam reverti ibique mori secum statuens. In itinere autem à Ptolomæo Ceraunno, quemadmodum suprà docuimus, interfectus est, anno 22° postquam Regis nomen acceperat, ab Alexandri morte 42°, annos natus 72, Nicanor sive Nicator cognominatus ob victorias, atque ancharæ notam femori impressam habuisse dictus, prout omnes qui ab illo traxerunt originem.

2. Seleuco successit filius Antiochus Soter cognominatus ob Gallos repressos qui à Mithridate Bithyniæ rege vocati magnam Asiæ partem occupaverant. Filiam Apameam Magæ Cyrenes regi & Ptolomæi Philadelphi uterino

fratri in matrimonio conjunxit atque ejus precibus inductus fœdus cum *Ægyptio* factum violavit, Impressionem autem meditantem, missis in *Asiam* copiis, *Ptolemæus* distinuit. Contra *Eumenem Pergami* Regem parùm prosperè pugnavit.

3. *Eumenes* hic nepos ex fratre erat *Philotæri* Eunuchi qui *Lysimachi* thesauro *Pergami* asservando custos adhibitus, ab eo defecit quo tempore filium *Agathoclem* occidi jusserat, & tam loci ipsius quam pecuniæ dominum se fecit, Regibus se mutuò laniantibus; dominatum vero in regnum mutatum nepoti reliquit. *Antiochus* urbes duas condidit *Apameas* vocatas à matre & uxore, tandemque filiorum uno occiso, altero successore relicto, mortuus est postquàm annos regnasset 19, *Olympiadis* 129. secundo, *A. M.* 3742.

4. *Antiocho Soteri* successit *Antiochus* filius *Theos* impiè à *Milesiis* cognominatus quos ex *Timarchi* tyrannide liberaverat. Ab illo primùm defecerunt *Parthi* qui ex *Scythia* exules (idiomate enim *Scythico Parthus* exulem significabat). *Medis* & *Persis* rerum summam obtinentibus perquàm obscuri & contemnendi erant, & ab *Alexandro* victi cùm, illo extincto, duces Majores eos nihili facerent, *Stesagenoris* advenæ cujusdam, sed *Macedonum* amici, imperio subjecti sunt. Militabant *Eumeni*, *Antigono*, & *Seleuco*, hujusque successoribus se submittebant ad hoc usque tempus, quo rebellabant authore *Arsace*. Hujus enim fratri *Tiridati* harum regionum præfectum

præfectum *Agathoclem* stuprum inferre conatum interfecerunt *Macedonesque* abegere. Eodem tempore defecit etiam *Theodotus* ab eo *Bactrianorum* civitatum Præfectus, cujus exemplum imitati Orientis Populi e jugo *Macedonum* se pariter subduxerunt.

5. Cum *Ptolomæo Philadelpho* bellum gessit, cujus filiam duxit *Berenicen* uxore *Laodice* repudiata, ex qua duos susceperat filios *Seleucum* & *Antiochum*. Ad has nuptias *Danielis* vaticinium respexisse existimatur: Quòd filia Regis *Austri* ad Regem *Borea* veniret pacis gratiâ, non retineret autem brachii potentiam, nec ille quidem nec ejus brachium staret. *Philadelpho* enim mortuo *Antiochus Laodicen* recepit, quæ levitatem & inconstantiam mariti vetita eum veneno sustulit postquàm annos regnasset 15.

6. *Laodice*, Regis morte celata donec ad *Seleucum* filium regnum transferret, *Berenicen* æmulam in *Daphne* obsedit. Civitates *Asiæ* misericordiâ motæ opem miserunt obsessæ, & *Ptolomæus* advolavit illicò ad sororem liberandam, illa autem, antequàm auxilium adveniret, seipsam dedens perfidè necata est cum filiolo. Facinus tantum Civitates abhorrentes ad *Ptolomæum* defecerunt, qui in *Syriam* longe penetrans *Laodicen* interfecit, *Cœlosyriam*, *Syriam*, *Seleuciam* & penè *Asiam* totam occupavit *Bactra* usque, nihilque obstabat quo minus regnum *Seleuci* totum occupasset, præter seditionem domesticam qua ab incœpto tanto revocatus est. *Seleucus* classem ad civi-

tates recuperandas paratam totam naufragio amisit; quo ejus infortunio tactæ se ultro dediderunt.

7. *Seleucus*, ex naufragio tanto percepto fructu, bellum contra *Ptolomæum* suscepit, at re male gesta, *Antiochiam* fugit ubi in iisdem angustiis positus eundem evadendi modum non invenit. *Antiochum* fratrem in auxilium vocavit qui licet juvenis admodum esset, hanc totum regnum occupandi ansam arripuit, adeoque in invadendo & arripiendo audacem se præstitit, ut *Hierax* inde cognominaretur. *Ptolomæus*, ne cum utroque sibi res esset, pacem cum *Seleuco* in decennium fecit. *Antiochus* hac pace facta *Gallos* conduxit & in fratrem se convertens, eum vicit. *Galli* autem, *Seleucum* prælio occubuisse rati, ut *Seleucidas* omnes tollerent in ipsum *Antiochum* insurgebant; nec nisi armis aureis tandem cesserunt. *Asia* undiquaque sic carpta *Eumenes* etiam *Bithynus* partem ejus ditioni suæ adjecit.

8. *Arsaces* etiam nuntio de *Seleuci* infortunio accepto, defectionem *Parthorum* perfecit. In *Parthiam* enim cum latronum manu penetrans *Andragoram* Præfectum occidit, & regioni huic occupatæ *Hyrcanorum* adjecit regnum, resque suas adeo auxit, ut post annos aliquot, *Seleuco* fuso & fugato, imperium suum prorsus confirmaret. Hujus victoriæ diem ceu libertatis initium *Parthi* quotannis celebrarunt, & *Arsaces* eodem loco iis habitus est quo *Cyrus Persis* & *Alexander*

under *Macedonibus*, ejusque nomine Reges illorum appellantur. *Asiæ* ratem initium ponitur ad *Olympiadis* 135 annum primum, *Romæ* conditæ 510, *Seleuci* 24, *Ptolomæi Evergetæ* 3, *A. M.* 3781.

9. Quamvis *Seleucidarum* res indies in pejus ruerent, fratresque principatu pænè exciderent, inimicitias tamen exercentes domesticas negligerant publicas, bellumque renovarunt civile, quo tandem *Antiochus* victus, cùm nec apud *Ptolomæum* nec *Ariarathem Cappadocem* socerum suum, ad quos fugerat, in tuto esse posset, in latronum manus incidens interfectus est. *Seleucus* eodem tempore regno exutus & ab equo excussus vitam finit postquam annos regnasset viginti vel circiter, anno à morte *Alexandri* 98°, *Olympiadis* 138ª tertio, *A. M.* 3779. Ex victoriis *Callinicus*, ex barba *Pogon* cognominatus.

10. Duos filios reliquit *Seleucum* & *Antiochum* quorum ille patri successit *Ceraunus* dictus, *Antigoni Dosonis* anno septimo. Hic *Asiam* cis *Taurum* ab *Eumene Pergameno* occupatam recuperare conatus ex *Apaturii Galatæ* cujusdam & *Nicanoris* insidiis veneno sublatus est cùm vix per triennium rebus præfuisset. *Achæus* Dux, *Laodices* Reginæ ex fratre nepos, parricidis punitis, adeò egregiè res administravit, ut *Asiam* totam reduceret ad obsequium, & tantam cum Populo gratiam inivit ut regnum occupare facillimè potuerit, at *Antiochum Seleuci* fratrem patrimonio

suo fraudare noluit. *Antiochus* hic, *Magnus* postea cognominatus, superstite adhuc fratre, in Provinciis superioribus agebat, nunc autem *Babylone* accersitus ad Remp. capessendam annos natus circiter 15 *Achæum* illi regioni quam nuper recuperaverat, *Molonem Mediæ*, & *Persidi Alexandrum* præfecit.

11. *Antiochus* statim in magnas difficultates incidit, *Hermiæ* aulici cujusdam potentiâ nimiâ laborans, quam *Molon* & *Alexander* fratres molestè ferentes Provincias superiores à fide alienarunt. Adversus hos Regem profectionem meditantem *Hermias* contra *Ptolomæum Philopatorem* abduxit, qui securitatem sibi summam ex juventute illius promittens se totum voluptatibus tradiderat. Bello autem hoc parum succedente, *Molone* vero ulteriores faciente progressus, pedem referre fuit coactus, & rebellibus facile oppressis, *Hermiam* etiam rebus novis studentem maturè sustulit. Eodem tempore *Achæus*, modestiâ priori excusâ, diadema & Regis titulum sumpsit, *Antiochus* tamen bellum cum *Ptolomæo* ob *Cœlosyriam* redintegravit, quam tenuerant *Ægyptii* ex quo *Euergetes* ad sororem *Berenicen* liberandam profectus eam occupaverat.

12. *Seleuciam* proditione cepit, multosque alios locos fecit ditionis suæ, sed nuncio de *Achæi* successu accepto, inductus est ad inducias paciscendas quibus colloquium de pace institueretur. Multis autem utrinque objectis, cum Rex neuter alteri cederet vere se-

quenti bellum recruduit & *Antiochus* urbes multas domuit. Elapso autem anno, *Ptolomæus* cum peditum 70000, equitum 5000 & elephantis 73, *Gazam* usque venit, cui ille cum 72000 peditum, equitum 6000, elephantis verò 102 obviàm progressus eos omnes contra quos stabat fudit fugavitque, at juvenili ardore longiùs in fugientes provectus, cùm referret pedem, totum suum exercitum profligatum invenit, & *Raphiam* se recipiens in regnum rediit. *Cœlosyria* tota victori *Ægyptio* se dedidit qui, ne victoriam prosequeretur, *Antiochus* metuens, ad pacem petendam legatos misit. Hi *Ptolomæum* facilem satis imò proclivem ad fœdus ineundum invenere, & luxuriæ aliisque vitiis deditum, licèt magnam jam opportunitatem nactum ad *Antiochum* regno spoliandum.

13. *Antiochus* de bello securus *Achæum* aggreditur & in *Sardibus* obsidet, qui benevolentiæ specie deceptus & proditus in manus Regis devenit & defectionis pœnas dedit. Anno uno vel altero elapso, *Antiochus* in provincias superiores profectus, quasdam regiones ad fidem reduxit, ditionis suæ fecit urbes quasdam & dynastias cis *Taurum* Montem, in rebus etiam administrandis prudentiâ usus magnam apud subditos opinionem sui excitavit, qua eos meliùs in officio continuit. *Ptolomæo Philopatore* mortuo, in puerum Regem cum *Philippo Macedone* conjuravit, *Judæam* occupavit, at statim amisit. *Attali* etiam *Pergameni* fines ingressus à Populo

Romano domum se recipere jussus est.

14. Populo *Romano* morem gerere nunc quidem statuit ejus armis prorsus impar, brevi tamen illas exercuit cum gente ista simultates quæ tandem in bellum prorupere. *Cœlosyriâ* enim devictâ *Græcas* in *Asia* Civitates aggressus est, quorum tutelam *Romani* suscipientes, ut ab iis abstineret edixerunt, in *Europam* eum transiturum arbitrati quamprimùm in *Asia* res successissent, atque eò magis quòd *Hannibal*, quem hospitio exceperat, eum ad bellum incitaret & *Italiam* invadendam. *Antiochus* amicos quærens *Ptolomæo Cleopatram* filiam in uxorem dedit. *Cœlosyriâ* dotatam, & *Ariarathri Cappadocum* Regi alteram *Antiochin*. Cùm *Romanorum* legati ad pacem obtinendam nihil potuissent, *Ætolis* se adjunxit, qui, *Philippo* victo, de præda cum *Romanis* contendentes ab eorum societate recesserant, nunc autem Principes omnes contra eos concitabant.

15. In *Græciam* transiens *Chalcide* virginem obscuram duxit & exercitum enervari permisit deliciis loci. A *Glabrione* Consule ad *Thermopylas* profligatus *Ephesum* fugit; Consul verò *Phocidem*, *Bœotiam* & *Eubœam* recepit. Ad res marinas animo nunc applicato, multas clades mari accepit & *Pergamo* quam obsidebat rejectus est. *Scipione* autem Consule appropinquante cum magnis copiis, ex *Lysimachia* præsidiarios suos abduxit qui *Romanis* negotium magnum facessere potuissent, & tanquam mente captus, liberum

Consuli

Consuli in *Asiam* permisit transitum.

16. Eum de pace per legatos solicitans belli impensas solvere est jussus, & non *Æolide* & *Ionia* tantùm sed & *Asiâ* universâ cis *Taurum* montem decedere. Has conditiones duriores censens prælio rem committere statuit, quo victus paucas leges præter dictas accepit. Post cladem dicere est solitus, ut *Cicero* narrat, benignè sibi à Populo *Romano* esse factum quòd nimis magna procuratione liberatus modicis regni terminis uteretur. Post biennium in Provincias superiores profectus *Jovis Beli* templum in *Elymaide* spoliavit, cujus rei atrocitate moti incolæ eum oppresserunt cum toto exercitu; quamvis dicatur etiam postquam trans *Taurum* rejiceretur, à sodalibus suis occisus quos ebrius pulsaverat. Mortuus est postquàm annos regnasset 36, *Olympiadis* 148ª anno secundo, ante *Æram* Christi 185°, *A. M.* 3818. *M. Æmilio Lepido* & *C. Flaminio* Coss.

17. *Antiocho Magno* successit filius *Seleucus Philopator* cognominatus anno *Philippi Macedoniæ* Regis 35°. *Romanorum* metu domi se ccontinuit & post annos 12 *Heliodori* insidiis periit. Filium puerum reliquit, *Demetrium* nomine, quem *Romam* versus miserat obsidem *Antiocho* fratri successurum, obsides enim novos mittere pro *Romanorum* arbitrio subinde debebat. *Antiochus* reversus regnum occupavit *Epiphanes* à *Syris* appellatus quòd *Seleucidarum* regnum ab *Heliodoro* occupatum recuperasset, ab aliis verò

Epimanes

Epimanes ob fanaticos gestus; ab Angelo Domini: *Vide Homo.*

18. *Antiochus Epiphanes*, cùm *Ptolemæi Philometoris* avunculus esset, qui mortuo patri nuper successerat, tutorem se pueri professus opprimere eum & rei summam ad se transferre statuit, quaterque in *Ægyptum* descendit ad facinus istud perficiendum. At intellecta fraude, *Romani* de auxilio solicitati legatos miserunt *C. Popilium Lænatem* cum duobus aliis. Is cum in colloquium venisset, *Antiocho* Populi *Romani* nomine denunciat, ut ab *Alexandria* quam nunc obsessurus erat, decederet: Qui cùm deliberandi spatium peteret, ille *Virgulto* stantem circumscripsit & quod facturus esset clarè jussit antè respondere quàm ex ea circumscriptione excederet. Ita perterrefactus, quòd populi *Romani* potentiam non ignoraret, pacem promisit.

19. Quumprimùm ex *Ægypto* reverteretur *Hierosolymas* obsessas cepit &, *Judæorum* 80000 cæsis, totidem vendidit, audito illos super rumorem de morte ejus allatum gaudio exultasse. Prophanato templo, talentisque 1800 ablatis, reliquit Tyrannidis suæ Ministros qui populum graviter affligerent, exactoque biennio *Apollonium* eò misit hominem crudelem cui in mandatis datum erat ut, puberibus omnibus occisis, pueros cum mulieribus venundaret. Postremùm ab *Ægypto* rejectus edictum promulgavit quo *Græcorum* religione uti subditi ejus omnes sunt jussi sub capitis periculo, missis certis hominibus

qui

qui undique hunc cultum exigerent. In *Judæam* senem quendam *Athenienſem* expedit juſſum ut Templum prophanatum *Jovi Olympio* dicaret, alterum verò in Monte *Gerizimo* extructum *Jovi Hoſpitali*, atque incolis legis *Moſaicæ* uſu interdiceret. Nunc *Jovis Olympii* idolum in Templo erectum, & Sacræ Scripturæ igni traditæ, quas nequis penes ſe retineret vel approbaret cautum eſt.

20. Multi tamen impio morem gerere nolentes mortem alacres oppetierunt: Multique *Mattathiam* ſacerdotem ſequebantur, qui manu coacta Regis tyrannidi ſe oppoſuit, altaria diruit & infantes *Iſraelitices* circumcidit. Anno tamen vix exacto, mortuus eſt *Mattathias* filius *Johannis*, nepos *Simeonis*, pronepos verò *Aſmonæi* ſive *Haſmonæi* ex quo poſteri *Haſmonæorum* cognomentum acceperunt. *David Pſaltes*, *Rex* & *Propheta* per *Haſmannim Legatos* vel *Principes* intelligit. *Judæi* hodierni Purpuratos *Pontificios Romanos Haſmannim* vel *Haſmonæos* vocant.

21. *Mattathiæ* mortuo ſucceſſit filius *Judas Maccabæus* cognominatus qui *Apollonium Samariæ* Præfectum vicit & interfecit. Morte ejus Rex graviter commotus, cùm deſtinatum iter ipſe ſuſcipere non poſſet, duces varios numeroſiſſimis copiis inſtructos miſit, quos omnes tamen *Judas* divino auxilio innixus profligavit, *Hieroſolymas* veniens Templum repurgavit ab Ethnicis per triennium occupatum, Sacrificioque in novo altari oblato,

lato, festum *Dedicationis* per dies octo celebravit quotannis celebrandum.

22. *Antiochus* in Provincias superiores profectus pecuniæ quærendæ gratiâ, *Artaxiam* Regem *Armeniæ* victum cepit. Nuntio autem allato de cladibus suorum in *Judæa* acceptis, iras & vindictas totus spirans reditum suum accelerabat. Sed morbo divinitùs immisso adeò horrendo percussus est ut vermes viventi adhuc excidèrent, corpusque putrefactum adeo malè oleret ut ejus fœtorem exercitus ferre non posset. Justo judicio Dei agnito resipuisse dicitur atque epistolas ad *Judæos* dedisse humanitatis plenas. *Philippo*, qui secum fuerat educatus, filii Tutore nominato periit cùm annos regnasset 12, *Seleucidarum* anno 149°, *Olympiadis* 154ª primo, *A. M.* 3841.

23. *Antiocho Epiphani* successit filius *Antiochus* novem annorum puer à *Syris Eupator* vocatus ob patris virtutem. *Lysias*, qui eum educaverat, pulso *Philippo*, omnia pro arbitratu suo ordinavit. Interea *Judas* contra Principes vicinos & præfectos fœliciter pugnavit, cujus gloriâ *Lysias* commotus magnum exercitum in eum duxit, quasi ignominiam à clade antehac contractam aboliturus. Re autem malè gestâ ipse pacem cum *Judæis* fecit, qua violata *Timotheus* aliique duces bellum redintegrarunt & profligati sunt, unà cum *Arabibus Nomadibus*, *Edomitis* & *Philistæis*.

24. *An.*

24. *Antiocho Eupatori* hæc graviter bilem commoverunt qui, exercitu numerosissimo conscripto, *Judæam* invasit &, *Bethsura* captâ *Hierosolymas* obsedit, at ex *Philippi* apparatu bellico, qui viribus & armis tutelam obtinere statuit, revocatus est, pace cum obsessis facta. *Philippum* quidem facilè oppressit, at à *Demetrio*, *Seleuci Philopatoris* filio qui *Romæ* ad regnum occupandum fugerat, brevi oppressus est ipse. *Demetrius* regnô recuperato *Soteris* cognomen habuit, cum *Romanis* in gratiam redire modis omnibus conatus. Contra *Judæos Bacchidem* misit & tandem *Nicanorem*, qui *Judam* benevolentiâ singulari primùm prosequutus, postea insidias ei tendit à Rege objurgatus, multaque in templum impie locutus, in prælio occisus, blasphemiæ pœnas dedit. Memoriæ tantæ victoriæ *Judæi* diem *Adari* mensis decimum tertium consecrarunt, ut ait Scriptor posterioris libri *Maccabæorum*, qui hujus rei recensione librorum quinque *Jasonis Judæi Cyrenæi* epitomen absolvit.

25. *Demetrius*, intellecta *Nicanoris* cæde, *Bacchidem* in *Judæam* misit & *Alcimum*, qui ad Pontificatum obtinendum contra patriam quævis machinabatur. Cum istis, copias numerosissimas adducentibus *Judas* congressus exigua manu occidit postquàm per sexennium Populo præfuisset, *Demetrii Soteris* anno secundo, *Seleucidarum* 152°, *A. M.* 3844. In ejus locum electus est *Jonathas* frater qui *Ethnicis* repressis jus Populo dixit. *Demetrius*

metrius autem se luxui totum immergens subditorum odium in se concitavit, qui *Attali*, *Ariarathis* & *Ptolomæi* Regum operâ usi, juvenem quendam sordido loco ortum subornarunt, qui *Antiochi Epiphanis* filium ementitus regnum affectaret.

26. Huic *Balas* sive *Balles* nomen, *Alexander* vero honoris causâ appellatus. Hunc *Heraclides*, quem thesauro *Babylonico* præfectum Rex exauctoraverat, *Romam* ducit & Senatusconsultum obtinet quo ei & *Laodices* ejusdem *Antiochi* filiæ auxilium decernitur ad regnum paternum recuperandum. *Balas*, conscripto exercitu, *Demetrium* fortissimè dimicantem in prælio occidit cum annos regnasset 12, anno *Seleucidarum* 161, *Olympiadis* 157 secundo *A. M.* 3854.

27. Eventu belli adhuc incerto, ambo *Jonathæ* amicitiam expetentes privilegia multa *Judæorum* genti tribuerunt: *Alexander* autem pontificatum *Jonathæ* cum purpura & corona aurea. Mense igitur septimo anni 161 *Seleucidarum*, ex *Judæ Maccabæi* morte nono, cùm sedes ex *Alcimi* interitu per septennium vacasset, *Jonathas* vestitum sacrum induit *Asmonæorum* primus, Sacerdotali quidem non autem Pontificiâ familiâ ortus, cujus hæreditas spectabat ad *Oniam* qui Majorum dignitate privatus in *Heliopolitana Ægypti* Provincia Templum extrui curaverat.

28. *Alexander Balas*, confirmato regno, *Ptolomei Philometoris* filiam *Cleopatram* in uxorem duxit. Luxui autem & deliciis se totum

totum tradens occasionem præbuit *Demetrio* filio *Demetrii Soteris* regnum paternum ambiendi. Huic se opposuit *Jonathas Judæorum* Pontifex qui copias ejus ab *Apollonia* ductas, magna strage edita, profligavit, at *Ptolomæus*, qui *Syriæ* partem magnam nunc quidem occupaverat filiam suam *Alexandro* ablatam *Demetrio* in uxorem dedit & regnum avitum tradidit. *Alexander* in prælio victus *Abam* fugit ubi caput ejus abscissum *Ptolomæo* missum est postquàm regnasset per sexennium. *Ptolomæus* summo gaudio donum accepit, at ipse, intra triduum vulnere in capite accepto, interiit.

29. *Demetrius*, regno avito recuperato, *Nicanor* sive *Nicator* cognominatur. *Jonatham*, posthabitis ejus accusatoribus, in sacerdotio confirmavit. *Syriam* pacatam esse ratus milites dimisit, quo facto, *Diodotus* quidam, *Tryphon* dictus & *Balæ* dux, hujus filium *Antiochum* ex *Arabia* accersitum Regem salutavit & *Demetrium* prælio victum se *Seleuciam* recipere coegit. *Tryphon* autem, *Demetrii* viribus accisis, regnum ad seipsum transferre decrevit, quod consilium ut melius perficeret, sublatis omnibus contrarium sentientibus, *Jonatham* insidiis captum necavit, tandem *Antiochum* puerum à Medicis tolli curavit, & amicos undique, sed frustra, quæsivit. *Jonathæ* successit *Simon* frater qui castello *Hierosolymitano* expugnato & legatis *Romam* missis, cùm triennium circiter in Pontificatu exegisset, instrumento publico, *Pontifex Judæorum*

Judæorum & *Princeps* factus est (eò usque donec *Prophetam* verum suscitaret Deus) insignibus & Majestatis juribus ornatus.

30. *Demetrius* autem, qui *Seleuciam* fugerat, ad desidiam excutiendam bellum *Parthis* intulit à quibus captus est. Exulante eo, *Tryphonis* milites ad *Cleopatram* uxorem ejus defecerunt, quæ, audito maritum suum *Rhodogunam Parthorum* Regis filiam duxisse, *Antiocho Demetrii* fratri nuptias & regnum obtulit. *Antiochus* hic, *Sedetes* cognominatus regnandi occasione arreptâ, *Cleopatram* duxit & *Tryphonem* ejecit qui *Apameam* patriam suam se conferens ibi occisus est. *Antiochus* in *Judæam Cendebæum* misit quem *Johannes Simonis* filius vicit & profligavit. *Simon* brevi post à *Ptolomæo Abubi* filio, quem generum suum factum *Jerichuntis* Provinciæ præfecerat, perfide interfectus est. Hoc audito, *Antiochus Hierosolymas* veniens eas adeo arcta obsidione pressit ut anno Sabbatico omnia necessaria civibus deessent. Pacem tamen petentibus his concessit legibus: Ut arma traderent, muros diruerent, tributum pro *Joppa* aliisque extra *Judæam* positis oppidis solverent cum 500 talentis.

31. *Antiochus* bellum cum *Parthis* gerens victor sæpius fuit & provincias varias recepit, quæ tamen militum insolentiam ferre nolentes defecerunt, atque ipse in prælio cum *Arsace* congressus occubuit. *Arsaces*, ut eum à *Parthia* diverteret, *Demetrium* fratrem ejus dimiserat, quem *Antiocho* victo revocare, at

serò

ſerò nimis, voluit. Iſte enim cicato curſu in *Syriam* venit & regnum facilè recuperavit. At *Antiochum* filii inſenſi *Ptolomæum Phyſconem* ſolicitarunt, ut Principem aliquem ad *Syriam* obtinendam mitteret. *Ptolomæus Zabinam* ſeu *Zabinæum* juvenem *Protarchi* Mercatoris filium ſubornavit, qui ſe diceret *Alexandri Balæ* filium. Hic *Alexander* nuncupatus *Demetrium* propè *Damaſcum* vicit. *Demetrius* à *Cleopatra* uxore & filiis rejectus *Tyrum* fugit ubi in Templo ut *Apollo* latitare ſe poſſe exiſtimabat, at *Cleopatræ* vel *Zabinæ* dolis interiit anno *Seleucidarum* 189°, *Olympiadis* 164ᵃ primo. *A. M.* 3881.

32. *Demetrius* ex *Cleopatra* duos ſuſceperat filios: *Seleucum* quem mater occidit ob diadema ſuo injuſſu ſumptum, & *Antiochum* ab adunco naſo *Grypum* cognominatum. *Alexander* mitem ſe versus ſubditos præbens magnum populi favorem conciliavit, propterea autem quod *Ptolomæo* ingratus videretur, hic filiam ſuam *Trypham* cum *Antiocho*, ex ſorore, nepoti ſuo uxorem dedit, copiaſque miſit auxiliares quibus *Alexandrum* vicit & occidit. *Cleopatra* filio, quem viciſſe ægre ferebat, cùm ſola regnare ipſa vellet, potum venenatum obtulit, quem ebibere ipſa coacta eſt, comperta fraude. A Matris interitu per annos 8 ſecurè regnavit donec ab *Antiocho Cyziceno*, *Antiochi Sedetis* filio, (fratre ſuo uterino) *Syriâ* expelleretur. Anno tamen ſequenti rediit atque regni dimidium accepit, & tenuit, bellum quamvis continuum inter

fratres

fratres esset. *Grypus* tandem *Heracleonis* cujusdam insidiis interiit postquam annos vixisset 41, regnasset 26, horum verò una cum fratre quindecim.

33. *Antiochus Grypus* filios quinque reliquit quorum *Seleucus* natu maximus *Cyzicenum* avunculum oppressit postquàm annos regnasset 18. *Seleucum* tamen *Syriâ* expulit *Antiochus Pius Cyzicenus* filius & in *Ciliciam* fugavit ubi à *Mopsestis*, dum pecunias exigeret, vivus combustus est. *Antiochus* & *Philippus* gemini fratres, ejus mortem ut ulciscerentur, *Mopsuestiam* complanarunt, at *Antiocho Pio* victi cesserunt. *Antiochus* à fluvio *Oronte* fugiens absorptus est. *Philippus* regnum affectavit; at *Ptolomæus* Regem saluravit *Demetrium* fratrem natu quartum, cum quo tam ob *Syriam* quam *Damasci* regnum bellum plusquam civile gessit. *Syri* bellis *Seleucidarum* divexati *Tigranem Armeniæ* Regem accersierunt qui *Syriam* obtinuit per annos 18.

34. *Antiochus Pius Syriâ* pulsus in *Cilicia* latitavit. *Selene* uxor ejus cum duobus filiis in *Phœnicia* regnasse dicitur, & parte aliqua *Syriæ* inferioris donec à *Tigrane* capta necaretur. *Tigranes* per annos 14 *Syriam Magadatis* ministerio rexit, quem revocavit tandem postquam, (armorum societate licèt cum *Mithridate* Ponti Rege & socero suo facta) à *Lucullo Romano* cladem accepisset. Hanc opportunitatem nactus *Antiochus Asiaticus Pii* filius, omnium consensu, *Syriam* obtinuit per quadriennium, quo finito, à *Pompeio Magno*

Magno qui *Tyrannum* vicerat hæreditate spoliatus est (quamvis de *Romano* Populo haud male meruisset) & in *Commagena* se continere jussus; *Syriaque* in formam Provinciæ *Romanæ* redacta est *Olympiadis* 179. anno secundo, *Seleucidarum* 250, a pugna ad *Issum*, ex qua *Alexandri Magni* ditionis fuisset facta, 270, ante *Æram* Christi 61, *A. M.* 3942. *M. Tullio Cicerone*, & *Antonio Nepote*, Coss.

CAP. VI.

Regnum Ægyptiacum.

Ab obitu Ptolomæi Lagi usque ad interitum Cleopatræ & Ægyptum in formam Provinciæ Romanæ redactam.

Spatium Annorum 254.

1. *Ptolomæus* ex *Eurydice* uxore *Antipatri* filia liberos aliquot susceperat, *Ptolomæo* autem filio, ex *Berenice*, quæ *Eurydicen* comitabatur, genito, regnum reliquit, quem superstes adhuc imperii consortem fecerat. *Ptolomæus* hic *Philadelphus*, ob *Arsinoen* sororem amatam, cognominatus, opibus & potentiâ patrem superavit. Doctus erat bibliothecamque instituit

tuit, voluminum 200000, inter quæ recenſentur biblia ſacra, quæ cum interpretibus ſibi mitti ab *Eleazaro* Pontifice petierat. *Eleazar* interpretes, qui in linguam *Græcam* ſcripturas ſacras transferrent, 72 numero miſit, qui diebus totidem abſque ulla varietate opus ſuum abſolviſſe dicuntur.

2. *Ptolomæus Philadelphus* fratrum duos interfecit. Cum *Maga* uterino, *Philippi* cujuſdam *Macedonis* filio, quem mater *Cyrene* præfici curaverat, ſimultates etiam exercuit. Cum *Antiocho Theo* bellum geſſit, quod tandem fuit compoſitum, *Berenice* in uxorem *Antiocho* data, ut alibi diximus. Luxui demum ſe tradidit, vanaque ſpe concepta, ſe qui immortalitatem invenerat, nunquam moriturum, diem ſuum obiit, poſtquam annos regnaſſet 38 ſolus, imuta vero una cum patre, *Olympiadis* 132ª anno ſecundo. *A. M.* 3758.

3. *Ptolomæo Philadelpho* ſucceſſit filius *Ptolomæus Evergetes*, (ex *Arſinoe Lyſimachi* filia genitus) *Antiochi Thei* anno 16°. Hic ad *Berenicen* ſororem ſuam obſidione liberandam *Syriam* invaſit totamque *Aſiam* in poteſtatem ſuam redegit, at domeſticis ſeditionibus revocatus eſt ut ſuprà monuimus. Rege adhuc in *Aſia* hærente, *Berenice* ejus uxor, *Magæ* avunculi filia, crines ſuos Diis devovit ſi incolumis rediret, eoſque *Conon Mathematicus* hoc tempore florens in cælum rapi finxit, atque aſtrum illud excogitavit quod eorum nomine adhuc inſignitur. Eo regnante *Phœnix* dicitur *Heliopolin* advolaſſe. Ad eum

fugit

fugit *Cleomenes Spartæ* Rex ab *Antigono Doſona* victus & fugatus, cui auxilia promiſit ad regnum recuperandum, quod antequam præſtare potuit, mortuus eſt, cum annos regnaſſet 24. *Olympiadis* 139ª anno ſecundo, A. M. 3782.

4. *Ptolomæo Evergeti* ſucceſſit filius *Ptolomæus Philopator* ironicè cognominatus, ſi *Juſtino* fides ſit habenda, qui eum parentem utrumque necaſſe ſcribit. Deliciis immerſus Remp. neglexit atque inde *Trophonis* cognomentum accepit. Fratrem *Magam* exercitui gratiſſimum matris operâ videns utrunque ſuſtulit. *Antiochum Magnum* in prælio vicit & *Cœloſyriam* recuperavit. In reditu templum *Hieroſolymitanum* adiens in penetralia tendere auſus eſt, ubi divinitùs horrore cœco adeo eſt percuſſus ut vix ad ſeipſum redierit. In regnum reverſus contra *Judæos* ibi habitantes ſæviit, *Eurydicen* ſororem, ut *Agathoclea* concubinâ liberius uteretur, necavit, omnique Majeſtatis notâ abjectâ, vitiorum ſe totum mancipium fecit; *Agathoclea*, *Agathocle* ejus fratre & *Euanthe* ejuſdem matre regnantibus atque omnia pro arbitratu ſuo diſponentibus.

5. *Ptolomæus* tamen fortunâ proſperâ ſemper uſus omnes difficultates ſuperavit. *Cleomenes Spartanus* cuſtodiâ elapſus populum ad libertatem vocavit, & cum fruſtrà id faceret ſeipſum interfecit more *Laconico*, ut ſcribit *Polybius*. Populus poſtea defecit, ſed ad officium faciendum revocatus eſt, & Rex dignitatem

nitatem suam retinuit. In *Judæos* sævit, quos à divino cultu abstrahere studens, multos morte, ignominiâ multos affecit; reliquos autem elephantis 500 devorandos exhibuit, qui duorum Angelorum interventu à belluis erepti sunt; Rexque ab incœpto revocatus eos deinceps demereri studuit. Obiit cum annos regnasset 18, *Olympiadis* 144. anno primo, *A. M.* 3801.

6. *Ptolomæo Philopatri* successit filius quinquennis ex sorore genitus & *Epiphanes* cognominatus anno *Antiochi Magni* vicesimo. Populus *Agathoclem* una cum sorore & matre necavit, Regique tutorem dedit *Aristomenem Acarnanem* qui Remp. optime administravit. Contra *Ptolomæum* conjurarunt *Philippus Macedoniæ* & *Antiochus Magnus Asiæ* Rex. *Antiochus Judæam, Cœlosyriam, Phœniciam* aliosque locos in *Cilicia* & *Caria* occupavit, at cum *Romanis* bello susceptо, *Ptolomæo Cleopatram* filiam in uxorem dedit *Judæâ* & *Cœlosyriâ* dotatam, ne hostem à tergo relinqueret, atque ut aditus sibi in *Ægyptum* pateret.

7. In *Ptolomæum* etiam conjuravit *Scopas Ætolus* copiarum ejus Dux, qui unà cum sociis oppressus est. Bonum Principem se principio præstitit, postea ex assentatione improborum pejor factus *Aristomenem* optimè de se & Rep. meritum veneno sustulit, magnumque odium civium incurrit. Tandem, quo meliùs bellum cum *Seleuco Philopatore* gereret, cum *Achæis* societatem contraxit,

at à ministris suis, qui se spoliatum iri existimabant ad sumptus belli faciendos, veneno sublatus est, cùm annos regnasset 24. *Olympiadis* 150 anno primo, *A. M.* 3829.

8. Filios duos totidemque filias reliquit. Illorum major patri successit *Philometor* dictus anno octavo *Seleuci Philopatoris*. Hunc *Cœlesyriam* armis vindicaturum *Antiochus Epiphanes* avunculus prævenit & in *Ægyptum* descendens regno exuit. *Philometore* pulso *Alexandrini* fratrem ejus Regem salutarunt & cognominarunt *Euergetem* (*Cacergetem* vero postea ob mores pravos) *Physconem* etiam dictum ob ventris magnitudinem. Cùm *Philometorem* reversum cives iterùm expellerent, *Antiochus* sub specie eum reducendi bellum continuavit, at *Alexandriam* expugnare non valens in *Syriam* decessit, *Ægypto* tota *Philometori* tradita præter *Pelusium*, unde fratrum viribus mutuo attritis, sibi aditus pateret. Illi vero rebus compositis simul regnarunt, quod hic ferens iniquè in *Ægyptum* descendit iterùm, at à *Romanis* legatis qui eum hujus rei causâ convenerant tàm *Ægypto* quàm *Cypro* cedere est jussus.

9. Fratres tamen brevi in contentionem acerrimam inciderunt & *Philometor* ab altero pulsus se *Romam* contulit ubi à Senatu ut restitueretur obtinuit. *Euergetes* etiam *Romanorum* voluntatem in supplices pronam esse intelligens ipse ad urbem proficiscitur, & *Cyprum* sorti suæ adjiciendam curat, nec tamen adhuc contentus iter secundum *Romam*

 suscepit,

fuscepit, ex quo tamen quem fructum perceperit parum constat.

10. *Philometore* regnante *Onias Judæus Onia* tertii Pontificis filius, pontificatu à familia sua ablato, decretum obtinuit quo templum in Provincia *Heliopolitana* extrueret *Hierosolymitano* in omnibus simile nisi quod candelabri loco lampadem haberet ex filo aureo appensum qui radios solis in morem circumjecit. Coràm *Ptolomæo* etiam *Judæi* & *Samaritani* de templorum suorum vetustate certarunt, & victi *Samaritani* Oratores, secundùm quod conventum fuerat, capitali supplicio sunt affecti. *Philometor* autem in prælio cum *Alexandro*, quem *Syriæ* Regem fecerat, commisso, vulnus in capite accepit ex quo mortuus est postquam annos regnasset 34. *Olympiadis* 158æ tertio, *A. M.* 3859.

11. Ab ejus obitu mos successionis in *Ægypto* mutatus. Cùm enim patri filius antea successisset, *Physcon Cleopatram* sororem suam & fratris viduam sibi nubere coegit, filiolumque ipso nuptiarum die in sinu matris occidit. Prout inceperat ita perrexit nihil non crudele & horrendum spirans, cædes nefarias ubique perpetrans, nulli vero parcens. *Alexandrini* ob morum summam pravitatem adeò eum male tulerunt ut urbem plerique desererent quam novis civibus replevit. His etiam brevi adeò odiosus fuit, ut regiæ flammis submissis Regem in exilium pellerent regnumque traderent *Cleopatræ* ejus sorori. *Regnum* tamen recepit & cum sorore in gratiam

tiam reversus obiit cùm solus regnasset annos 29, *Olympiadis* 165ª anno ultimo, *A. M.* 3888°.

12. Filios tres & totidem filias reliquit. *Apioni* notho suo *Cyprum* testamento legavit, *Ægyptum* uxoris arbitrio permisit cui integrum erat eligere in Regem utrum filiorum vellet. *Alexandrum* minorem sibi morigerum magis fore rata, regni participem secum facere statuit, at renitente Populo *Latburum* accivit quem tamen postea expulit, expulsumque armis est insecuta ejusque in *Judæa* & *Celesyria* conatus omnes fecit irritos. *Alexandro* etiam ab annis aliquot insidias ponens ab eo sublata est qui pœnas paricidii dedit ab *Alexandrinis* in exilium pulsus. Hi revocarunt *Latburum* à quo *Thebæ* (*Ægyptiacæ*) defecerunt, quibus anno tertio receptis, brevi post diem suum obiit postquàm annos fere regnasset 37 à patris obitu, *Olympiadis* 175ª anno primo. *A. M.* 3925.

13. Quis *Latburo* successerit non abundè constat, videtur *Alexander* minor *Alexandri* filius *Cleopatram* filiam ejus duxisse & cum ea simul regnasse per dies 18, 19° tamen eam necasse & ab *Alexandrinis* pulsum fugisse *Tyrum*, ubi mortuus est in exilio post annos demum 15, Populo *Romano* hærede scripto. *M. Tullio Cicerone* & *C. Antonio Nepote* Coss. Illo pulso *Alexandrini Latburi* filium *Dionysum* & *Auletem* dictum, quod *Bacchi* ritibus & tibiis valde esset addictus, Regem salutarunt. Nothus hic *Auletes* erat atque etiam

frater ejus *Cypri* Rex, cùm *Pausanias* scripserit *Lathurum* præter filiam unam liberos nullos reliquisse legitimos. Annis aliquot elapsis regno eum subditi exuerunt propterea quòd *Cyprum*, qua fratrem ejus *Romani* spoliaverant, vendicare nollet, vel potius ob pecuniam multam exactam, cujus ingenti copia horum amicitiam & societatem obtinuerat.

14. *Alexandriâ* pulsus *Romam Auletes* venit unde auxilio frustrà petito, quòd *Sibyllini* libri rei adversari viderentur, *Ephesum* decessit ubi multis talentis *Gabinium Syriæ Præsidem* induxit ut eum restitueret. A reditu nihil memoriâ dignum de illo habetur nisi quòd quadriennio elapso mortuus sit, *Olympiadis* 182ª anno secundo, *A. M.* 3954. Filios duos totidemque filias habuit quorum majores utriusque sexus matrimonio copulatos regnare voluit. Triennio exacto *Ptolomæus* hic *Dionysus* cognominatus sororem suam *Cleopatram* expulit, cui cum exercitu conscripto in *Syria*, revertenti Rex ad *Montem Casium*, & *Nili* ostium *Peluſiacum* castra opposuit, quo tempore *Pompeius Campis Pharsalicis* à *Cæsare* victus ad eum fugit. Regii præceptoris *Theodoti* consilio receptus *Pompeius* in Cymbam & interemptus est, ut *Cæsaris* victoris gratiam captarent.

15. *Cæsar* tamen pecuniam exigens quam *Romanis Auletes* debuerat *Alexandrinorum* odium incurrit, & dum res Regis & sororis ejus componere studeret, grave admodum bellum

bellum *Potbini* operâ conflatum est. *Cleopatræ* gratiâ magnas difficultates adiit, *Alexandrinorum* verò tandem variis cladibus affectorum castra cepit quibus Rex ipse fugiens in naviculam, multis tergum ejus prementibus, fluvio submersus periit. *Cæsar* facile *Alexandriam* obtinuit, civibus supplicum in morem se dedentibus, *Ægyptum* verò non Populi *Romani* ditioni adjecit sed *Cleopatræ* restituit cum qua stupri consuetudinem habebat. Illa fratri 11 annos habenti nupsit, quem post quadriennium veneno sustulit ut sola imperaret.

16. Amoribus vehementer dedita est, non *Cæsaris* solius, cui filium peperit *Cæsarionem*, sed, illo digresso, *Pompei* filii *Pompei Magni* consuetudine usa. *Cassio* & *Bruto Cæsaris* percussoribus à *Triumviris* oppressis, *Antonium* cui in *Syria* occurrebat, in *Ægyptum* deduxit ubi libidini & luxui se totos immersere runt. Ille quidem seu philtro quodam fascinatus uxori suæ nuntium remisit, *Cleopatræ* verò & liberis ab ea susceptis *Romanas* Provincias tribuere non erubuit & donationis confirmationem à Senatu postulare; quo cum risu & fastidio, ut æquum erat, excepto, bellum tandem in eos decretum est, *Octavii Cæsaris* operâ. Prælio navali ad *Actium* commisso, interesse voluit, primaque fugam adornavit.

17. Hac clade accepta, in sinum *Arabicum* naves transvehi jussit quibus regno pulsa captivitatem fugeret, *Antonius* tamen de ter-

restrium copiarum defectione nondum nuntio accepto, ab hoc consilio eam revocabat. Tunc ad luxuriam pristinam reversi invitarunt omnes qui vitam nihili facerent ad rebus præsentibus & jucundis utendum. Illa tamen *Cæsaris* amorem captare non desiit, *Pelusio*, classe & equitatu proditis, quod licet suspicaretur *Antonius* subinde tamen fœminæ blandæ sermonibus elusus & deceptus fuit. *Cæsare* jam *Alexandriæ* imminente quosdam ad *Antonium* misit qui dicerent, se manus sibi victoris metu intulisse, quo ille audito seipsum in ventre vulneravit, & mortuus est fœminæ lamentis & ejulatibus deploratus.

18. *Cleopatram Cæsar* vivam capere maximè studebat ut ex mancipio tanto gloria inaudita triumpho accederet. Viva quidem in eius manus devenit, animum tamen, artificio suo, victoris vincere non valens, licèt de tot tantisque viris spolia ampla reportasset, brevique se in *Italiam* mittendam intelligens, ut *Cæsarem* prædâ optatâ fraudaret nihilque regno & Majestate indignum pateretur, Aspidum morsu tanquam in somnum soluta sibi mortem attulit, mulier virili prorsus animo, & egregiis naturæ dotibus ornata. Annos vixit 39, regnavit ex patris obitu 22, *Antonii* consuetudine per quatuordecim usa. Atque unà cum *Cleopatra* interiit *Ptolomæorum Regnum*, quo in *Romanæ* Provinciæ formam redacto, *Imperium Macedonum* penitus extinctum est, à morte *Darii Codomanni* & *Alexandri* Monarchia incœpta anno 300°,

ab

ab *Ægypto* à *Ptolomæo Lagi* filio occupata 299°, *Olympiadis* 187ª tertio, ante *Æram* Christi 28. *A. M.* 3975. *Octavio Cæsare* quartùm & *M. Licinio Crasso* Coss.

Imperio Macedonum Contemporanea.

CAP. VII.

Regnum Judaicum vel Principatus Asmonæorum.

Ab Antiochi Sidetis ex Hierosolymis discessu usque ad Herodis initium.

Spatium Annorum 98.

1. ANtiochus *Sidetes Hierosolymis* contra *Parthos* profectus ex vulnere in prælio accepto interiit. Eum *Johannes Judæorum Princeps* simul & *Pontifex* in militiam sequebatur atque ab *Hyrcanis* victis (quod maxime videtur) cognomen *Hyrcani* obtinuit. *Seleucidis* de regno contentiones continuas moventibus, inde occasionem nactus est principatum confirmandi, multisque *Syriæ* urbibus captis, *Idumæos* etiam subjugavit & ritum Circumcisionis recipere coegit. Cum *Romanis* fœdus à *Juda Maccabæo* initam renovavit, *Samariam* expugnavit

& funditus evertit. Cum *Phariſæis* graves exercuit ſimultates, *Saducæis* æquior unde populo parùm erat gratus, quem tamen in ſeditionem prolapſum facili negotio reduxit ad officium. Prædixiſſe fertur filios ſuos duos majores rerum brevi tempore potituros. Principatu Pontificatu & Prophetia illuſtris obiit poſtquam annos regnaſſet 31, ante natum *Chriſtum* 104, *Olympiade* 160ª ultimo, *A. M.* 3899.

2. Cùm de *Phariſæis* hìc mentio fiat, de diverſis *Judæorum* ſectis pauca libet addere Tironum in gratiam. *Phariſæorum* *Joſephus* primùm meminit *Archæologiæ* libri decimi tertii capite nono. Quòd ſectæ iſtæ à reditu ex captivitate *Babyloniçâ* exortæ ſint parùm eſt dubitandum. Quidam à litera legis ſibi non diſcedendum exiſtimarunt iique *Karraim* ſunt dicti, alii opera alia ſponteneæ addenda, unde *Haſidim* ſeu *Sancti* ſunt nominati. Ex his quidam exorti ſunt non vulgo ſolùm ſed & *Haſidæis* cæteris ſanctiores habiti, qui ſecedentes ab aliis *Peruſchim* (ſeu *Pheruſchim*) dicti ſunt, à *Græcis Phariſæi*. Sicut autem ex *Haſidæis Phariſæi* ſic ex *Karrais* *Sadducæi* traxerunt originem, à *Sadoco* nominati. *Antigonus Sadoci* Præceptor, *Simeonis Juſti* diſcipulus docuerat homines ſe non, ut ſervos qui lucri gratiâ dominis ſerviunt, erga deum gerere debere, hoc innuens quòd ex amore, non autem præmiis inducti Deo obedientiam præſtare debemus.

3. *Sadoc*

9. *Sadoc* autem (sive *Zadoc*) & *Baithusiam* hanc sententiam in hunc malum sensum distorserunt, quasi nullum post funera nos premium maneret, atque adeo statum futurum denegarunt, & hæresi dederunt originem, ut scripsit Rabbinus *Abrahamus*, quod quidem ut fabulosum rejicit *Montacutius* noster, Saducæos à *Sadoc* (justitia) derivans. Tertia secta *Essæorum* seu *Essenorum* fuit ex *Pharisæis* oriunda, quo tempore autem initium sumpserint parùm constat. Quidam *Essæos* quasi *Osios* à Sanctitate dictos volunt vel ex nomine *Syriaco Hasi* ex quo vox *Græca* derivari existimatur. Vox *Hebræa* eos denotat qui à strepitu procul remoti vivunt, quod *Essæis* maximè convenit, qui *Pythagoræorum* in modum silentium coluerunt atque in vicis & pagis ab aliis separatim agebant. Cùm medicinæ operam darent, ex *Hebræo Asa*, quod *Sanare* significat, alii illos denominatos volunt. Hæc Secta *Pharisæis* posterior fuit & Sanctior habita, atque hoc tempore videtur exorta quando *Hyrcani Saducæi Pharisæorum* quidam iram & invidiam fugientes in desertum se receperint.

4. *Hyrcanus* autem quinque reliquit filios quorum natu maximus *Aristobulus Philellen* cognominatus & patri succedens, principatum in regnum mutavit diademate sumpto, anno circiter 481° à *Judæorum* ex *Babylonia* reditu. Hic matrem regni consortem inediâ necavit, fratrumque alterum sustulit, reliquis uxoris ejus insidiis in custodia servatis, atque

intra anni unius spatium magna animi ægritudine vitam finiit, *Ituræis* subjugatis & *Judaicos* ritus recipere coactis. Illi *Jannæus* sive *Alexander* frater successit, qui fratrum unum novis rebus animum adhibentem interfecit. Rebus domi confirmatis *Ptolomaidem* obsedit, at à *Ptolomæo Lathuro* qui *Judæam* invaserat in prælio fusus est, quem tamen mater *Cleopatra*, fœderè cum *Alexandro* inito, ab ulteriori successu revocavit.

5. *Alexander*, *Lathuro* digresso, *Cœlesyriam* iterùm invasit, variisque locis captis, *Gazam* sibi proditam recepit & complanavit. Contra *Arabes* pugnans exercitum totum desideravit vixque evasit *Hierosolymas*, ubi à Subditis male acceptus est qui bellum cum eo gesserunt & tandem victi sunt & male multati. Ditioni suæ multum adjecit in *Syria*, *Phœnicia*, *Idumæa* regionibusque aliis ubi urbes multas obtinuit, quarum pleræque à *Josepho* memorantur. Tandem ex ebrietate in febrim quartanam incidit, qua per triennium laboravit, rerum tamen suarum curam non remisit, at *Ragolâ* in *Gerasenorum* regione trans *Jordanem* obsessa ibi vi morbi interiit anno regni 27°, ætatis suæ 49°, *Olympiadis* 173ª anno tertio, ante natum *Christum* 76°. *A. M.* 3927.

6. In extremis constitutus *Alexandram* uxorem monuit ne mortem suam palàm faceret, priusquàm cepisset castellum; pòst ut *Hierosolymas* triumphantis in modum reversa cadaver *Pharisæis* traderet, quàm indignè vellent

vellens tractandum, atque ut illorum consiliis uteretur, quod ipse & pater cum iis simultates exercentes ex populi gratia excidissent, *Alexandra* hac ratione usa *Pharisæos* sibi devinxit. Illi regnum maritus tradiderat quamvis *Hyrcanum* & *Aristobulum* relinqueret ex ea genitos. *Pharisæis* autem nullo modo utentibus in adversariis multandis seditio gravis exorta est & *Aristobulus* regnum affectans his turbis se immiscuit, matreque jam ægrotante Regis titulum sumpsit. Illa ex hoc morbo interiit cùm annos regnasset 9, vixisset 73, mulier sapientiâ, fortitudine & industriâ insignis.

7. *Hyrcanus* Pontificatum auspicatur *Olympiadis* 177ᵃ anno tertio, *Q. Hortensio* & *Q. Metello Cretico* Coss. at à fratre prælio prope *Jordanem* commisso fusus & regno exutus est. Privatus nunc, cùm otium meditaretur atque ad illud se juramento obstrinxisset ab *Antipatro Idumæo*, *Idumææ* Præfecto, à torpore excitatur, qui *Alexandri* potentiam metuens illi ad *Aretam* Regem *Arabiæ* fugere persuasit. *Aretas* ad *Judæam* invadendam facile inductus *Hierosolymas* obsedit, at à *Scauro Pompei Magni Quæstore* rejectus est quem *Aristobulus* in id talentis 400 conduxerat.

8. Brevi ad *Pompeium*, qui *Damascum* venerat, uterque legatos misit, cùmque illi se mutuò, *Judæi* verò (imperium regium deprecantes) utrunque criminibus onerarent, *Pompeius* æquior factus est *Hyrcano*, ob violentiam *Aristobulo* succensens, quem propterea

terea quòd, nunc etiam instituto colloquio, vi res suas stabilire conaretur, fugientem sequitur & *Hierosolymis* intratis obsidione cingit Templum in quod amici ejus se receperant, licèt ipse ad *Pompeium* reversus esset. Atque Templum expugnavit *Pompeius* mense tertio, jejunii die in memoriam rotulæ à *Jehoiakimo* combustæ celebrati, *Olympiade* 179ª, ante natum *Cristum* 62°. *A. M.* 3942. *C. Antonio* & *M. Tullio Cicerone* Coss.

9. *Pompeius Hyrcano Pontificatum* & *Principatum* restituit ea tamen lege, ne ampliùs diadema gestaret; seditionis authoribus morte punitis *Judæos Romano* Populo tributarios fecit, urbes quas in *Cœlesyria* tenebant abstulit, super gentem Præfecturam instituit, successibus nuperis elatam intra fines proprios contraxit, *Aristobulumque* secum abduxit. In itinere *Alexander* ejus filius custodiâ elapsus in *Judæam* rediit ubi manu hominum collecta cum *Gabinio* pugnavit qui eum vicit, obsedit, cepit. Ipse etiam *Româ* fugiens bellum parùm prosperè redintegravit ab eodem captus & *Romam* remissus; *Alexander* vero sui juris factus iterùm pugnans exercitum amisit. *Crassus* successor *Gabinii*, itinere per *Judæam* versus *Parthiam* facto Templum talentis 10000 spoliavit, paulòque pòst insidiis hostium circumventus pœnas dedit sacrilegii.

10. *Cæsar*, *Pompeio* & *Senatu* ab *Italia* pulso, *Aristobulum* legionibus duabus instructum misit ad *Syriam* subigendam, at in itinere

itinere à *Pompeianis* veneno sublatus diu insepultus jacuit, atque non longò pòst *Alexander Antiochiæ*, mandatu *Pompeii*, securi percussus est. Eodem tempore *Antipater Idumæa* Præfectus admodùm claruit, societate cum multis Principibus inita. Ex *Cypride* nobili fœmina generis *Arabici* quatuor filios genuit, *Phasaelum*, *Herodem*, *Josephum*, & *Pheroram* quos omnes in *Arabiam* misit bellum gerens cum *Aristobulo*.

11. *Antipater* opem tulit *Cæsari* bello *Alexandrino* implicato qui eum cùm aliàs tùm procuratione *Judæa* remuneravit, & *Hyrcanum* de se bene meritum confirmavit in Pontificatu, parvi habitis *Antigoni*, filii *Aristobuli*, criminationibus, murosque *Hierosolymarum* permisit reparari. *Antipater*, cùm *Hyrcanus* hebeti prorsus esset ingenio, *Phasaelum* filium suum *Hierosolymis*, *Galilæa Herodem* præfecit qui annnm decimum (potiùs vicesimum) septimum vix excedebat, ut *Josephus* quidem scribit.

12. *Herodes* à puero spiritus celsissimos gerens *Ezechiam* occidit latronem insignem qui *Syriam* infestabat, & à *Judæis* ob id ad judicium vocatus adfuit quidem, sed stipatus militibus & ab *Hyrcano* absolutus est. *Judicium* tamen hoc indignissimè ferens adeò excanduit ut pænas graves de judicibus esset sumpturus ni à patre & fratribus impeditus fuisset. Paulò pòst *Cassius* bellum cum *Triumviris* gerens in *Judæam* venit, ubi tantam pecuniæ exegit vim ut urbes multæ una cum civibus venirent

venirent ad ſummam conficiendam. *Antipater* hoc tempore à *Malicho* quodam veneno fuit ſublatus, quòd eò uſque à filiis diſſimulatum eſt donec parricida *Judææ* affectans Principatum tàm ambitionis quum parricidii, juſſu *Caſſii*, pœnas daret.

13. *Herodes* qui *Malichum* interfecerat apud *Antonium* à *Judæis* accuſatus facilè, pecuniæ vi, gratiam & veniam obtinuit, & omnia quæ acciderant ad res ſuas augendas facilè accommodavit. *Antigonus* filius *Ariſtobuli Parthos*, qui *Syriam* jam occupaverant, talentis 1000 & fœminis 500 conduxit ut ſibi regnum recuperarent. Cùm *Hieroſolymas* obſiderent, *Hyrcanum* & *Phaſaelum* ad ſe legatos miſſos detinuere.

14. *Herodes* autem *Hieroſolymis* elapſus in *Arabiam* fugit ad opem implorandam, ubi precibus parùm ſuccedentibus *Romam* proficiſci eſt auſus ibique ad *Antonium* ſe conferens fortunam ſuam deploravit. *Antonius* gratiâ *Antipatri*, pecuniâ autem oblatâ præcipuè motus Senatum induxit ad regnum ei deferendum, rem promovente *Octavio Cæſare*. Atque adeò, cùm ipſe dignitatem hanc non ſibi ſed *Alexandro Mariamnæ* uxoris ſuæ fratri, *Ariſtobuli* filio, cenſuiſſet petendam, utpote qui honori tanto impar eſſe ſibimetipſi videbatur, omnibus pæne attonitis, Rex *Judææ* fuit declaratus atque intra dies ſeptem ab *Italia* dimiſſus, *Olympiadis* 185ᵃ anno primo, ante *Chriſtum* 37°, *A.M.* 3965. *Domitio Calvino* ſecundùm & *C. Aſinio Pollione* Coſſ.

15. *Siloni*

15. *Siloni* & *Ventidio* in mandatis datum eſt ut *Herodi* ad regnum obtinendum adeſſent. Obſedit *Hieroſolymas*, at ingruenti hyeme copias in hyberna reduxit, & *Ventidio* minimè fidens ad *Antonium* proficiſcitur *Samoſatæ* ad fluvium *Euphratem* ſitæ tunc temporis agentem, qui eum honorificè exceptum *Soſii* curæ commendat. *Hieroſolymæ* itaque legionibus undecim & equitum 6000 expugnatæ poſt menſes quinque ſunt. *Antigonum* captum *Antonius*, flagitante id *Herode*, *Antiochiæ* ſecuri percuti juſſit, atque *Aſmonæorum Imperium* finem habuit, poſtquàm annos 98 à *Syrorum* jugo *Judæa* fuiſſet libera, *Herodes* verò alienigena rerum potitus eſt. *Hieroſolymæ* captæ ſunt, menſe tertio, jejunii die, eodemque quo à *Pompeio*, ante anno 27, Templum fuiſſet receptum, *Olympiadis* 185ª anno ultimo, *M. Agrippa* & *Canidio Gallo* Coſſ.

CAP.

CAP. VIII.

Res Siciliæ Imperio Macedonum Contemporaneæ.

A Timoleontis obitu usque ad bellum Siculum seu Punicum Primum.

Spatium Annorum 73.

1. CUm *Timoleontis* leges & institutа, ad *Democraticam* rerum formam spectarent, & plebs effræni licentia uteretur; *Sicilia* haud diu pacata fuit, Principum enim legitimo imperio destituta, Tyrannorum insidiis patuit, inter quos *Agathocles* meritò locum primum obtinet ob sagacitatem, immanitatem & rerum gestarum magnitudinem. Patrem habuit *Carcinum* figulum, à quo expositus, quòd *Carthagini* & *Siciliæ* magnarum calamitatum authorem eum fore Oraculum prædixerat, à matre fuit servatus. Adolescens à *Dymante* copiarum Præfecto alebatur ob formam egregiam, tandemque creabatur *Militum Tribunus* ejusque pòst viduam duxit. *Crotonem Italiæ* urbem in potestatem suam redigere frustrà conatus *Syracusas* venit ubi Tyrannidem affectare visus in exilium est pulsus. Exercitu autem comparato adeò

adeò cives terruit ut eum revocarent juramento obstrictum nihil contra Populi potentiam moliturum.

2. Revocatus Dux statim creatur, plebe Orationibus ejus Democratiam puram spirantibus ineſcata. Exercitu in urbem ducto optimatum stragem magnam edidit, notâ illis inustâ Aristocratiæ affectatæ. Millibus quatuor hac ratione cæsis 6000 in fugam se conjecerunt, & *Agathocles* Dux solus ab insana plebe creatur. Potentiâ his insidiis occupatâ, humanitatem summam præ se tulit &, exercitu numerosissimo conscripto, *Siciliam* longe lateque subjugavit, *Carthaginiensibusque* bellum intulit, quibus, cùm in insula esset, inferior, *Africam*, inermem veluti & vacuam, invasit, & quam primùm appulisset naves suas combussit, ut omni fugæ spe sublata, miles, desperata aliàs salute, se fortiter gereret.

3. *Carthaginienses* audaciâ tantâ attonitos & perculsos magnis effecit cladibus, eorum rebus in *Sicilia* nunc parùm prosperis. *Amilcare* enim duce, cùm *Syracusas* secundùm obsideret, capti & necati exercitus in factiones duas secessit. *Agathocles* verò, militibus qui in seditionem inciderant pacatis, victor sæpe ex præliis evasit, atque *Ophellum* ex *Alexandri Magni Ducibus* unum, qui *Cyrene* occupata ditionis suæ augendæ quamvis opportunitatem captabat, prædæ spe ad se allectum interfecit perfidissimus. Quo facto *Regem* se dixit, atque *Archagatho* filio in *Africa* relicto, in *Siciliam* revertitur, &

civitates

civitates reducit qui defectione facta exules receperant. Atqui res ejus ſtatim ad ruinam uſque delabi cœperunt.

4. In *Sicilia* enim *Dinocrates* manum hominum adeò formidandam collegit ut cum eo congredi non auderet. In *Africa Carthaginienſes*, *Bomilcare* qui Tyrannidem affectabat, oppreſſo, vicerunt *Archagathum*, & locos pleroſque recuperarunt. *Agathocles* à filio revocatus, antequàm ab inſula ſolveret, *Syracuſanorum*, quos ſibi iniquiores putabat, multos occidit, ne novis rebus darent operam. In *Africam* delatus ſe *Carthaginienſium* viribus imparem prorſus vidit & de fuga cogitavit; *Archagathus* autem deſerendus, conſilio ejus o facto, exercitum in ſeditionem conjecit qui Tyrannum compedibus vinxit, quibus poſtea ſolutus in navem evaſit & fugit. Hoc intellecto, filios ejus ambos milites necarunt.

5. In *Siciliam* reverſus omni crudelitatis genere in *Ægeſtanos* Sæviit, machinâ quadam, inter alia tormentorum inſtrumenta, factâ, qua, ut *Phalaris* olim tauro ſuo, homines vivos combureret. In difficultates tamen magnas conjectus brevi Tyrannidem deponere ſtudebat, quam tamen *Dinocratem* occupaturum aggreſſus eſt & vicit. *Caſſandrum Macedoniæ* Regem *Corcyra* expulit, à *Brutiis* magnam accepit cladem; *Crotonem* cepit & diripuit magna ſtrage civium edita. Societate cum *Demetrio Poliorcete*, qui *Macedoniam* nunc tenebat, inita, aliam in *Africam* profectionem

factionem meditans, *Archagathi* nepotis sui insidiis sublatus est, qui *Agathoclem* Tyranni filium sibi prælatum indigne ferebat quem etiam interfecit vino gravem factum. Spirans adhuc *Agathocles* rogo ab *Oxythemio Demetrii* legato impositus est cùm vixisset annos 72, regnasset 28, (ut inter alios scripsit *Antander* ejus frater) *Olympiadis* 123æ anno secundo, *A. M.* 3718.

6. *Agathocle* sublato, libertatem recuperarunt *Syracusani* quam opprimere conatus *Mænon* *Ægesthanus* parricidii minister atque Tyrannidem invadere, *Archagathum* etiam occidit, sed spe sua & incepto excidit, pace inter *Carthaginienses*, quibus se conjunxerat, & cives facta. Mercenarii à civibus rejecti *Messenen*, oppressis incolis, occuparunt, quam lingua sua *Campana Mamertinam* ex *Marte* nominarunt, quo tempore Legio *Romanorum Campana* ad *Rheginis* opem ferendam missa, bello jam inter *Romanos* & *Tarentinos* ardente, *Rhegium* eadem perfidia occupatam tenebat. Non longo pòst tempore *Pyrrhum Epiri* Regem *Syracusani* adversus *Africanos* in insulam ex *Italia* vocarunt, qui, principio re bene gesta, tandem crudelis factus spei suæ fecit jacturam & in *Italiam* rediit.

7. *Pyrrho* in *Italiam* reverso, *Syracusani* milites, nullo exemplo freti, *Prætores* duos ex sua multitudine crearunt *Artemidorum* & *Hieronem*, indignante populo & molestè ferente potestatem suam ab exercitu usurpari. *Hieroni* tamen *Hieroclis* filio ob summam humanitatem

humanitatem virtutesque alias Magistratum confirmarunt, qui mercenarios milites turbulentos *Mamertinorum* excursionibus objecit, adeoque contrivit, nt securus postea regnaret. *Mamertinos*, annis aliquot elapsis, aggressus est sedulus & tanto fudit prælio ut de deditione cogitarent, cùm *Hannibal Carthaginiensis* fortunæ *Hieronis* prosperæ invidens, eum dolis ab ulteriore oppugnatione abstraheret, *Mamertinis* etiam vana spe delusis.

3. *Hiero* tamen *Syracusas* reversus in præmium virtutis *Rex* à Populo salutatur. *Hannibal* Castellum *Mamertinorum* occupavit atque ob id illis suspectus, cum *Hierone*, ut junctis viribus urbem oppugnarent, societatem contraxit. Hac conjuratione *Mamertini* excitati ad auxilium sibi conquirendum *Romanorum* implorárunt opem. Senatus, qui *Campana* Legionis perfidiam internecione nuper punierat, his quidem ejusdem sceleris reis adesse planè recusavit; at Populus, cùm solus authoritate valeret, à *Prætore* monitus *Siciliam* omninò occupandam esse ad *Carthaginiensibus* meliùs resistendum & fines imperii producendos, milites etiam singulos *Tarentino* exhaustos lucrum ingens ex hoc bello reportaturos, exercitum conscribi & auxilium mitti jussit.

9. Sic *Bellum Siculum* seu *Punicum Primum* incepit, inter res gestas *Romanorum* recensendum (quibus *Sicilia* deinceps fuit subjecta) anno ab *Agathoclis* interitu 22°, *Olympiadis* 129ª primo, *Romæ* conditæ 490°, *Antiochi Soteris*

Soteris 19°, *Ptolomæi Philadelphi* 21, *A. M.* 3741. *Appio Claudio Caudice* & *M. Fulvio Flacco* Coss.

CAP. IX.

Res Romanorum Imperio Macedonum Contemporaneæ.

Sect. 1.

A bello cum Privernatibus gesto usque ad Punicum Primum quo Romani Italiâ primum Egressi sunt.

Spatium Annorum 66.

1. PRiverno capto bellum contra *Palæpolitanos* decretum est. Eadem *Chalcidensium* colonia *Palæpolin* & *Neapolin* ad *Oram Italiæ* maritimam incolebat. *Palæpolitani* viribus suis & *Samnitum* confisi, atque animati insuper quòd *Romam* pestilentia invasisset, *Romanos* circa *Falernum* habitantes injuriis variis affecerunt, at victi se dedere compulsi sunt, & *Samnites* urbium trium jacturam fecerunt. *Tarentini* autem rem pertraxerunt, in quos *L. Papyrius Cursor* Dictator

tor creatus *Fabium Rutilianum* equitum Magiſtrum qui contra hoſtem, licèt præter mandatum fœliciter tamen, pugnaverat, ſecuri percuti voluit, & ab hoc conſilio vix Populi precibus revocatus eſt.

2. *Papyrius Samnites* vicit qui pacem petentes repulſam tulerunt. Exercitum *Romanum* non multo pòſt ad *Caudinas Furcas* interceptum ſub jugum mittunt, conditioneſque cogunt admittere adeò Populo *Romano* indignas, ut Senatus eas probare noluerit atque bellum redintegraverit quo *Samnites* ſæpiùs ſunt victi, atque *P. Decius Mus* quartùm Conſul factus, prælio cum iis & *Gallis Senonibus* commiſſo, pro exercitu populi *Romani* ſe Diis manibus devovit, & in confertiſſimam hoſtium turbam irruptione facta, confoſſus periit, anno circiter 44 poſtquàm pater ejus contra *Sabinos* pugnans idem feciſſet & paſſus eſſet.

3. Notandum *Romanos* de *Samnitibus* tricies triumphaſſe: *Conſules* ſcil. vicies ſexies, *L. Papyrium Dictatorem* bis, *P. Philonem* ſemel, & primùm cum poteſtate Proconſulari; Semel etiam *Q. Fabium* Proconſulem alium. *Fabia Gens* triumphos quatuor, *Papyria* quinque obtinuit. Bellum autem cum *Samnitibus* geri cœpit anno urbis conditæ 410, deſiit 481, atque adeo annos duravit 71. Populus *Romanus* hoſtis nullius expertus eſt vires qui diutiùs & pertinaciùs bellum geſſerit.

4. Dum foris *Romani* bellum gerunt in domeſticas ſeditiones incidunt, quæ tandem componuntur

componuntur *Sacerdotio* & *Auguratu* plebi communicato: Atque tertiùm Provocationis Lex renovata eſt. Brevi etiam poſt tempore, ſeditionibus ob æs alienum renovatis, à Patriciis Plebs tertiùm diſceſſit in *Janiculum*, quam ut reduceret Q. *Hortenſius* Dictator factus legem tulit quæ Plebiſcitis legum vim & poteſtatem tantam attribuit ut *Quirites* omnes obligarent. Hoc autem bis antea fuerat conceſſum annis ſcil. *V. C.* 305. *L. Valerio* & *M. Horatio* Coſſ. atque 416°. Q. *Publio Philone* Dictatore. Hic minimè audiendus *Florus* qui matrimonii causâ tertiam Plebis diſceſſionem factam ſcribit.

5. Annis aliquot elapſis in bellum cum *Tarentinis* Populus *Romanus* incidit. *Tarentini*, à *Parthenis* orti (qui *Sparta* pulſi in his oris conſederant) diſſuebant luxu, *Romanorum* claſſem adoriebantur, *L. Valerium* Duumvirum occidebant, & violabant *L. Poſtbumium* legatum. Bello contra eos decreto *Pyrrhum Epiri* Regem in auxilium vocarunt qui omnium primus elephantos adduxit in *Lucaniam*, inde *Lucas Boves Romanis* appellatos. His in prælio uſus *Lævinum* Conſulem vicit, 1800 *Romanorum* captis, atque copiis auxiliaribus contractis verſus *Romam* protectus eſt, omnia ferro & igne vaſtans uſque ad *Præneste* & ad 18 ab urbe lapidem. Hic ſeriò ſecum reputans quàm arduum opus *Romanos* vincendi moveret, altero belli anno per *Cineam* legatum virum eloquentiſſimum ſolicitavit Senatum ad pacem & fœdus ineundam.

6. Senatum

6. Senatum ad pacem inclinantem *Appius Claudius* ætate gravis & cæcus, qui ante annos 17 Conſul fecundùm fuerat, in curiam veniens, deterruit, ne fœdus cum eo facerent: Tanta enim erat in eo vis animi ut in illo ſuo caſu nec privato nec publico muneri deeſſet. Egregiam etiam nunc operam Reip. navavit *C. Fabricius Luſcinus* quem *Cicero* confert cum *Ariſtide Athenienſi*. Hic de captivis redimendis ad *Pyrrhum* miſſus & ſolicitatus ad defectionem ampliſſima ejus munera contempſit atque promiſſa: Nec id modò, ſed captivum ei remiſit perfugam qui veneno ſe poſſe Regem tollere confirmarat. Præliis nonnullis ſuperior *Pyrrhus* nihil tamen profecit, *Romanis* ex cladibus magis animatis. A *Siculis* igitur contra *Carthaginienſes* de auxilio ſolicitatus lubens in inſulam trajecit ubi opportunitatem majorem rem bene gerendi nanciſceretur.

7. Reverſum in *Italiam*, poſtquàm ſpe ſua excidiſſet, *Maximus Curius Dentatus* omnino profligavit & in regnum ſe recipere coegit. *Romani* tantam obtinuerunt gloriam, ut, famâ victoriæ longè latêque ſparsâ, *Ptolomæus Philadelphus* ad ſocietatem cum illis contrahendam legatos miſerit. Anno tertio poſt *Pyrrhi* diſceſſum, cùm *Tarentini* nec Caſtellum, quo *Pyrrhus* præſidium reliquerat, expugnare poſſent, nec pacem à *Romanis* impetrare; *Carthaginienſium* implorarunt opem quæ tamen non adeo eis profuit quin vincerentur. Caſtello dedito, urbs etiam in *Romanorum* manus

manus brevi tradita est qui, pace civibus concessa, muros complanarunt, *A. V. C.* 482. *L. Papirio Cursore* & *Sp. Carvilio Maximo* secundùm Coss. qui de *Samnitibus* & *Tarentinis* victis triumpharunt.

8. *Romani* quicquid jam *Italiæ* erat, id in suam ditionem penè perduxerant, *Lucaniis* & *Hetruscis* non ita pridem victis. Paulò pòst *Campanæ* Legio quæ *Rhegium* occupaverat obsessa capta est & securi percussa. *Picentibus* victis pax data, *Coloniæ Ariminum* & *Beneventum* deductæ. Eodem tempore pecuniæ argentea primùm *Romæ* signabatur, argenti copia multa in castello quodam *Samnitum* inventa, anno scil. quinto ante bellum *Punicum Primum*, *Antiochi Soteris* 14°, *Ptolomæi Philadelphi* 16°, ante *Æram* Christi 267, *A. M.* 3736. *V. C.* 485. *C. Fabio Pictore*, & *Q. Ogulnio Gallo* Coss.

Sect. 2.

A belli Punici Primi initio usque ad bellum cum Antiocho Magno gestum quo Asiam primum Romani invaserunt.

Spatium Annorum 37.

ROmani, *Pyrrho* & *Tarentinis* victis, adeo formidabiles facti sunt nt nihil eorum nomini & virtuti potuerit obstare quo

minùs *Italiam* universam statim & *Siciliam* ditioni suæ adjicerent. *Umbris* & *Sallentinis* enim nuperrimè subactis *Quæstorum* etiam numero ad octavum adaucto, *Appius Claudius* cum exercitu in *Siciliam* trajecit, qui, *Hierone* primùm, mox *Carthaginiensibus* fusis, *Mamertinos* obsidione liberavit. Anno sequenti *Hiero Romanorum* apparatu territus pacem cum iis fecit his legibus, ut captivos traderet, argentique solveret talenta centum.

2. *M. Valerius Maximus* qui cum *Manio Otacilio* Consulatum gerebat à *Messana* capta cognomentum *Messalæ* accepit, atque *Catanæ* horologium novum *Romam* transtulit anno circiter trigesimo postquam *Papyrius Cursor* primum in urbe proposuerat. Hoc, imperfecto licet, Populus per annos 99 usus est eò usque donec à *M. Philippo Censore* alterum numeris suis absolutum juxtà fuisset positum, quo tempore fere *Scipio Nasica* Censor diem clepsydris in horas dividebat: *Plinius* etiam ex *Varrone* refert Tonsores primos *Romam* fuisse *Siciliâ* adductos à *P. Ticinio Mena* (atque adhoc usque tempus *Romanos Cæsariem* suam nunquam totondisse) circa annum *V. C.* 454 *Scipio Africanus* quotidiè primus barbam deraſit, quem imitatus est *Augustus* quo nemo frequentiùs novaculâ utebatur.

3. Anno sequenti post obsidionem diuturnam *Agrigentum* ceperunt *Romani* duces, *L. Postbumio* & *Q. Mamilio* Coss. Quo elati successu rei maritimæ operam dare statuerunt cu

cum vix anteà mare unquam attigiſſent. Atque principio quidem eorum incepto auræ proſperæ aſpirarunt, in *Sardiniam* & *Corſicam* aditu facto, & rebus terrâ feliciter geſtis. At bello in *Africam* tranſlato, quamvis Conſules in tranſitu ſuperaſſent hoſtium claſſem, eorumque alter *M. Attilius Regulus*, copiis *Carthaginienſium* profligatis, cepiſſet *Tunetum*, ipſe tamen paulò pòſt victus & captus fuit à *Xanthippo Lacedæmonio* qui *Pœnis* militabat, ex 30000 paucis ſuperſtitibus. Anni autem proximi Conſules *Africâ* revertentes dum prædam & victoriæ ſigna oſtentare volentes gubernatorum in navigando Conſilium ſpernerent ex tempeſtate inauditum naufragium ſunt paſſi, ex navigiis 464 vix 80 ſervatis. Qui anno abhinc ſecundo conſulatum gerebant *Africam* verſus navigantes ad inſulam *Lotophagorum Meningem* dictam non procul à minori *Syrte* idem infortunium ſubierunt, 150 navibus naufragio amiſſis.

4. Senatus igitur tot tantiſque cladibus mari acceptis nihil ulteriùs claſſe tentandum ſtatuit. Anno ſequenti *L. Cæcilius Metellus*, & *Cn. Furius Pacilus* Coſſ. cum legionibus miſſi ſunt, quorum ille ingenti prælio *Carthaginienſes* vicit, cæſis viginti millibus hominum, & ad pacem petendam adegit. Inter legatos qui de pace agerent & redimendis captivis fuit *M. Attilius* qui niſi impetraret ad vincula rediret. Cum autem *Romam* veniſſet plane diverſum Senatui ſuadebat, neque ex uſu Reipub. id eſſe demonſtrabat; Deinde

quòd fidem hosti servandam esse diceret, *Carthaginem* reversus crudelissimo supplicii genere excarnificatus est. Quidam crucis supplicio enecatum volunt: *Eutropius* omnibus suppliciis fuisse extinctum; cæteri omnes insomnio, etsi alio atque alio cruciatus genere, tradunt.

5. *Romani*, classe parata, *Lilybæum* obsident, classis tamen brevi pessundata est, & *Amilcar Barcas Carthaginiensis* deprædationibus *Italiam* infestavit. Per *Septennium* itaque à mari abstinuerunt donec ab *Amilcare* vehementer irritati classem redintegrare, ad ultimas velut fortunæ vices tentandas, statuerint: Atque his extremis conatibus ad *Ægates* insulas tanta hostes affecerunt clade ut pacem iterùm petere cogerentur & accipere his legibus, *Ut Siciliam aliasque insulas inter eam & Italiam jacentes missas facerent, nec Syracusanis nec eorum sociis bellum inferrent, captivos omnes liberarent, atque intra tempus certum solverent talenta* 2300. Sic tandem *Bellum Punicum Primum* post annos 24 finem accepit, postquàm *Lilybæum* per quinquennium fuisset obsessum. *A. V. C.* 513. *Olympiadis* 134ᵃ anno quarto, *Seleuci Callinici* sexto, *Ptolomæi Euergetæ* sexto, ante *Christum* natum 239°, *A. M.* 3764. *A. Manlio Torquato* secundùm & *Q. Lutatio Cercone* Coss.

6. *Carthaginienses* pacem petebant ut bello meliùs consulerent, at in graviora ilicò pericula sunt conjecti quàm ex bello cum *Romanis* oriri potuerant. Mercenarii enim un congrega

congregati ante missionem suam plus stipendii quam Resp. ipsa solvendo erat postularunt, ut debitum sibi solvi, & flagitiosissimorum hominum quorundam consilio qui ex rebus turbatis sibi impunitatem quærebant, impulsi bellum periculosissimum *Carthagini* intulerunt, *Libycum*, *Africum* & ξηρικὸν dictum, quo post triennium ægrè se explicavit, atque magistrâ experientiâ, tandem didicit tot Mercenariis in unum loçum coactis parùm confidendum, & subditos adeò crudeliter ac antea non esse tractandos.

7. Anno *Bellum Punicum* sequente, *V. C.* 514. *C. Claudio Centone* & *M. Sempronio Tuditano* Coss. *Ennii* natalitia præcedente, primæ *Comœdiæ* & *Tragœdiæ* à Poeta *Græco Andronico* (à *Livio Salinatore Livio* cognominato) factæ sunt annô 160 ab obitu *Sophoclis* atque etiam *Euripidis*, à *Menandri* morte quinquagesimo secundo. Ante Comœdias & Tragœdias *Satyræ* in usu *Romanis* erant, unde *Satyræ* versus *Fescennini*. Anno abhinc quarto *Ludi Sæculares* tertiùm celebrati sunt, *Ludi Magni*, & *Terentini* dicti à *Terento* loco quodam in *Campo Martio* quo *Manius Valesius* eos primus celebravit. Notandum hic *Ludos* omnes *Sæculares Terentinos* esse, non autem omnes *Terentinos* esse *Sæculares*. Vel *Majores* erant *Sæculares* & *Quindecimvirales* ad distantiam annorum 110 celebrati, vel *Minores* intra spatium annorum centum. De quibus omnibus prolixè in Institutione nostra diximus.

8. Anno post bellum *Punicum* sexto, *Jani* Templum secundùm clausum est, cùm *Romanis* nullum jam bellum esset, *Sardiniâ* à *Tito Manlio Torquato* nuper in Reipub. ditionem perductâ. Sequenti anno, *V. C.* 520. divortium primum *Romæ* fecit *Sp. Carvilius Ruga*, qui quamvis id se facere liberorum quærendorum gratiâ profiteretur, magnum tamen populi odium incurrit. Eodem anno *M. Porcius Tusculi* finibus natus est, *Catus* ab ingenii sagacitate dictus (unde denominativum *Catulus*;) & *Cn. Nævius* Poeta Populo fabulas edidit, qui bellum *Punicum Primum* scripsit versibus *Saturniis*. Tricesimo abhinc mortuus est & epitaphium suum composuit ipse arrogans satis quod *Gellius* commemoravit unà cum aliis *Plauti* & *Pacuvii*.

9. Sexennio exacto Templum *Jani*, bello cum *Illyriis* orto, apertum est. *Teuta* enim *Illyriorum* Regina, vidua *Agronis*, (qui ex potatione nimia in pleuritidem incidens è vita excesserat) subditis suis quosvis navigiis infestandi licentiam dederat, qui *Phœnicæ* urbe *Epiri* capta *Italos* Mercatores graviter mulctaverant. Tantum autem abfuit ut Regina his malis remedium præberet, ut Legatorum unum qui liberiùs disseruerat occidi jusserit. Bellum igitur in eam decretum est, quod adeò fœliciter administravit *Fulvius* Consul, ut urbes *Illyrici* vel deditæ vel expugnatæ fuerint, & *Teuta* fugiens pacem per legatos peteret, quam concesserunt *Romani* his conditionibus, *Ut Tributum annuum pen-*

deret

deret, ab Illyrico toto paucis locis exceptis decederet; ultra fluvium Oriſſum ne navigaret navibus pluribus quàm lembis duobus iiſque nullo telorum genere inſtructis.

10. Per novennium *Illyrii* in fide manſerunt, uſque ad annum *V. C.* 535, quo deficientes ab *Æmilio Paulo* & *M. Livio* Coſſ. fuerunt devicti, & *Demetrio Phario* regno pulſo quod occupaverat, populo certa pecuniæ vis annua, *Pineo* filio *Agronis* ſolvenda, imponebatur. Modo autem illo bellum cum *Teuta* geſtum finem accepit, quod *Florus* pro more ſuo perperàm à *Gallico Ciſalpino* poſuit. Anno enim quo pax *Teutæ* data erat *C. Flaminius Trib. Pl.* legem rogando qua terra *Gallorum Ciſalpinorum* ſubjuga populo viritim dividteretur adeò graviter eos commovit ut omnia ſibi potius ſubeunda ſtatuerent quàm ſedibus privari & exulare patriâ. Incidit hoc bellum in annum *V. C.* non 522 (quod *Polybius* ſcripſit) ſed 526, *Q. Fabio Maximo*, & *Sp. Carvilio Max.* utroque ſecundùm, Coſſ.

11. *Galli* de auxilio *Inſubres* ſolicitabant qui tanquam ad bellum gentile *Gallos* alios *Tranſalpinos* ad *Rhodanum* habitantes & *Gæſatas* dictos vocarunt. Peditum 50000, equitum 20000 in *Etruriam* irruperunt. *Roma*, tanti apparatus nuncio accepto, tota in metum & mæſtitiam ſolvitur *Gallos* tanquam ſibi funeſtiſſimos metuens. Militaris ætatis tabulæ undique eruuntur. *Itali* ad prælium ſe parant non tanquam pro *Romano* Imperio ſed aris & ſocis decertaturi, adeò ut, delectibus ſumma

cum industria habitis, exercitus Peditum 700000, Equitum 70000 conscriberetur. Ita quidem *Polybius* scripsit: at *Fabius Pictor* qui bello ipse interfuit 880000 in parato *Romanos* habuisse tradidit.

12. *Gallos*, dum in *Etruria* igni ferroque omnia vastant, *Romani* Duces circundantes in tantas angustias conjecerunt ut undique pugnare coacti conciderentur; *Gæsatis* qui corpora sua nuda hosti objiciebant in fugam statim actis qua cæteri sunt conturbati. Cæsa sunt hominum 40000, capta 10000, inter alios *Concolitanus* Rex; alter *Averoestius* sibi manus intulit. Hac clade *Galli* consternati pacem rogarunt cui obstiterunt sequentis anni Consules *M. Claudius Marcellus* & *Cn. Cornelius Scipio* ex ulteriori contentione rerum gerendarum gloriam captantes.

13. Consules *Acerras* in regione *Insubrum* obsident, *Galli* verò *Clastidium* ubi, gravi prælio commisso, cæsi sunt. *Marcellus*, occiso *Virdomaro Gæsatorum* Rege, tertius *Opima Spolia* obtinuit & dicavit *Jovi Feretrio*, quamvis *Numa Quirino* ea dedicari jusserat. Triumphi titulus significabat cum *Gallis Insubribus* *Germanos* etiam fuisse victos, qui haud alii videntur quam *Gæsatæ* errore quodam sic dicti. Quidam *Gæsatas* à teli certi genere nominatos volunt, cum *Teutonico* idiomate *Gaesis* potius fuerint vocati scil. *Hospites*, cùm essent mercenarii. Bellum autem hoc modo finitum est post sexennium.

14. Anno

14. Anno tertio à *Gallico* cœpit *Bellum Punicum Secundum*. *Annibal Amilcarii Barca* filius (quem novennem adhuc puerum pater in *Hispaniam* ducens, juramento, hostiâ tactâ, obstrinxerat nunquam amicum *Romano* Populo futurum) Dux *Carthaginiensium* post patrem & *Asdrubalem* creatus *Hispaniam* totam trans *Iberum* fluvium subjugaverat præter *Saguntum* urbem. *Romani* à *Saguntinis* sociis suis de progressu ejus certiores facti legatos miserunt qui nullo modo valebant obstare quo minùs *Saguntum* etiam oppugnaret. Illorum enim consilium probè noverat qui hanc urbem belli sedem futuram sperabant, atque ex longinquo belligerare, ut rebus *Illyrici* se liberiùs possent explicare & intactam conservare *Italiam*.

15. *Sagunto* expugnata (cujus cives extrema omnia perpessi clarum fidei & virtutis monumentum extitere) *Romani* legatos *Carthaginem* miserunt qui *Hannibalem* dedi poscerent utpote fœderis rupti reum, & si hoc non concederetur, denunciarent bellum, quod denuntiatum & acceptum est. Anno igitur sequenti, *V. C.* 536. *Antiochi Magni* sexto, *Ptolomei Philopatoris* quinto, *P. Corn. Scipione & Tib. Sempronio Longo* Coss. vicesimo quarto post pacem factam, alterum bellum *Punicum* exortum est, quod *Polybius* descripsit atque ab illo *Livius* qui librum historiarum ejus vicesimum primum ad verbum pæne transcripsit.

10. *Annibal* 26 annos natus, *Hiſpaniâ* jam totâ devictâ, cum 50000 peditum atque equitum 9000, *Hannone* ad regiones ſuperatas tutandas relicto, per *Galliam*, *Alpibus* ſuperatis, menſe quinto in *Italiam* venit. In itinere magnam amiſit exercitus partem cujus ſuperfuere tantùm ex peditibus 18200 equitum vero 6000. *Scipionem* & *Sempronium* Conſules ad *Ticinum* & *Trebbiam*, poſtea *Flaminium* ad lacum *Thraſymenum* magnis præliis ſuperavit. Populus *Romanus* his cladibus conſternatus *Q. Fabium Maximum* creavit *Prodictatorem* (cùm Conſul ad *Dictatorem* nominandum adeſſe non poſſet) qui cunctatione vim hoſtis & impetum refregit, reverſus autem malè à Tribunis & aliis acceptus eſt quaſi bellum protraxerat. Hinc occaſio arripitur *Terentium Varronem* hominem imprudentem & temerarium Conſulem creandi, qui, refragante licèt Collega *L. Æmilio Paulo* viro cordatiſſimo, cum *Annibale* ad *Cannas* confligere voluit, ubi exercitus *Romanus* victus pæne totus & conciſus eſt.

17. Hæc clades tantam concitavit in urbe trepidationem ut plerique potentiores de fuga cogitarent & *Italia* relinquenda, ſed à *P. Cornelio Scipione P.* filio ingentis animi juvene, qui tum vigeſimum quartum ætatis annum vix agebat, confirmati fuerunt & retenti: Imo *Varroni* qui cladis author fuerat ab omnibus ordinibus obviâm profectum eſt atque gratiæ ſunt actæ quod collectis copiarum reliquiis de Rep. non deſperaſſet.

18. Si

18. Si *Hannibal* quidem *Romam* rectà fuiſſet profectus, capta belli arce facillimè potuiſſet rem totam conficere, noverat autem uti *Maherbal* Equitum Magiſter ei ſignificare non dubitabat, victoriam nanciſci, victoriâ autem uti plane neſciebat. *Capuam* enim luxu diffluentem exercitum ſuum ducens ibi rerum omnium copiâ corrumpi milites prorſus & enervari permiſit, undè non invenuſtè fuerit dictum *Capuam Annibali Cannas* fuiſſe.

19. *Hannibale* res ſuas ſic negligente, *Romani* animos ſtatim reſumpſerunt & *Carthaginienſium* fortuna paulatim cœpit labefactari. Ipſe ad *Cumas* re male geſta obſidionem ſolvere coactus eſt atque etiam à *Nola* recedere. In *Hiſpania*, *Sicilia*, & *Sardinia* *Romanorum* res ſunt auctæ. In *Sicilia* *M. Claudius Marcellus* *Syracuſas* obſedit, cives enim ab obitu *Hieronis* Regis nonagenarii à *Romanis* ſe alienaverant. Diu obſidionem tolerarunt, *Archimede* Mathematicorum Principe machinis ſuis procul amovente hoſtes. Tandem verò poſt triennium capta urbe cum cives negligentius agerent, inter alios occiſus eſt *Archimedes* ipſe qui in pulvere quædam deſcribens patriam non ſenſit eſſe captam.

20. Interitum ejus permoleſtè tulit *Marcellus* ubi reſcivit & ſepeliri juſſit. Urbem non ſolùm incolumem eſſe paſſus eſt ut ſcribit *Cicero*, ſed ita reliquit ornatam ut eſſet idem monumentum victoriæ, manſuetudinis & clementiæ: *Livius* autem iræ & invidiæ multa fædaque

fædaque ibi dicit edita fuisse exempla. Eodem tempore *Scipiones* finem immaturum bello *Hispanico* imponere studentes copias diviserunt & *Celtiberorum* insidiis conciſi sunt cum universis pænè militibus. Eorum tamen cædem *L. Marcius* Tribunus Militum probè ultus est qui *Carthaginienſes* etiam divisos improvisos & securos aggressus tanta affecit clade ut 37000 cæsis 1830 caperet ingenti præda onustus.

21. In *Italia Romani Capuam* obsident, & *Hannibal* Castellum *Tarenti* frustrà oppugnat, obsidionem verò *Capuæ* solvere non valens *Romam* ipsam profectus est, ubi fulgure & tonitru à congressu impeditus atque de fortuna multùm questus & de seipso *Rhegium* versus abiit. *Campanis* igitur omni spe auxilii erepta, *Capua Romanis* fuit dedita.

22. Diù multùmque deliberatum est an esset urbs delendæ: Postea placuit conservandam esse. Veruntamen ne posset unquam rebellare ademptus fuit illis ager, sublatus omnis Magistratus atque Senatus, publicumque consilium, imago nulla Reip. relicta, sed constitutum ut esset locus comparandis condendisque fructibus, receptaculum aratorum, nundinæ rusticorum, cella horreumque agri Campani. Hoc *Capuæ* infortunium accidit postquàm stetisset circiter annos 260, anno belli octavo, *V. C.* 543°, *Antiochi Magni* 13°, *Ptolomæi Philopatoris* 12°, *P. Sulpicio Galba, Cn. Fulvio Centumalo* Coss.

23. Sub

23. Sub idem tempus *P. Cor. Scipio* ſucceſſor datus eſt *Claudio Neroni* (qui ab *Aſdrubale* ſe decipi permiſerat) cùm, omnibus Imperium Proconſulare ob rerum gerendarum molem recuſantibus, ipſe viginti quatuor annos natus ultrò ſe candidatum profeſſus fuiſſet. Anno ſequenti *Siciliam* totam, *Agrigento* capto, in Populi *Romani* ditionem reduxit *Lævinus* Conſul cujus Collega *Marcellus* poſtea ex *Carthaginienſium* inſidiis interiit.

24. Paulò pòſt *Aſdrubal* frater *Annibalis* auxiliares copias ab *Hiſpania* in *Italiam* ducens à *M. Livio Salinatore*, & *C. Claudio Nerone* Coſſ. ad *Metaurum* flumen conciſus eſt, inſcio prorſus *Annibale* qui *Neronem* contra ſe caſtra habentem diſceſſiſſe ad Collegam adjuvandum non ſentiebat antequàm Conſul reverſus *Aſdrubalis* caput in *Carthaginienſium* Caſtra projici curaſſet.

25. Interea in *Hiſpaniis* rem fœliciter gerebat *P. Scipio* (cujus pater & patruus ibi occubuerant) & univerſâ provinciâ recuperatâ *Romam* rediit, Conſulque factus *Africam* à Senatu petebat ut *Carthaginienſibus* ipſorum intra fines bellum inferret. Vehementer ei reſtitit *Q. Fabius Maximus* ætate gravis, & non adeundam eſſe *Africam* ſed cum *Annibale* prælfandum eſſe contendit. *Scipio* contrà: Quod ſi *Pœnis* bellum inferatur in ipſorum finibus, fore ut neceſſitate coacti *Annibalem*, in quo ſummam ſpem & præſidium collocarant, ex *Italia* domum revocent. A

multa

multa disceptatione igitur *Scipioni* Senatus tribuit *Siciliam*: Et si quidem è Rep. esset ut in *Africam* transeat permittit.

26. *Scipio* è *Sicilia* sequenti anno in *Africam* trajecit, & quod Patribus promiserat re comprobavit ipsa nam præliis aliquot ab eo victi plurimisque damnis affecti *Carthaginienses* *Annibalem* revocarunt. Sic ille qui 16 annis per *Italiam* grassatus erat, qui sub *Romæ* urbis mœniâ castris locum delegerat, domum redire coactus est, quantumvis invitus atque dolens & tandem ingenti prælio superatus à *Scipione* *Carthaginiensibus* author erat ut pacem peterent. *Scipio* solicitus erat admodùm ne à Coss. præsentis anni, qui *Africæ* inhiabant, bellum finiendi gloriâ privaretur.

27. De Senatus itaque voluntate pax tandem his legibus facta est: *Ut* Carthaginienses *libertate fruerentur agrisque in* Africa *suis gauderent*, Hispaniæ *verò cederent & omnibus* Maris Mediterranei *insulis de quibus lis fuisset unquam: Ut transfugas omnes dederent atque omnes naves præter triremes decem, omnes etiam elephantos cicures, nullosque in posterum cicurarent. Ne cui absque* Romani *Populi consensu bellum inferrent: Omnia* Massanissæ *Regi* Numidiæ *restituerent cumque eo societatem inirent: Argenti talenta* 10000 *intra* 50 *annorum spatium solverent, obsides verò* 100 *traderent.* Sic *Bellum Punicum* Secundum finem accepit anno demum 180, atque *Scipioni* cognomen datum est ut *Africanus* diceretur.

28. Facta

28. Facta cùm *Carthaginiensibus* pace *Romani* præter illa quibus occupati fuerant per *Italiam*, *Istriam Lusitaniam*, grave quoque bellum gesserunt cum *Philippo Macedoniæ* Rege à *Græcis* quos oppressérat de auxilio solicitati, cùm ante decennium quoque belli occasionem præbuisset, fœdere cum *Annibale* inito. Post *Galbam* & *Tappulum* Coss. *T. Quintius Flamininus* contra eum missus est, cui (*Tribunis Plebis* rectè affirmantibus Ducum successionem annuam rebus gerendis vehementer obstare) Imperium exeunte Consulatu, prorogatum est. Hic *Philippum* ad *Cynoscephalas* victum pacem petere coegit, & de Senatus voluntate *Græciæ* libertatem concessit.

Sect. 3.

A bello cum Antiocho gesto usque ad Carthaginis excidium, ex quo tempore Romani securi jam facti degenerarunt.

Spatium Annorum 45.

1. ANtiochus, *Asiæ*, & *Syriæ* Rex *Attali Romanorum* socii regnum invaserat, *Ægyptum* fuerat aggressus, Civitates *Græcas* oppugnaverat eo prætextu quòd *Asiæ* Regibus paruissent quondam, quibus de rebus cùm *Romani* cognitionem sibi assumerent, inde simultates sunt ortæ quas auxit *Hannibalis* conatus.

conatus. Hic ad Regem se contulerat, quem in bellum accendebat *Ætolorum* invidia, qui de præda, *Philippo* victo, cum *Romanis* contendentes, cùm avaritiam non possent, odium & iram explere cupientes *Antiochum* in bellum pertraxerunt.

2. Contra *Antiochum* missus *M. Acilius* Regem ad *Thermopylas* vicit. *L. Cornelium Scipionem* verò bellum finiendi honor manet qui Consul electus, cùm Collega *C. Lælius Nepos Græciam* sibi dari vehementer peteret, fratris *Africani* operâ, qui se legatum ejus profecturum dicebat, tam *Græciam* Provinciam quam facultatem in *Asiam* transeundi impetravit. *Mario* superato ingenti prælio Regem in *Asia* vicit pacemque coegit petere, ut suprà à nobis pluribus dictum. *Ætolis* etiam debellatis pax tandem datur. *Galatis* à *Manlio* Consule infertur bellum, cujus exercitus luxuriam primùm domum reversus in urbem induxit.

3. Triennio exacto *Scipio Africanus* de peculatu accusatur quasi prædâ in bello captâ ærarium fraudasset; dicsque illi dictus à Tribunis. Ille qui tot tantaque in usum Reip. fecerat respondere non sustinuit, sed concione tota avocata in capitolium ascendit Diis de victoriis suis gratias facturus, atque *Linternum* decessit, ubi anno exilii quarto mortuus est. Eodem anno diem suum obiit *Philopœmenes Achæorum* Dux, & *Hannibal* ipse qui ad *Prusiam Bithyniæ* Regem fugerat. *Philopœmenem* captum *Messenii* venenum bibere coegerunt.

coegerunt. *Hannibal*, cùm ſe evadere non poſſe intelligeret, (*Quintio*, ut ſibi dederetur poſtulante) ſumpto veneno quod in annulo geſtaverat obiiſſe dicitur.

4. Eodem tempore *L. Scipio* (ab *Antiocho* ex *Aſia* rejecto trans *Taurum Montem*, *Aſiaticus* cognominatus) peculatus etiam damnatus fuit. Sequenti anno *Bacchanaliorum* myſteria fœdiſſima in lucem prolata ſunt, quibus multi perierant velut hoſtiæ mactati, aliaque crimina nefanda admiſſa fuerant. Poſtea cum *Liguribus* bellum geſtum, & *Corſica* ſubacta eſt. Brevi pòſt exortum eſt bellum *Macedonicum Secundum* ſive cum *Perſeo*, anno *V. C.* 583, à pace cum *Philippo* facta 24, dum *Antiocho* 17°.

5. *Philippus Macedoniæ* Rex ſe in anguſtias Magnas à *Romanis* redactum graviſſimè tulerat, ac bellum cogitaverat redintegrare, at morte præoccupatus ſucceſſorem habuit *Perſea* filium. Hic jampridem à *Romanis* irritatus bellum quoque velut hæreditarium acceperat: Sed *L. Æmilius Paulus* Secundùm Conſul prælio eum tandem vicit & unà cum uxore, matre liberiſque cepit, inque triumpho duxit, vocatus idcircò *Macedonicus*. Eodem tempore *Macedonia* facta eſt Populi *Romani* Provincia, prout ſuprà fuſiùs diximus, *A. V. C.* 586. *L. Æmilio Paulo* ſecundùm, *L. Licinio Craſſo* Coſſ.

6. Paulò poſt *Andriſcus* quidam ignobili loco natus *Perſei* filium ſimulavit & bellum *Romanis* intulit, at à *Q. Metello* Prætore victus

ad

ad *Byzum Thraciæ* Regem fugit à quo deditus est. Tandem *Bellum Punicum* Tertium exortum, *Romanis* ansam contentionis sedulo captantibus. *Carthaginienses* quidem otii impatientes vicinis fere suis omnibus, ortis de agris quibusdam controversiis, præsertim vero *Massanissæ* Regi *Numidiæ* Populi *Romani* socio & amico bellum intulerant. *Romani* qui arbitri delecti se æquo Regi amiciores ostenderant, solicitati à *Massanissa* de auxilio, bellum decreverunt, sed in eo sententiis variabant, utrum everti Civitatem an vero servari oporteret integram.

7. Una erat eorum sententia qui non delendam esse censebant, eò quod *Carthagine* sublata fore dicerent, ut civilibus inter se dissidiis atque bellis conflictarentur ipsi. *M. Porcius Cato* autem diversum suadens quantum Reip. *Romanæ* periculum impenderet ab ea Civitate, nisi funditùs everteretur demonstrabat, eaque sententia vicit, ipso in hac deliberatione mortuo, cùm ad octogesimum quintum annum ætatem produxisset. Eum *Cicero* nominat inter Oratores Antiquos & proximum à *M. Cornelio Cethego* ponit, quem ab *Ennio* celebratum esse dicit.

8. *Carthaginienses* inter alia, quibus faciendis morem *Romanis* gesserant, urbem suam relinquere sunt jussi, aliamque, si vellent, ad decimum lapidem à mari distantem condere. Cùm omnia potiùs subire decrevissent; post alios Consules *P. Scipioni Æmiliano* (*Pauli Æmilii Macedonici* filio, *Scipionis Africani* nepoti

nepoti adoptivo) *Carthaginem* exscindendi negotium datur. Is militari disciplina restituta urbem aliquot diebus vehementer oppugnatam capit, diripit, incendit, complanat: Adeptus ideò cognomen ut *Africanus* diceretur, anno belli quarto, postquàm stetisset circiter annos 700, *Romæ* conditæ 608°, *Olympiadis* 158ª tertio, *Ptolomæi Physconis* primo, *A. M.* 3859. *Cn. Cornelio Lentulo. L. Mummio Nepote* Coss.

Sect. 4.

A Carthaginis excidio usque ad bellum cum Mithridate gestum quod bello primo Civili occasionem subministravit.

Spatium Annorum 58.

1. EOdem tempore bellum *Romani Achæis* intulerunt propter Legatos violatos qui missi fuerant ad Civitatum Remp. dissolvendam. *Metellus* adhuc *Macedoniâ* hærens eos primus aggressus est. Pòst *L. Mummius* Consul in Provinciam venit qui prælio victor *Achaiam* omnem deditione capit, *Corinthum* verò primariam urbem & totius *Græciæ* lumen, ut *Cicero* inquit, ex Senatusconsulto incendit funditusque evertit ob eam rem vocatus *Achaicus*. Hoc etiam tempore *Lusitaniam* occapavit *Viriatus* quidam ex pastore venator

ex

ex venatore latro ac deinde validi exercitus Dux factus qui cum *Romanis* per aliquot annos, ac sæpe quidem fœliciter prœliatus, tandem fuit interfectus *Cæpionis* Consulis insidiis: Ac tum demum *Decius Junius Brutus Lusitaniam* ad Oceanum usque perdomuit.

2. *Romani* magnam interea cladem à *Numantinis* acceperunt, cùmque pacem à *Mancino* Consule factam repudiarent quòd esset ignominiosa *P. Scipionem Æmilianum Africanum* extra ordinem denuò creant Consulem eique bellum demandant. Is cum exercitu profectus, ad severam disciplinam revocato milite, qui jam mollior factus erat, & laboris impatientior, *Numantiam* urbem cepit ac delevit, postquam cives *Romanorum* 40000 impetum per annos fere 20 sustinuissent atque se unà cum urbe flammis consumpsissent, anno post deletam *Carthaginem* decimo quarto, *V. C.* 621. *A. M.* 3872. *P. Mutio Scævola, L. Calpurnio Pisone Frugi* Coss.

3. Eodem tempore servorum ortus est in *Sicilia* tumultus qui maximis collectis copiis, vix tandem à *P. Rupilio Nepote* Consule fuerunt oppressi. Huc usque *Romanorum* Ducum summa virtus & modestia, & *Carthaginiensium* potentia semper formidabalis Populum adeo coercuerant ut licèt ad summas discordias ab ordinibus Civitatis ventum sæpiùs fuisset, nunquam tamen ad sanguinem & cædes civiles. Nunc autem securitas & luxus ab *Asiaticis* triumphis invectus mores omnium adeo corrumpere

rumpere cœperant, ut invidiæ, Simultates, ſtudium partium & odia paulatim irrepſerint quæ in bella civilia tandem proruperunt.

4. Anno enim prædicto, & eodem tempore quo *Numantia* à *Scipione* devicta eſt, *Tib. Sempronius Gracchus Trib.* Plebis magnas turbas in urbe concivit legem ferens quæ plus 500 jugeribus agri publici quemque poſſidere prohibuit, quod reliquum erat pauperibus viritim dividendum. Nobilibus hac vehementer commotis aliam rogavit qua Pecunia ab *Attalo* Rege *Pergami* relicta (hic enim moriens Populum *Romanum* hæredem ſcripſerat) viritim etiam divideretur. Quum Senatus anceps valde conſilii eſſet nec videretur ſatis ab hac difficultate ſe explicaturus, *Scipio Naſica* quemque qui è Reipub. partibus ſtaret ſe ſequi juſſit, & in *Capitolium* aſcendens *Gracchum* ad Populum concionantem cum pluribus aliis interfici curavit. Hæc malorum Civilium origo, hic ſanguis primus in ſeditione *Romæ* fuſus.

5. Eodem tempore bellum *Romanis* cum *Ariſtonico* in *Aſia* erat, qui cum frater eſſet nothus *Attali Pergameni*, qui Populum *Romanum* hæredem ſuum nuncupaverat, occupato regno, teſtamento *Romanos* fraudabat. Hunc tamen debellavit & in *Stratonice* obſeſſum tandem cepit *M. Perpenna* Conſul, & *Aquilius Romam* duxit ubi in carcere fuit ſtrangulatus. Anno ſequenti, *V. C.* verò 626. *P. Scipio Africanus Minor* plebi in lege *Agraria* iniquior viſus domi ſuæ cubans noctu fuit

fuit oppressus à propinquis, uti creditur, & privatâ sepulturâ humatus, vir licèt tanti nominis, & nulla quæstio de ejus morte habita est. Eloquentiam, summam fidem & integritatem ei *Cicero* tribuit.

6. Anno circiter 120 à *Tiberii Gracchi* cæde, frater ejus *Caius* consilio simili oppressus interiit. *Tribunus* enim Plebis factus præterquam quòd legis *Agrariæ* defensor acerrimus esset, judicia publica à Senatoribus ad Equites transtulit, qui nunc demùm in ordinem proprium evadere cœperunt, pòst *Ciceronis* gloriâ & industriâ clariores facti: *Caius* autem *Carthaginem* frustrà coloniam ducere conatus & urbem reversus Populum in seditionem novam conjicere studuit & in incœpto ab *Opimio* Consule unà cum amicis oppressus est. Caput ejus tamen minimè Sacrosanctum fuit ut *Florus* scribit, cùm Tribunatu depositò occisus fuerit. Utrique fratri *Cicero* tribuit eloquentiæ laudem. *Caium* vocat *Romanorum* ingeniosissimum & eloquentissimum, & legendas esse ejus Orationes cum primis juventuti dicit, quòd non solum acuere sed etiam alere ingenium possit.

7. Eodem tempore *Fabius Maximus* (*Pauli Æmilii* nepos ex filio in gentem *Fabiam* adoptato) *Allobroges*, *Arvernos*, *Rutenos Galliæ* populos superavit, *Metellus* verò & *Minutius* tandem triumpharunt de *Scordiscis* originis *Gallicæ* Populo *Thraciam* incolente qui *Romanum* exercitum sub *Catone* cæciderat. Cum *Jugurtha* autem *Numidiæ* Rege

Rege brevi post bellum gravius longe exarsit qui *Adherbalem* patruelem in regni consortium admissum interfecerat. Argenteis telis pugnans tàm Senatores quàm Duces multos vicit, donec *L. Cæcilius Metellus* ejus res affligeret cujus legatus *C. Marius*, absoluto pæne bello, Consulatum dolis occupavit, *Numidiam* provinciam obtinuit & rem totam absolvit. *Bocchus Mauritaniæ* Rex socius & socer *Jugurthæ* primùm victus est, postea *Jugurtha* insidiis captus & in triumpho ductus ex Senatus voluntate in carcere fuit necatus cùm bellum per septennium gessisset.

8. Bello cum *Jugurtha* adhuc fervente *Cimbri Chersonesum Cimbricam* (hodie *Holsatiam*) incolentes unà cum *Germanis Teutonibus* (à *Teutone* seu *Tuiscone* gentis Patriarcha seu Deo Indigete sic dictis) innumerabili multitudine penetrarunt, alii in *Illyricum*, alii in *Italiam* & *Hispaniam*, maximisque cladibus Populum *Romanum* affecerunt. Cùm nunc *Proconsules* nunc *Legatos* aliquot vicissent, tandem ad internecionem cæsi sunt à *C. Mario* quintùm Consule finisque huic bello *Cimbrico* impositus est postquàm annos duravisset 12, Mensis *Sextilis* die tertio, anno *V. C.* 653, *C. Mario* quintùm *M. Aquilio Nepote* Coss.

9. Eodem tempore *L. Apuleius Saturninus* quem Quæsturâ Senatus removerat invidiâ flagrans & *Trib. Pl.* factus de lege *Agraria* aliam seditionem concitavit atque à Consulibus captus ab equitibus in Curia unà cum sociis necatus est. Anno circiter abhinc octavo

octavo *Druſus* Trib. Senatores & Equites conciliare ſtudens lege nova lata de judiciis ordini utrique communicandis, utriuſque odium incurrit, & de *Agraria* perferenda cogitans *Italiſque* Civitate donandis, in atrio domus ſuæ ab ignoto quodam confoſſus interiit.

10. *Italis* ſpes magna ſæpius facta fuerat eos in Civitatem recipiendos eſſe qui tot tantoſque labores ad Imperii *Romani* rationes contuliſſent: Res tamen ſemper dilata fuerat. Hinc tantâ invidiâ conflagrarunt ut bellum conflarent periculoſiſſimum, *Sociale, Marſicum,* & *Italicum* dictum. Vario Marte per biennium pugnabant, tandem devictis & ad officium reductis à *Sylla* Conſule, Civitas fuit data, Anno *V. C.* 666. *L. Cornelio Sylla, Q. Pompeio Rufo* Coſſ.

Sect.

Sect. 5.

A bello cum Mithridate gesto primoque bello Civili usque ad Pompei Crassi & Cæsaris conjurationem Tricipitinam a Varrone dictam quæ Populari Reip. formæ tandem exitium attulit.

Spatium Annorum 28.

1. *Mithridates* Rex *Ponti* erat (regionis *Asiæ* sic nuncupatæ quòd *Ponto Euxino* adjacet) & originem fertur duxisse ab uno *Persarum* illorum septem qui *Magos* à morte *Cambysis* regnum usurpantes oppresserant, *Eupator* & *Dionysus* cognominatus. Matrem in regno sociam relictam cum fratre occidit. *Romanosque Cimbrico* & *Italico* bello implicatos videns *Asiæ* Imperium affectare haud dubitavit. *Paphlagoniam* primùm, postea *Cappadociam*, *Ariarathe* Rege interfecto, occupavit, cui filiorum suorum unum Regem dedit.

2. *Cappadoces* verò jugum ejus ferre nolentes *Ariarathem* filium *Ariarathis* accersunt, qui tamen à *Nicomede Bithyniæ* Rege pulsus brevi mortuus est. *Nicomedes* juvenem quendam subornavit qui se *Ariarathis* fratrem diceret uxoremque suam (nam matrem ejus duxerat) *Romam* misit quæ affirmaret

ſe *Ariarathi* Regi tres filios peperiſſe. *Mithridates* hoc audito quoſdam etiam *Romam* miſit qui juvenem *Cappadociæ* nuper præfectum *Ariarathis* filium aſſererent.

3. Senatus *Romanus* hiſce rebus ſe immiſcuit Regeſque à *Mithridate* pulſos reſtituit. Ille tamen non deſiit in incœpto pergere, *Bithyniâ*, *Phrygiâ*, *Myſiâ*, *Lyciâ*, *Pamphyliâ*, aliiſque Provinciis *Ioniam* uſque occupatis. Q. *Oppium* & *Aquilium* Legatos *Romanos* cepit, quorum hunc, auro liquato in fauces effuſo, necavit *Romanos* ſemper avaritiæ arguens. Hinc irritati *Romani* bellum contra eum decernunt quod demandant Q. *Cor. Sylla*, quo in *Italici* belli reliquiis implicato, C. *Marius* qui Conſul Sextùm fuerat legem aliam obtinuit qua ſibi bellum committeretur. *Sylla*, hoc audito *Romam* venit & *Marium* urbe pulſum hoſtem declarari curat, qui cum maximo vitæ periculo, poſtquam in paludibus circa *Minturnas* delituiſſet parvâ navi culâ in *Africam* trajecit exul.

4. Per abſentiam *Syllæ* belligerantis in *Aſia* L. *Cornelius Cinna* Conſul factus tumultuari cœpit & moliri res novas: Verùm ejectus à *Cn. Octavio Collega* & pulſus urbe collegit vires & C. *Marium* iſta occaſione reverſum ex *Africa* ſibi conjunxit. Itaque contractis copiis *Romam* obſident ambo qua parte *Janiculum* erat, & cum non ignavè ſolùm ſed & perfidiosè multa in urbe fierent, neque jam illis reſiſti poſſet, intro miſſi cædibus & rapinis omnia complent: Deinde ſeipſos renuntia-

nuntiant Consules in eoque Magistratu crudeliter multa fecerunt. *Cinna* præstantissimum Oratorem *M. Antonium* interfici jussit, *Marius Q. Catulum*; at intra mensem à Magistratu occupato mortuus est.

5. *Mithridates* interea 80000 *Romanorum Italorumque* uno die interfici curat, omniaque ad bellum necessaria parat. *Sylla* tamen in *Græciam* veniens *Athenas* cum *Piræo* cepit, atque *Archelaum* Regis ducem semel atque iterùm fudit, adeo ut *Mithridates* pacem petere cogeretur. *Sulla* igitur pace cum Rege facta & bello confecto in *Italiam* revertitur, cùm paulò antè è vitâ excesserat *Marius* Septimùm Consul. Post *Marium Cinna* habebat Collegam suarum partium *Cn. Papirium Carbonem*. Hi *Sullæ* conatibus obstare studentes unà cum *Marii* filio (adoptivo) profligati sunt.

6. *Sulla* rerum potitus inimicos suos acerbissimè prosequebatur & proscriptionis tabulâ propositâ proscriptorum bona vendidit, eorumque liberis facultatem eripuit & jus ullos honores in Rep. consequendi: Deinde factus Dictator in perpetuum pro suo arbitratu omnia constituit ac tribunitiam potestatem infregit & cùm Civium *Romanorum* bona venderet, prædam se suam vendere pro concione dicebat. In *C. Marium* verò odio tam acerbo fuit incitatus ut ejus reliquias apud *Anienem* fluvium sitas dissipari jusserit: Ipse primus ex *Corneliis Patriciis* voluit cremari, fortasse timens idem suo corpori posse acci-

dere. Cùm autem tot tantaque facinora perpetrasset, Magistratum deposuit rationemque rerum gestarum se reddere paratum dixit, & rus concedens ibi otio deditus *Puteolis* mortuus est ex morbo pediculari.

7. Ex proscriptorum numero Q. *Sertorius* erat vir animi robore bellique scientiâ præclarus. Is in ulteriori *Hispania* bellum gravissimum excitavit & devictis aliquot ducibus Populi *Romani* complures urbes in suam potestatem redegerat. Belli administratio, *Metello* repulso, *Cn. Pompeio* ingentis animi juveni commissa fuit, cùmque variâ fortunâ sæpe fuisset pugnatum tandem *Sertorius* à *Perpenna* duce suo perfidiosè interfectus periit, & *Pompeius* decimo fere anno à bello incœpto *Hispanias* recepit: *A. V. C.* 681. *M. Terentio Varrone* (tàm *Græcorum* quàm *Romanorum* omnium doctissimo) & *C. Cassio Varo* Coss.

8. Interea *Murena* in *Asia* relictus & triumphi cupidus bellum cum *Mithridate* levibus de quibusdam causis renovabat, at à *Sulla* Dictatore ab incœpto desistere est jussus, paxque post triennium Regi data qui filio suo 4 annorum in obsidem tradito *Cappadocia* partem recepit. Septennio tamen vix exacto bellum iterum exarsit, cùm fœdus *Romani* in acta non referrent. *Mithridates* enim, hoc sæpius frustra postulato, *Tigranem Armenia* Regem generum suum invadere *Cappadociam* Curavit, qui 300000 hominum inde abductis *Tigranocertem* in Metropolin condidit,

didit, cùmque jam de venia desperaret, fœdere cum *Sertorio* inito, *Bithyniam* occupabat cujus Rex *Nicomedes* moriens Populum *Romanum* instituerat hæredem.

9. Anno *V. C.* 680. *L. Licinio Lucullo* & *M. Aurelio Cotta* Coss. *Lucullus* Regem *Cyzicum* obsidentem obsedit, cæsoque ejus exercitu & ereptis *Bithynia* ac *Paphlagonia* rejecit in *Pontum* unde ad *Tigranem* fugit. *Lucullus* persequutus hostem utriusque Regis copias præliis aliquot concidit, & quo minùs bellum plane conficeret in causa fuerunt seditiones militum callidè à nonnullis excitatæ. Illo enim revocato, *Glabrioni* primùm, & anno sequenti (nono autem pòstquam *Lucullus* in provinciam venisset) *Pompeio* belli administratio demandata est, cujus etiam rei patronus erat *Ciceri* qui in *Pompei* laudem luculentam habuerat ad Populum Orationem.

9. *Lucullo* in *Ponto* bellum adhuc gerente, *Spartacus* quidam *Thrax* gladiator è *Lentuli* ludo erumpens cum 70 aliis conditionis suæ *Vesuvium* Montem in *Campania* occupavit & fugitivis omnibus receptis cum magna manu in vicinis locis latrocinium exercuit. *Clodium* Prætorem & *P. Varinum* fuderat &, exercitu jam 70000 hominum collecto, de *Roma* ipsa expugnanda cogitaverat, cùm armis *M. Licinii Crassi* Prætoris cedens in magnas fuerit angustias conjectus, quibus ægre evadens non sine magna suorum cæde, prælio victus ambitionis pœnas dedit. Copiarum ejus reliquias, cùm jam coire inciperent, *Pompeius* oppressit antequàm

quàm bellum *Piraticum* ſuſciperet anno tertio.

10. *Piratarum* ingens multitudo mare mediterraneum adeò infeſtum reddiderant, ut nec tutò navigandum eſſet, nec in oris maritimis habitandum. Hoc â *Mithridate* negotium datum, cùm magnum inde perciperent fructum, noluerunt, pace cum illo facta, deponere, *Syris, Cypriotis, Pamphyliis, Ponticis* aliiſque nomina ſua profitentibus, qui cum in *Cilicia* latibula ſibi deligerent, *Cilices* ſunt appellati. *Murena* & *Servilius* contra eos parùm profecerant, & in tantum jam audacia eorum creverat, ut, impreſſione in *Italiam* facta, fœminas nobiles aliquot abriperent, & (quod in *Romanorum* opprobrium maximè ceſſit) duos, cum aquilis, exercitus.

11. Lege igitur à *Gabinio* Trib. Pl. lata, *Pompeius* in triennium Dux contra eos creatus eſt cum plenaria poteſtate, cui naves 500, peditum 120000, equitum 5000, legati 25, Quæſtores duo & 6000 Attica talenta decernuntur. Mare totum ita diſtribuit ut Piratæ ab his legatis pulſi ab aliis continuò excipe-rentur nec evaderent, ipſe ſeu tot Regum Imperator huc illuc navigans atque operi toti proſpiciens. Singulari induſtriâ uſus intra dies 40 eos mari undique expulit in *Ciliciam*, ubi eorum munimentis etiam expugnatis bellum abſolvit intra menſes tres, navibus fere 400, caſtellis 120 captis, hominumque 10000 occiſis. Erga victos in alias ſedes procul à mari tranſlatos humanum ſatis ſe præbuit;

Cùm

Cùm Q. *Metellus* illos qui in *Creta* latitaverant crudeliter ſatis tractaret. Hic ab hac inſula ſubacta, quæ nullius jugum ſe antea paſſam gloriabatur, *Cretici* cognomentum accepit.

12. Hoc bello pene abſoluto, *C. Manilius* Trib. Plebis legem tulit qua omnes Populi *Romani* exercitus, *Aſia* Provincia, bellumque contra *Mithridatem* & *Tigranem* demandaretur *Pompeio*, frendentibus licet Patritiis qui ægerrimè ferebant totum Imperium *Romanum* abſque ullo exemplo, unius fidei commiſſum. *Pompeius* autem *Mithridatem*, pacis conditionibus ſpretis, in fugam conjecit hoſtemque longiſſime perſequutus *Tigranem Armeniæ* Regem deditione cepit, ſupplicem abjectumque erexit, inſigne regium quod de capite ſuo abjecerat repoſuit, atque imperatis certis rebus, filioque nequiſſimo qui in patris caput conjuraverat, repreſſo & tandem occiſo, regnare juſſit. Aliis vero rebus ordinatis atque *Ituræis* & *Arabibus* victis *Syriam* in *Romanæ* Provinciæ formam redegit.

13. *Mithridates Colchos*, & in *Scythiam* tandem fugit. Ab eo tamen maxima jam animo meditante & de impreſſione in *Italiam* ipſam facienda, *Pharnaces* filius quem maxime amaverat, exercitum alienat. Hunc ad officium reducere non valens & obſeſſum ſe videns, ſpeque omni decidiſſe, ſibi mortem conſcivit, Rex omnium maximus ab *Alexandro*, ut *Cicero* ait. Bellum cum eo geri cœperat ante viginti annos *Cn. Pompeio Strabone* & *L. Porcio Catone*

Coss. finem accepit *M. Tullio Cicerone* & *C. Antonio Nepote* Coss. *A. V. C.* 691. *Olympiadis* 179ᵃ secundo, ante *Æram* Christi 61, *A. M.* 3942.

14. Mortis ejus nuntius ad *Pompeium* allatus est *Hierosolyma* versus contra *Aristobulum* moventem. *Pompeius* cum res *Judææ*, *Ponti*, aliorumque in Oriente locorum ordinasset, quinquennio in hac expeditione exacto, magna cum gloria *Romam* rediit & duobus diebus continuis triumphavit. Anno eodem in quem *Mithridatis* mors & *Templi Hierosolymitani* expugnatio incidebat, magna *Romæ* conjuratio in Remp. facta est à *L. Catilina* & multis aliis. Patritius ille erat perditissimorum morum, qui ad libidinem explendam, toto decocto patrimonio, ad fortunas resarciendas novam hanc rationem instituerat.

15. Rem totam *Cicero* Consul ex *Fulvia* expiscatus est, qua cum *Catilina* stupri consuetudinem habuerat: Atque ejus singulari industria patefacto scelere, *Catilina* pulsus urbe, cùm copias in *Hetruria* & manum perditorum hominum coegisset, necatis illis qui in urbe cum eo sentiebant, à *C. Antonio* Consule *Ciceronis* Collega prælio victus est & fortissimè pugnans occubuit. *Ciceroni* ob tot tantosque labores insumptos gratiæ sunt actæ, atque ipse primus, curante *Catone*, *Pater Patriæ* salutatur. Operam quidem quam tunc Reip. navavit passim in suis scriptis prædicat: *Catilinæ* vero ingenium describens nunquam fuisse ait tale monstrum in terris ullum, tam

ex

ex contrariis diversisque inter se repugnantibus naturæ studiis cupiditatibusque conflatum.

16. Anno abhinc secundo in *Hispaniam* Ulteriorem Prætor missus est *C. Julius Cæsar*. Hic natus *A. V. C.* 654, *C. Mario* sextùm *L. Valerio Flacco* Coss. Quintilis die 12°. *Cinnæ* filiam duxit adultus ex qua *Juliam* sustulit, quo nomine *Sylla* infensus ei erat ægreque pepercit. Militiæ fundamenta sub *M. Thermo* Prætore posuit à quo in *Bithyniam* missus ad classem expediendam *Nicomedi* Regi nimis familiaris fuisse dicitur. Cùm in rebus bellicis profeciſſet, Quæstor in *Hispaniam* profectus regionem ad jus dicendum circumivit, *Gades* venit, ibique *Herculis* templo intrato, statuam vidit *Alexandri*, qua visa permoleste tulit se illa ætate qua Rex mundum pene totum devicerat nihil memoria dignum feciſſe, atque maximo in patriam revertendi desiderio flagrabat ut in urbe res suas augendi aliquam captaret occasionem.

17. *Romam* reversus seditiosis hominibus se adjunxit, quorum conciliis parùm succedentibus, *Ædilitatem* obtinuit & mitti cupiebat ad res *Ægypti* componendas; at magnatum operâ repulsam tulit. *Pontificatum* autem paulò pòst largitionibus adeptus est, *Prætor* vero factus *Catilinæ* faviſſe existimatur, atque adfuiſſe *Cæcilio Metello* in legibus turbulentis ferendis. Ære alieno jam pressus, vadibus adhibitis, evasit & *Hispanias* sortitus in jure dicendo tempus non consumpsit, at

in regionem penetrans gentes antea intactas subigendo triumphi materiam sedulus quæsivit. Ad hunc tamen honorem obtinendum festinans, cùm Consularia Comitia instarent, Consulatus vehementi desiderio tenebatur, veniamque petiit ante triumphum in urbem revertendi. Cùm hoc triumphaturo minimè esset concessum, triumpho Consulatui posthabito, in urbem venit ut inter Candidatos nomen suum profiteretur.

18. Dissidiis magnis studiisque partium ortis, *Pompei* operâ Consulatum obtinuit. *Pompeius* enim invidiâ magnatum, *Lucullo* in omnibus patrocinantium, gravi laborabat: *Lucullus* se injuriâ affectum clamabat, & res gestas *Pompei* vellicans, quæ ipse in Provincia fecerat confirmari voluit. *Pompeium* itaque pœnitebat exercitum suum dimisisse, &, cùm hæc pœnitentia sera esset, *Cæsari* se adjunxit, atque in Consulatu petendo adfuit ea lege ut voti compos facta sua confirmaret.

19. Cùmque simultates inter *Pompeium* & *M. Crassum* intercessissent ex quo Consulatum unà gesserant, *Cæsar* eos in gratiam reduxit, atque hi tres conspirarunt nequid præter voluntatem suam fieret in Repub. *Conjurationem* hanc *Varro* in libro quem de ea conscripsit *Tricipitinam* dixit, atque hinc civilium bellorum origo petenda, corruente Senatus & Magnatum potentiâ. *Asinius Pollio* librum suum de discordiis Civilibus auspicatus est, atque *Diodorus Siculus* rerum *Cæsarearum* originem ducit ab hoc anno qui erat *V. C.*

694

694us, *Olympiadis* 180æ primus, ante *Christum* natum 58, *A. M.* 3945, *Archonte Herode*, *Q. Cæcilio Metello*, *L. Afranio* Coss.

Sect. 6.

Ab initio Tricipitinæ Conjurationis seu Triumviratus primi ad Julii Cæsaris Dictaturam perpetuam.

Spatium Annorum 16.

1. *Cæsar Pompei* operâ, atque pecuniâ elargitâ, Consul factus, Populi *Romani* societatem & regna venundedit. Ad plebem deliniendam agrum publicum in *Campania* viritim distribui voluit, lege vi lata ad quam observandam, sub capitis pœna, omnes jurare tenebantur. Plerunque ad Populum, rarissimè ad Senatum de rebus agendis retulit, omnibusque rationibus Plebis favorem captans *Galliam* Provinciam obtinuit in quinquennium. Ut *Pompeium* sibi devinciret, *Juliam* filiam ei in uxorem dedit *A. Gabinius* & *L. Calpurnius Piso* Consules in sequentem annum designantur quos sibi noverat addictissimos; *Vatinius* verò & *Clodius* Tribuni, quamvis hic *Cæsaris* uxorem violasset. Adultero non solum ignovit, uxori nuncio remisso, sed in Tribunatu petendo ad fuit in *Ciceronis* invidiam, qui in Conjurationem

onem *Tricipitinam* declamare non desiit, atque ut gratiam illi referret ob operam sibi in *Gallia* obtinenda navatam.

2. *Clodius*, ut *Ciceronem* ulsciscereturqui de *Cæsaris* uxore stuprata eum accusaverat, cùm Patritius esset atque eo nomine Tribunatum petere non posset, à Plebeio adoptari voluit, & legem Tribunus Plebis tulit qua aqua & igni illi interdiceretur qui *Romanum* Civem indemnatum occidi jussisset; *Ciceroni* vero diem dixit qui *Cethegum*, *Lentulum* aliosque *Catilinæ* socios necaverat in Carcere ex Senatus voluntate. *Cicero* itaque à *Pompeio* desertus in exilium abiit, oratione priùs habita ad Populum & Equites qua suos illis commendasse dicitur. At vero Oratio ad Populum & Equites habita quæ sub nomine *Ciceronis* extat inelegans est, inconcinna, insulsa, atque inepta, denique vix Latina. Itaque qui eam *Ciceroni* adscribunt eâdem operâ Regi opulento vestem aliquam crasso filo tritam & laceram circundant, *Gothofredo* Judice.

3. *Clodius*, pulso in exilium *Cicerone*, *Catonem* etiam sibi invisum ad *Ptolomæum Cypri* Regem regno spoliandum, lege in id lata, abegit: Hic magnam pecuniæ vim in ærarium retulit ex bonis Regis, qui audito *Romani* adventu manus sibi intulerat iniquissima lege oppressus. *Clodius* autem cùm occasio aliàs deficeret, Magnates vexare cœpit unde *Pompeium* pœnitebat quòd *Ciceronem* deseruisset; & de reditu ejus, donec à Populo juberetur, laborabat. Atque adeo

revocatus

revocatus *Tullius* post menses 16 maxima cum Populi gratulatione alteram habuit orationem ad *Quirites* qua gratias agit amicis. Causam exilii pòst contulit in *L. Pisonem* & *A. Gabinium* Consules, ab iisque proditum se demonstrat, habitis orationibus in utrunque, quarum in altera Senatui suadet ut provincias illis adimant *Syriam* & *Macedoniam*, & ne *Cæsarem* feliciſſimè belligerantem in *Gallis* revocent, sed ut Imperium ei proferant quo bellum plane conficiat.

4. *Cæsar* enim *Helvetios*, qui, sedibus mutatis, in Provinciam *Gallicam* penetraverant ob agri fertilitatem, commisso prælio profligaverat; pòst *Arioviſtum Germanorum* Regem, qui *Galliæ Celticæ*, præcipuè vero *Hæduis Romani* Populi ſocis, gravis erat, non procul à *Rheno* flumine vicit. Universâ *Galliâ* in ditionem Populi *Romani* perductâ, trajecto mari *Britanniam* invasit, postquam enim quinquennium finitum fuisset, alterum adjectum est *Pompei* & *Crassi* operâ, qui secundùm quod inter illos pactum fuisset, vi obtinuerant Consulatum. *Crasso Syria* & bellum *Parthicum*, *Pompeio Africa* & *Hiſpania* cum quatuor legionibus decernuntur.

5. *Britannia* insula, *Latinis Albion* & *Romania*, *Græcis*, ΒΡΕΤΑΝΙ'Α, ΒΡΕΤΑΝΙΚΗ', ΒΡΕΤΑΝΙ'Σ, 'ΑΒΙ'ΩΝ & 'ΑΛΟΥΙ'ΩΝ dicta *Phœnicibus* olim cognita erat, qui cùm hinc stanni ingentem vim reportarent, *Britannicæ* insulæ *Cassiterides* sunt appellatæ Sermone *Græco*, *Phœnicio*

Phœnicio autem *Barat Anac* ſeu ager ſtanni. *Cæſar* belli originem inde petebat, quòd *Galli* auxilium *Britanni* miſerant, cùmque eos ad ſe dedendos & tributum ſolvendum adegiſſet, anno tamen ſequenti in rebelles reverſus eſt, quos ad officium reduxit. Ex *Britannia Cæſarem* ad ſe dediſſe literas ait *Cicero Calend. Septembris* quas ipſe pòſt acceperit ad *Quartum Calendas Octobris*. *Prima Cæſaris* in *Britanniam* expeditio incidit in *Olympiadis* 181 annum ſecundum, *V. C.* 699, ante natum *Chriſtum* 53, *A. M.* 3950, *Cn. Pompeio Magno, M. Licinio Craſſo* (utroque ſecundùm) Coſſ.

6. *Craſſum* verò in *Parthos* moventem, populus indignatione, Tribuni Plebis execrationibus & diris proſequuntur, cùmque *Hieroſolymitanum* Templum in itinere ſpoliaſſet aliaque perpetraſſet facinora, *Euphrate* tranſmiſſo victus & in Colloquio perfide occiſus ſacrilegii pœnas dedit. Hic ille *Craſſus* eſt qui dicere ſolebat neminem eſſe divitem niſi qui exercitum (ex legionibus quatuor conſtabat) alere poſſet ſuis fructibus. Illo contra *Parthos* belligerante *Ptolomæus Auletes Ægypti* Rex regno à ſubditis pulſus *Romam* venit, ubi poſt moram longam cùm auxilium nullum inveniret, propterea quod bellum in *Ægypto* geri vetare videbantur *Lybri Sibyllini, Epheſum* reverſus *Gabinium Syriæ* Proconſulem multo ære conduxit ut exulem reſtitueret. *Gabinius*, corruptis judicibus à vitæ diſcrimine evaſit, at peculatûs damnatus eſt & in exilium miſſus.

7. Eò

7. Eò nunc à *Romanis* deventum fuerat avaritiæ & improbitatis ut nihil more majorum in urbe gereretur, & Magiſtratus omnes vel venirent, vel occuparentur jurgiis, fuſtibus, ſaxis aut pugionibus & gladiis. Conſules *Tricipitinæ Conjurationis* potentiâ laborantes atque Provinciis & rebus gerendis deſtituti, ad fortunas ſuas augendas ornandaſque ex Repub. mercaturam inſtituebant. Maximæ inter Conſulatûs Candidatos contentione orta *T. Annius Milo* illorum unus *Clodium* in itinere ſibi obviam factum interfecit. Hæc *Pompeium* minimè moverunt dictaturam ſibi demandatum iri ſperantem, quem, cùm omnium oculos in eum conuerſos animadverteret *Cato*, Conſulem ſolum creari curavit, ut eſſet reddendæ rationi obnoxius.

8. Coràm eo *Milonem Cicero* defendit vel defendere potiùs voluit, à *Pompei* militibus & amicis *Clodii* deterritus, adeo ut orationem quæ extat pòſt ſcripſiſſe dicatur; *Milo* autem juſſus eſt exulare. *Galli* de his motibus urbanis certiores facti (qui non ita pridem ad officium fuiſſent reducti) & ſperantes *Cæſarem* in *Italia* fore detentum denuò rebellarunt, at *Cæſari* iterum pœnas dederunt. Confecto bello *Gallico*, octavo circiter anno, *Civile* exortum eſt inter *C. Cæſarem* & *Pompeium*.

9. *Julia* uxor *Pompei* & vinculum pacis (ſi non amicitiæ) in partu, unà cum infante, è vivis exceſſerat. *Cæſar* Senatui ob res in Conſulatu vi geſtas inviſus; *Pompeius* autem gratiſſimus erat ob comitatem ſummam. Ille,

in

in quo ſtatu res ſuæ erant perſpecto, ut ſibi Conſulatum petere integrum eſſet rogabat; quod concedi non potuit, niſi, copiis priùs dimiſſis, exercitum traderet. Exiſtimabat ſe ſalvum eſſe non poſſe ſi ab exercitu recederet: ferebat tamen eam conditionem ut tum ipſe tum *Pompeius* traderent exercitus, cùmque id rejiceretur, progreſſus incredibili celeritate cum copiis è *Gallia* venit in *Italiam*, & *Flaminiam* ingreſſus partim gratiâ partim deditione oppida quàm plurima capit.

10. Ea re cognita, *Pompeius* & Conſules *C. Marcellus*, *L. Lentulus* Româ fugiunt & *Brundusium Apuliæ* oppidum maritimum petunt. Eò venit etiam *Cæſar*; ſed jam Coſſ. trajecto mari, *Dyrrhachium* iverant, quos non multo pòſt ſequutus eſt *Pompeius*, & cùm *Cæſar* tempore excluſus, quòd claſſem idoneam non haberet, illum proſequi non poſſet, *Romam* venit & convocato Senatu de inimicis queritur ac ſimul pacis conditiones proponit: Cumque remiſſiùs ageretur à Senatu *Maſſiliam* petit quæ portas illi clauſit. Itaque comparata claſſe, terra marique illam obſidet & relictis ibi legatis in *Hiſpaniam* proficiſcitur, ubi *Petreium*, *Afranium* & *Varronem Pompeianos* duces totumque exercitum deditione tandem capit.

11. Pòſt *Maſſiliam* rediit quæ tùm, deſperatis rebus, in poteſtatem illius ſe permiſit & abſens à *M. Lepido Prætore* factus *Dictator Romam* venit Comitia habet & Conſul creatur cum *P. Servilio Iſaurico*: Deinde rebus in urbe

urbe conſtitutis in *Græciam* tranſmittit, ac tandem in *Theſſalia* campis *Pharſalicis Pompeium* maximo prælio vincit, quamvis copiis multo ſuperiorem & caſtris exuit. *Pompeius* fugit in *Ægyptum* cujus Rex tum erat *Ptolomæus Dionyſius Auletæ* filius cui à Senatu Tutor datus fuerat. Propter tutelam ſperabat opem in eo regno, cùm Rex autem puer eſſet, familiares ejus *Theodoti* Præceptoris conſilio uſi, vel quòd fortunam hominis deſpicerent, vel motum aliquem metuerent, in cymbam receptum interfici juſſerunt.

12. *Cæſar* fugientem *Pompeium* proſequutus *Alexandriam* pervenit cum tribus millibus hominum & ducentis, atque ibi primùm de morte *Pompei* cognovit. Gerebat tunc *Ptolomæus* bellum cum *Cleopatra* ſorore. *Cæſar* itaque cùm *Alexandriæ* eſſet & *Cleopatræ* amore caperetur, voluit de controverſiis jure potiùs apud ſe quam armis inter ipſos diſceptari, eo quòd *Conſul* in quinquennium, *Dictator* in annum integrum & *Tribunus* in perpetuum crearetur, & quòd ſuperioribus annis cum *Aulete* patre Regis lege & Senatuſconſulto ſocietas facta fuiſſet.

13. Hoc autem indigniſſimè tulerunt illi qui apud Regem plurimùm valebant clamantes Majeſtatem Regiam minui quòd ad dicendam cauſam evocaretur. Concitatis ergo animis bellum adverſùs *Cæſarem* moliuntur *Alexandrinum* dictum, ſed is poſt magna pericula victor non quidem redegit *Ægyptum*

tum in Provinciam, sed *Cleopatræ* ex qua *Cæsarionem* filium genuit, ejusque fratri minori (Rex enim inter fugiendum in fluvio submersus perierat) regnum permisit.

14. Profectus inde in *Syriam* ac pòst in *Pontum*, *Pharnacem* filium *Mithridatis* profligat, *Cappadociam*, *Armeniam*, *Gallograciam*, *Pontum* & *Bithyniam* pacat. In *Italiam* ac *Romam* demum reversus media pòst hyeme & ad solstitium brumale ex *Lilybæo* trajecit in *Africam* licèt à summo aruspice monitus esset ne ante brumam transmitteret. Eò confugerant à pugna *Pharsalica Scipio* & *Cato M. Porcii Catonis Pronepos*, magnisque contractis copiis *Jubam* Regem sibi consociaverant. Profectus igitur eò *Cæsar* ad internecionem omnes delevit.

15. At *Cato* quidem ne in illius potestatem veniret, *Uticæ* mortem sibi conscivit ipse, quod *Cicero* defendit, & cui incredibilem quandam natura gravitatem dedisset ei hoc potiùs faciendum fuisse dicit quam Tyranni vultus aspiciendus. Erat stoicæ disciplinæ *Cato* & sententias horridiores nonnunquam in Senatu defendebat, tanquam in *Platonis* versaretur politia, sicut ait *Cicero*, non in *Romuli* fæce. *Romam* postea *Cæsar* venit cumque de *Gallia*, *Ægypto*, *Ponto*, & *Africa* triumphasset, adversus *Sextum Pompeium* bellum suscepit in *Hispaniam* profectus, eumque debellavit.

16. *Cæsar*, antequàm in *Hispaniam* proficisceretur, annum curavit emendari in eam formam

formam quæ ab illo adhuc *Juliana* est dicta. *Romam* reversus Consulatum suum tertium deposuit & *Consules Honorarios* instituit in menses tres. Primi erant *Q. Fabius Maximus* & *C. Trebonius*, quorum illi anni die postremo mortuo *Caninius Rebilus* successit in horas paucas quæ supererant, atque *Consul Vigilantissimus* à *Tullio* joco dicitur quòd durante Consulatu nunquam dormivisset. Nunc ut *Cæsar Dictator in Perpetuum esset*; & *Imperator* eo sensu quo potestas summa in Rep. significatur, Patres decreverunt. Militia enim ex ipsius solius arbitratu erat ordinanda & eroganda pecunia: Magistratus etiam omnes ex illius nutu pendebant, & decretis ejus ne contradicerent juramento obstringebantur.

Sect. 7.

A Julii Cæsaris Dictatura perpetua usque ad Triumviratus Secundi finem & Monarchiam Octavii Cæsaris, seu Cæsaris Octaviani.

Spatium Annorum 15.

1. CÆsar Consulatum suum quartum gessit cum *M. Antonio* qui Tribunus Plebis ad eum ornandum omnem operam contulerat. Idem *Antonius* lege lata Mensem *Quintilem* in ejus honorem *Julium* nomina-

vit

vit. Cùm autem *Cæsar* Regis titulum affectare jam videretur & mutato Reip. statu ad seipsum rerum summam transtulisse, conjurationes in eum sunt factæ, & quinto pòst mense quam *Romam* venisset in curia *Pompei Idibus Martiis* fuit interfectus ab iis ipsis quos recenti beneficio sibi devinxerat quibusque ignoverat quòd bello *Pompeiano* contra ipsum militassent. Hi erant *Marcus* & *Decimus Brutus*, *C. Cassius*, *Cn. Domitius*, *C. Trebonius*, *Q. Tullius Cimber*, duo *Servilii*, *Casca*, *Hala* & complures alii.

2. *Cicero* judicans de *Cæsare* & *Pompeio*, proximo bello inquit si aliquid de summa gravitate *Pompeius*, multum de cupiditate *Cæsar* dimisisset, & pacem stabilem & aliquam Remp. nobis habere licuisset. Clementiam *Cæsari* tribuunt omnes, *Cicero* etiam (quamvis in hac tota causa valde lubricus & inconstans fuerit) ingenii acumen, rationem, memoriam, literaturam, cogitationem & diligentiam. De cæde autem patrata cum Senatus ageret, *Cicero Amnestiam* decerni curavit & provincias percussoribus assignari.

3. Testamento *Cæsaris* aperto, repertum est *Decimum Brutum* inter hæredes tertios nominari, si reliqui hæreditatem non adirent, atque populo magnam pecuniæ vim legari viritim distribuendam. Hæredem autem ex triente scripsit *Octavium C. Octavii* filium qui *M. Attilii Balbi* filiam duxerat ex *Julia Cæsaris* sorore genitam. *Cicerone* Consule natus cum quatuor annos haberet patrem amisit. *Apolloniæ* operam Philosophiæ dabat

cùm

cùm à *Cæsare* ad *Parthicum* bellum revocandus de morte ejus cognoverit & hæreditate adeunda. *Romæ Antonium* conveniens, quem socium sibi in futurum expectabat in patris cæde ulciscenda cum summo fastidio exceptus est, & cùm sumptum ab illo obtinere non posset ad pecuniam solvendam quam *Cæsar* legaverat populo, hæreditatem propriam vendidit, quo plebem sibi vehementer conciliavit.

4. Cùm satis etiam constaret *Antonium* rebus suis promovendis totum incumbere ut sibi regnum pararet, Senatus *Octavium Cæsarem* ut eo contra Tyrannum uteretur honoribus cumulavit, *Antonio* autem debellato, nihili habuit & contumeliis affecit, quum plerique Senatores *Pompeianis* partibus addictiores essent. Hoc *Cæsar* adeò molestè tulit ut cum *Antonio* & *M. Lepido* partitus Imperium *Triumviratum* instituerit, atque inter alia conventum est ut inimicos suos perderent. *Ciceronis* casus hic maximam litem movebat qui nisi ad cædem damnaretur (vehementer enim *Antonium* Orationibus suis oppugnaverat) nihil obtineri potuit: Cùm *Cæsar* itaque per biduum hic hæsisset, tandem *Antonii* sententiæ accessit.

5. A *Triumviris* homines 300 Senatorii & Equestris ordinis proscripti sunt sub specie *Cæsaris* manibus parentandi, atque inter cæteros periit *Cicero* annos natus 63, menses 10, dies 5, *Romani* ingenii & eloquentiæ summum decus & exemplar. *Arpini* natus est tertio *Nonas Januarii*, *A. V. C.* 648. *C. Antilio Serrano*, & *Servilio Cæpione* Coss. (eodem anno

anno quo *Pompeius* qui in lucem editus est *Calendas Octobris.* Pater ei equestris ordinis à *Tullio Attio* nobili *Volscorum* Rege oriundus. Multi alii crudeliter interfecti, in quorum facultates *Triumviri* involarunt, quibus cùm virorum opes non sufficerent, mulierum etiam divitiæ damnatæ. *Cassio* & *Bruto* interea, qui Reip. partes adversus illos sustinere videbantur, in *Asia* Provincias deglubentibus, ut sumptus in bellum sibi suppeteret.

6. Ad *Philippos* urbem *Macedoniæ* tandem concurrerunt exercitus. *Cassius* re male gesta ex colle quodam pugnæ eventum expectabat, & nuntio quem ad explorandum miserat paulùm cessante, veritus ne Collega etiam vinceretur, caput suum à liberto sibi præcidi voluit, quo vix delapso, *Brutum* vicisse nuntiatum est. *Brutus* ejus cadaver, ne tali spectaculo deterreretur miles, humari jussit, cùmque jam sibi animus concidisset, obsessum hostem fame delendum statuit.

7. *Antonius* autem, cui summa omnium rerum erat penuria, omnino sibi decertandum esse judicans, eum ad pugnam provocavit, quam cum non adeò honestè declinare posset, acre prælium committitur, quo, missilibus omissis præ animositate, gladiis tota res acta. *Brutus* exercitu suo fuso & fugato sibi mortem conscivit, atque cum eo Popularis Reip. status expiravit, quæ adhuc superesse videbatur quamdiu ille & *Cassius* de victoria non desperabant, totum Imperium *Romanum*

Mar-

Macedania Eupbraten usque tenentes cum legionibus 20, equitum 20000, longis navibus 200 atque infinita pecuniæ vi.

8. *Triumviris* hac victoria potitis, *Cæsar*, cui valetudo integra non fuerat, in *Italiam* revertitur. *Antonius Cleopatram* sibi in *Cilicia* occurentem in *Ægyptum* sequitur. *Cæsar* militibus nunc agros divisit in *Italia*, cui *Fulvia* uxor *Antonii* & *Lucius* ejusdem frater Consul factus, maximâ militum gratiâ florentem videntes & invidiâ moti bellum intulerunt *Perusinum* à *Perusia* sede dictum. Ex hac difficultate explicatus, cùm *Antonium* suspectum haberet, *Hispaniam* & *Galliam* Provincias ejus occupavit, atque indies simultates novæ exortæ sunt donec *Pollionis* & *Mæcenatis* operâ sublatæ fuerint, vel potius consopitæ.

9. *Antonius*, novo fœdere inito, *Octaviam Cæsaris* sororem duxit & Imperii *Romani* nova partitio est facta, qua *Cæsar* in occidente omnia *Codropolin Illyrici* urbem usque teneret, atque inde *Orientem* versus omnia *Antonius*, cui bellum contra *Parthos* commissum, *Cæsari* verò alterum adversus *Q. Pompeium* qui lege ab *Antonio* lata (qua Populi gratiam captabat) *Siciliâ* cum classe ingenti potiebatur. *Africa Lepido* obtigit qui parvi habitus cùm *Cæsarem* offendisset, ne hac Provincia excederet jussus est.

10. *Sextus Pompeius* mare infestum reddidit atque adeò magnam inopiam urbi intulit ut populo graviter commoto *Triumviri* pacem cum

cum eo facere cogerentur, eodem anno quo *Herodes Judæa* Rex declaratus est. Brevi autem fœdus istud in nihilum abiit, *Antonii* Peloponnesum retinente quæ ad *Pompeium* jure pertinebat, atque *Antonius* & *Cæsar* denuo in simultates & diffidia incidérunt, quæ tamen *Octaviæ* operâ hoc tempore compósita sunt. *Cæsar Pompeium* aggressus post conatus aliquot irritos eum tandem vicit & *Siciliâ* exuit, qui in *Phrygiam* fugiens ab amicis *Antonii* occisus est. *Pompeio* oppresso, *Lepidus* exercitum ejus ad se traducere conatur cum insula tota, at à militibus propriis proditus in *Cæsaris* devenit manus qui omni cum potentia privavit: Atque adeò hujus *Tricipitinæ* conjurationis caput unum excisum.

11. *Antonius* interea *Cleopatræ* in *Syriam* accersitæ *Phœniciam*, *Cœlesyriam*, *Cyprum*, *Ciliciæ* partem Magnam, *Arabiam*, *Nabathæam*, atque *Judææ* regionem illam quæ balsamum profert, donaverat, atque in tantum inciderat luxum, ut populo vehementer offenso *Cæsar* eum arguere non desierit, præsertim cùm quæ Reginæ tribuerat ut à Senatu confirmarentur postularet. Bellum itaque in *Cleopatram* decretum est, non in ipsum *Antonium*, ne *Romani* qui cum illo erant ad aliquid contra Remp. audendum ex desperatis rebus adigerentur. *Antonius* post clades aliquot acceptas navali prælio ad *Actium* fortunæ naufragium fecit, quo cognito, terrestres ejus copiæ, cùm dux nusquam compareret, ad *Cæsarem* defecêre. 12. Mz-

12. Mœrori aliquantùm cedens, pòst ad luxum priſtinum rediit. Tandem cùm *Cæſar* legationes omnes de pace rejiceret, atque, equitatu cum claſſe à *Cleopatra* prodito, jam *Alexandriæ* immineret, mortem ſibi conſcivit ipſe, quod & à *Cleopatra* factum, poſtquàm *Cæſare* nullis cedente illecebris, ad triumphum deſtinatam ſe intellexiſſet. *Ægyptus* verò *Populi Romani* Provincia facta *Cornelio Gallo* regenda committitur, cujus fructus annuos fuiſſe, *Ptolomæo Aulete* regnante, duodecim millia quinquaginta talenta ſcriptores tradunt; at cùm in Populi *Romani* ditionem veniſſet multo putant eam fuiſſe fructuoſiorem propter *Indiæ* & *Æthiopiæ* commercia.

13. *Cæſario Julii Cæſaris* & *Cleopatræ* filius, *Ario* Philoſopho authore, ne *Cæſares* plures eſſent, necatur. *M. Tullium Ciceronem* Oratoris filium ad invidiam cædis paternæ abolendam, in Conſulatu ſibi Collegam aſſumpſerat *Cæſar*. Hic *Cæſaris* literas de *Antonio* oppreſſo ſcriptas expoſuit eo loco quo patris caput & manus pro roſtris fuerant expoſitæ. Cum *Cleopatra* autem *Imperium Macedonum* prorſus interiit, atque adeò quæ illi fuerunt contemporanea hic terminantur, anno 294° poſt *Alexandri Magni* exceſſum, *Olympiadis* 187 tertio, *V. C.* 724, à *Julii Cæſaris* interitu 14°, ante natum *Chriſtum* 28, *A. M.* 3975°.

Elementorum Hiſtoriæ

LIBER IV.

Imperium Romanum.

CAP. I.

Ab Octavii Monarchia uſque ad mortem Tiberii.

Spatium Annorum 66.

1. IMperium Romanum jam abſorpſerat *Macedonicum* cum *Regnis*, *Rebuſpub.* & *Principatibus* contemporaneis, *Parthico* regno excepto, quod nondum faſces ſubmiſerat, cùmque hoc tandem feciſſet domeſticis malis divexatum, haud diu morem *Romanis* geſſit. Mole ſua nunc laborabat, & cùm habitu athletico

eſſet, magno verſabatur in periculo. Libertatem omnes præ ſe ferebant, nemo tamen ea potitus eſt. Quiſquam principatum ſibi parare ſtudebat, prout ingenio, potentiâ vel opibus polleret. In *Comitiis* omnia vænalia proſtabant, Magiſtratus conſtabant prece & pretio vel vi & armis. Nec ullum his malis remedium erat ſperandum præter *Monarchiam* quæ vulgi effrenem potentiam, ſeditioſorum libidinem coerceret.

2. *Cæſar Octavianus*, cui hæc ſatis innotuerant de ſalute propria & dignitate ſolicitus & *Romam* reverſus *Agrippam* & *Mæcenatem* conſuluit de Repub. ordinanda. Ille contendebat populo poteſtatem ſummam eſſe permittendam quam quicunque antea invaſerant ambitionis ſuæ pœnas dederant, atque maximi momenti illud fecit quòd tam *Græci* quam *Romani*, populari rerum ſtatu uſi, res tantas geſſiſſent. Hic verò aperte demonſtravit ex Democratica iſta forma informi dedecus nuperum Reip. accidiſſe, atque omnes clades domeſticas & bella Civilia non aliunde quam ex populi licentia nimia originem traxiſſe, qua ambitioſi & turbulenti cives abuſi, ſtudio partium & largitionibus omnia corrupiſſent.

3. Atque hæc quidem tam inter *Græcos* quam *Romanos* ità ſe habuêre. *Græci* enim, ex quo Monarchiæ renunciarunt, quo quieſcerent nunquam invenêre, *Demagogorum* Orationibus, ſeu pelagus quoddam, vi ventorum agitati, & ſingularum Civitatum politiæ ita

ſunt

ſunt ordinatæ ut *Ariſtoteles* earum nullam probaverit. Nova enim rerum facies ſubinde apparuit cædeſque horrendæ perpetratæ ſunt, dum hi *Oligarchiæ* illi *Democratiæ* partes tuerentur: Nec Magnum aliquid foris factum bellis civilibus ſe mutuo laniantibus donec ſub *Alexandri* jugo fuerint redacti.

4. *Romani* ſimul ac Regem expuliſſent ſeditionibus cœperunt laborare, quæ in tantam creverunt invidiam ut Plebs ter à Patritiis ſecederet, mutationes vero 37 in ſpatio annorum 134 acciderent, atque per quinquennium nulli Magiſtratus crearentur. Res Magnæ à Ducibus geſtæ ſunt quibus ſolis bellorum cura & poteſtas erat, qui Collegis nullis (in contrariam ſententiam plerunque euntibus) impediti leges potiùs dare quam accipere ſolebant. Principio Imperium penes Reges erat, donec ambitio & ſeditionis æſtus alias vivendi rationes excogitaverint: Monarchia ex poteſtate deſpotica derivari haud immeritò videtur, hæc ex patria.

5. *Mæcenas Octavium* rerum ſummam in ſe recipere cunctantem ulteriùs excitavit, *Pompei*, *Marii*, *Syllæ* aliorumque exemplis demonſtrans eum rebus gerendis ſubmotum in tuto eſſe non poſſe. Rationes multas adjecit quibus adminiſtrationem futuram tanquam penicillo delineavit ex Inſtitutione noſtra petendas. *Cæſar* ſententiam ejus amplexus *Imperatoris* titulum accepit quo ſumma poteſtas ſignificatur prout patri fuerat attributus poſteriſque ejus omnibus. *Cenſor* cum

Agrippæ factus Consulatu suo sexto lustrum fecit quo censa sunt *Romanorum* Civium 4063000. Populum modis omnibus devincire studens, cùm iniqua multa & duriora quædam bellis civilibus, præsertim vero *Triumviratu*, fuissent decreta, ea omnia unico edicto irrita esse jussit.

6. Consul septimùm creatus, cùm consilii sui Senatorem quemque sibi addictum certiorem fecisset, in Senatum venit, ibique oratione ex scripto recitata eò usque potestatem deponere simulabat donec ab omnibus obnixè rogaretur ut eam retineret, quibus ægrè annuere tandem videbatur. Principatu hoc artificio confirmato, Provincias distribuit, quarum munitissimas ipse retinuit, reliquis Senatui populoque relictis. Cùm quæstio in Senatu ferretur de cognomine aliquo honestiore *Cæsari* tribuendo, illud *Augusti à Munacio Planco* propositum omnibus arrisit, & lege lata, quam *Jurisconsulti Regiam* vocant, Populi Senatusque Imperium totum in eum transfertur. Provinciarum distributio *Idibus Januarii* facta. *Cæsar Augustus* cognominatur die abhinc quarto: *Romani* autem *Augustorum Epochen* ex *Calendis Januarii* hujus deducunt, qui in *Octaviani Cæsarii* Consulatum Septimum incidit, *A. V. C.* 727, *Olympiadis* 188ª annum secundum, *Herodis Magni* 13, ante *Christum* natum 25, *A. M.* 3978. *Octavio Cæsare* Septimùm & *M. Vipsanio Agrippa* tertium Coss.

7. *Auguſtus* rerum ſummam conſenſu populi adeptus in Repub. melius ordinanda totus erat, legeſque aliquot tulit. Multa quæ meditabatur communicavit aliis, quorum ſententias rogabat, & in rebus quibuſdam ſequebatur. Conſules autem præcipue conſulebat vel Collegam ſi ipſe hoc officio fungeretur. Ex Magiſtratibus ſingulis viros ſingulos delegit, atque ex Senatu 15 ſorte electos qui ſibi in ſex menſes *Curarum Participes* eſſent. De rebus quibuſdam referebat ad Senatum; ſatius autem duxit de arduis atque arcanis Imperii cum paucis deliberare. Patres de cauſis aliquot cognoſcebant & legatis pro more reſponſa dabant, cauſas tamen plurimas etiam Conſiliariis ſuis commiſit. In comitiis nonnunquam habitis nihil præter illius voluntatem agebatur. Magiſtratus aliquot ipſe nominabat, alios ipſe populo eligendos reliquit, illud ſolum cavens nequis dolo malo in album irreperet. Atque adminiſtrationis ratio, qua *Auguſtus* utebatur, ſic ſe habuit.

8. Anno ſequenti *Hiſpanias* pacavit & *Jani* Templum ſecundùm clauſit quod tamen brevi apertum eſt ex motibus in *Ægypto* ortis. In *Græciam* poſtea & in *Syriam* iter ſuſcepit, aquilaſque recepit à *Parthis* quas *Craſſus* & *Antonius* perdiderant, legatos etiam à *Pandione* & *Poro Indorum* Regibus. *Auguſto Athenis* hærenti occurrebat *Virgilius* Poeta qui ad *Æneida* perficiendam ſe in *Græciam* ſubtraxerat. A *Cæſare* reductus cùm

Megara urbem luſtraret tempeſtate ſervidiſſima in morbum incidit, quo ex navigatione auſto *Brunduſii* mortuus eſt 22° *Septembris*, anno ætatis ſuæ 52°, *V. C.* 735. *C. Sentio*, *Q. Lucretio* Coſſ.

9. *Auguſtus* ex *Scribonia* uxore *Juliam* filiam ſuſceperat. In ejus repudiatæ locum *Liviam Druſillam*, *Claudii Neronis* uxorem admiſit uterum quamvis geſtantem; intra tres enim à nuptiis menſes natus eſt *Druſus*, cùm antea *Tiberium* filium *Neroni* peperiſſet. Ex *Livia* prolem nullam *Auguſtus* diu ſuperſtitem habuit. *Juliam* filiam *Marcello* (filio *Octaviæ* ſororis ſuæ) uxorem dedit, illoque mortuo, *Agrippæ* cui filios tres peperit *Caium*, *Lucium*, & *Agrippam Poſthumum* præter duas filias *Agrippinam* & *Juliam*. *Agrippæ* Tribunitiæ poteſtatis particeps erat & *Syriam* per decennium obtinuit, cumque *Pannoniam* pacaſſet in *Campaniam* reverſus ibi diem ſuum obiit. *Juliam* nunc *Tiberius* jubetur ducere atque *Agrippinæ* (*Agrippæ* filiæ) uxori ſuæ nuntium remittere.

10. *Tiberius* & *Druſus* fratres *Rhætos* & *Vindelicos Germaniæ* populos ſubegerunt, *Pannonios* etiam & *Friſios*. *Druſus* autem cùm in *Germaniam* longiùs penetraſſet & Conſulatum unà cum *L. Quintio Criſpino* intraſſet, ab equo excuſſus diem ſuum obiit, duobus filiis relictis *Germanico* & *Claudio*, *A. V. C.* 745. *Auguſtus* eodem anno anni formam à *Julio* patre ordinatam reformavit, Menſemque *Sextilem* à ſe *Auguſtum* nominari voluit in

quo

quo Consulatum primum intraverat, potiùs quam *Septembrem* quo natus erat. Paulò pòst *Tiberius Germanos* dòlis vicit *Rhodumque* secessit *Juliæ* uxoris libidine divexatus quæ in tantam eruperat impudentiam ut in Insulam *Pandatariam* à patre tandem ablegaretur, qui mores filiæ impatientissimè ferens atque impatientiâ victus parùm prudenter eos Senatui aperuit. Erroris hujus conscius sæpe pòst dicere solebat. Si vel *Mæcenas* vel *Agrippa* superfuisset, nihil tale se fuisse commissurum. *Mæcenas* enim quarto circiter anno ab *Agrippæ* obitu terras reliquerat.

11. Gentibus nunc universis sub *Augusto* pacatis *Janique* Templo tertiùm ab eodem clauso, quum censum per totum Imperium instituisset & Domini titulum respuisset animosè, *Omnium rerum Dominus Jesus Christus* in mundum venit. De tempore incarnationis non optime scriptoribus inter se convenit ob difficultates magnas quæ ex versionibus Scripturæ variis, successionibus Judicum incertis, annorumque formis multis oriuntur, & supputatione diversa portionum annorum quæ in scriptura recensentur. Ex Evangelista tamen docemur anno *Tiberii* 15°, *Christum* circiter 30 annos habuisse. Vixit itaque *Cæsar Augustus* postquàm *Christus* natus esset annos 15, atque adeò si annos Imperii ejus à morte *Julii Cæsaris* auspicemur, atque hac ratione regnaverit ille annos 57, natus est Dominus anno ejus 42°. Sin initium ejus ducamus ex *Antonii* & *Cleopatræ* interitu, nativitas *Christi*

in annum ejus 28 incidet, *A. M.* 4003, *V. C.* 752, *Olympiadis* 194ª tertium, *Cæsare Augusto* 13. *M. Plautio Silano* Coss.

12. *Herodes*, qui circiter annos 37 regnaverat, ut *Christum* tolleret, frustra infantes omnes in confinio infra biennii ætatem interfici jussit. Hic occupato regno (ut telam historiæ rerum Judaicarum interruptam denuò prosequamur) *Aristobulum* fratrem *Mariamnes* uxoris suæ & *Judaici* regni hæredem è Pontificatu rejectum necari curavit inter natandum. Quamvis *Antonii* partes fuisset secutus, eo tamen victo & mortuo, *Cæsari* gratiam magnificentiâ quæsivit & invenit. *Mariamnen* dilectam uxorem non multò pòst è medio sustulit, factique serò pœnitens & furore percitus in magnam crudelitatem prorupit.

13. Septimo vel Octavo ante *Christum* natum anno, Templum *Hierosolymitanum* reparavit magnificentissimè. *Davidis* sepulchrum spoliavit, ex quo tempore nutare res ejus cœpêre. *Aristobulum* & *Alexandrum* filios ex *Mariamne* genitos, accusatos ab iis qui res suas ex eorum interitu augere studebant, velut conjurationis reos occidit; quibus sublatis, *Antipater* ex uxore alia susceptus & *Pheroras* Regis frater contra eum conjuraruntNon longo pòst tempore ipse in morbum horrendum incidit ex quo, postquàm manus sibi inferre conatus esset, atque *Antipatrum* jussisset interfici, moritur, anno ætatis suæ 72°, regni 27°, pòst *Christum* natum circiter secundum, *Olympiadis* 195ª primo.

primo, V. C. 754, *Caio Cæsare*, L. *Æmil.* *Paulo* Coss.

14. *Archelao* filio regnum reliquit, *Augustus* autem dimidium illi assignavit, & quod reliquum erat *Antipæ* & *Philippo* fratribus distribuit. *Archelaus* itaque *Idumæam*, *Judæam* & *Samariam* cum *Cæsarea*, *Sebaste* & *Joppe* urbibus obtinuit ex quibus 600 talenta tributi annui recepit. *Antipas* regionem trans *Jordanem* & *Galilæam* cum talentis 200, *Philippus* verò *Bathaneam*, *Trachonitidem* cum talentis 100. Dum hæc agerentur *Romæ*, *Judæi* Rege destituti seditionibus horrendis laborarunt quæ tandem *Vari* ex *Antiochia* adventu repressæ sunt: Et juvenis quidam pro *Alexandro Herodis* ex *Mariamne* filio se venditabat, quam fraudem *Augustus* detegit. *Archelaus* autem post decennium ob tyrannidem *Viennam Galliæ* relegatus, & facultatibus ejus fisco addictis, *Cyrenius* in *Syriam* missus universum censum egit, unde *Judas* quidam *Gaulonita* & *Sodoc Pharisæus* ansam rebellandi arripuerunt. *Judæa* nunc Principibus carens à Procuratoribus regi cœpit, quorum primus fuit *Coponius* cui successit *M. Ambivius* & huic *Annius Rufus*.

15. *Augustus Caium* & *Lucium* nepotes adoptavit *Principes Juventutis* salutatos. *Lucius* verò in *Hispaniam* missus ibi mortuus est, atque mense post 18° vel circiter *Caius* ex *Armenia* in *Italiam* rediens. In eorum locum *Tiberius* & *Agrippa Posthumus* ad optantur, atque ille ne quid rerum novarum moli-

retur

retur, *Germanicum Druſi* filium adoptare eſt juſſus. *Tiberius Germanos* vicit, *Pannonios* etiam & *Dalmatas* reduxit, à triumpho rejectus publico luctu ob legiones in *Germania* ad internecionem pene conciſas ab *Arminio Cheruſcorum* duce. Cladem hanc ſub *Quintilio Varo* acceptam omnium moleſtiſſime tulit *Auguſtus*, adeò ut inter alia mœroris ſigna caput januæ allidere ſoleret, illud ingemens *Redde Legiones Quintili Vare.*

16. *Tiberius* ad res in *Germania* componendas mittitur, cui anno tertio ſucceſſit *Germanicus Cæſar.* Ille ter triumphavit, atque æqualem cum *Auguſto* poteſtatem ſuper Provincias & exercitus recepit, quam, poſtquàm per triennium, tenuiſſet, *Monarchiam* ipſam obtinuit, mortuo *Auguſto*, menſis *Auguſti* die 19° quo primum Conſulatum inieraverat, ætatis ſuæ 76, *V. C.* 767, *Olympiadis* 198ª anno ſecundo, à *Julii Cæſaris* interitu 57°, à *Chriſto* nato 15°, *Sexto Pompeio*, *Sexto Apuleio* Coſſ.

17. Quamvis *Tiberius* matris *Liviæ* operâ (quæ etiam à non nullis exiſtimatur maritum veneno ſuſtuliſſe) ſatis imperium ſibi confirmaſſet, admodum tamen invitus & vix tandem exoratus à ſupplicante Senatu principatum ſuſcipere videbatur. Initio modeſtiam & temperantiam ſingularem præ ſe ferebat, nihil ſolus agens, deque rebus omnibus quæ alicujus momenti eſſent cum Senatu communicans. *Germanicum*, cui ob rerum geſtarum gloriam maximè invidebat, ſub ſpecie res in

Orientę

Oriente componendi in exilium abegit & *Pisonis* operâ sustulit, virum præstantissimum non *Romanorum* tantùm sed etiam *Barbarorum* amorem & delicias. *Germanicus* ex *Agrippina* (*Agrippæ* & *Juliæ* filia) filios tres genuerat *Neronem*, *Drusum* & *Caium* cum filiabus totidem. Obiit ætatis suæ anno 34°, cùm præcedenti gessisset Consulatum, *M. Junio Silano*, *C. Norbano Flacco* Coss.

18. Annis aliquot elapsis, *Tiberius* parricidii hujus pænas dedit, *Druso* filio suo *Sejani* dolis sublato quem in nimiam potestatem evectum imparibus & intempestivis honoribus cumulaverat. Tandem, personâ depositâ, ad proprium rediit ingenium, & Reip. curâ plane abjectâ, totum se crudelitati & voluptatibus tradidit, talemque se præstitit ut liquidò constaret præceptorem ejus *Theodorum Gadareum* non multùm à scopo aberrasse cum diceret discipulum suum esse πολὺν αἵματι πεφυραμένον, *Lutum sanguine maceratum*.

19. Anno *Tiberii* 12° *Pontius Pilatus Valerio Grato* Procuratori *Judææ* quarto successit, qui cùm *Cæsaris* imagines in publico proposuisset in seditionem magnam *Judæos* conjecit, quam sedare non potuit antequàm imagines *Cæsaream* removisset. *Pilato* Procuratore *Tiberii* anno 15° ineunte, *Johannes Baptista* in spiritu *Eliæ* concionari cœpit, atque inter alia Dominum nostrum *Jesum Christum* Baptizavit qui Spiritu Sancto plenus officium Salvatoris statim ingreditur. Exactis tribus in ministerio Paschatis, ipse Paschate

chate quarto *Pascha verum Nostrum* sacrificatus est.

20. *Christo* mortuo sol obscuratus est, seu lunæ interventu, cùm tamen *Pascha* semper plenilunio celebraretur, vel lucis suæ retentione. Hujus eclipsis meminerant Calendarii Ethnicorum & inter alios Historicos *Phlegon Trallianus Adriani* libertus. De *Christo* luculentum præbuit testimonium *Josephus Judæus* Historicus nobilissimus; de eoque scripserunt Ethnici varii. Sub ejus adventu Oracula siluerunt; & cùm *Pan Magnus* dicatur mortuus *Tiberii* tempore, referente *Plutarcho*; *Christus* ipse *Pastor noster ille Magnus* intelligendus est. De *Christo* locutæ sunt *Sibyllæ* & *Pilatus* de miraculis ejus *Tiberium* certiorem fecit: De quibus omnibus prolixè scripsimus in Institutione.

21. Post domini in cœlum ascensum *Diaconi* septem, inter alias ab *Apostolis* res gestas, instituti sunt. *Jacobus* frater Domini *Justus* cognominatus Episcopus *Hierosolymitanus* primus est factus, & *Saulus* qui immanitate quadam fideles fuerat prosequutus ad fidem convertitur. *Pilatus, Samaritanis* clade affectis, *Romam* ad causam dicendam mittitur. *Judæi* ob avaritiam egregiam *Roma* exulant.

22. Anno à *Christo* mortuo circiter secundo decessit *Philippus Tetrarcha* (vir modestus) sine liberis, cujus Principatus *Syriæ* fuit adjectus. *Artabanus Parthiæ* Rex *Tiberium* non solùm contempsit sed derisit, cum quo tamen *Vitellius* pacem facere jubetur: *Vitellius*

Hierosolyma

Hierosolyma veniens *Josephum Caipham* cognominatum Pontificatu deponit cui succedit *Jonathas* filius *Annæ*. *Darium* filium obsidem *Romam Artabanus* misit, ante ejus tamen adventum *Tiberius* diem suum obierat (populo seu de hoste quodam victo triumphante) *Martii* die 16, cum annos regnasset 22, menses septem & dies aliquot, ætatis suæ 78, *V. C.* 790. *Cn. Acerronio Proculo, C. Pontio Nigrino* Coss.

CAP. II.

Ab obitu Tiberii usque ad mortem Neronis ultimi Cæsarianæ familiæ Imperatoris.

Spatium Annorum 20.

1. TIberius nepotem *Tiberium* ex filio *Druso* reliquit, cui *Caium Germanici* filium tamen prætulit, vel ob rationem aliquam ab arcanis Astrologiæ petitam cui multum deditus fuerat Princeps, vel *Macronis* liberti sui operâ in cujus amorem *Caius* se insinuaverat, licèt stupri consuetudinem cum ejus uxore habuisse dicatur. Et *Macrone* quidem opitulante

tulante creditum est *Tiberium* fuisse sublatum.

2. Quidam *Tiberium* callidè *Caium* successorem suum designasse crediderunt ut novâ criminum atrocitate scelera propria abolerentur. Exercitus novum Principem lubens recepit ut in castris natum, ubi à calceamentorum militarium genere quodam *Caligula* cognominabatur: Populus eum amplexus est ut *Germanici* filium familiæ etiam misertus tot injuriis à *Tiberio* affectæ cujus crudelitatem haud aliter *Caius* effugerat quàm iram dissimulando & tolerando contumelias, cùm verè diceretur *Meliorem Servum* & *Pejorem Dominum Caligulâ nunquam extitisse.*

3. *Caius Agrippam Aristobuli* filium *Herodis Magni* nepotem illius regionis Regem constituit cujus *Philippus Tetrarcha* fuerat, *Herodem* vero *Antipam* unà cum *Herodiade* uxore *Lugduni* exulare jussit & *Pontium Pilatum Viennæ*, ubi post biennium manus sibi ipse intulit. Principio mitem satis se præbuit, postea in Monstrum plane abiit. Infinitam auri vim quam per viginti tres annos quibus præfuit, *Tiberius* collegerat, primo statim anno totam profudit, honores divinos assumpsit & in tantam devenit crudelitatem ut fides narrationi pene deficiat.

4. Quos capitali afficiebat supplicio non nisi lentè extingui voluit ut se mori sentirent, exoptavitque Populo unicam cervicem, quam scil. præcideret. Cùm multi de Tyranno tollendo cogitassent, tandem eum occidit

occidit *Cassius Chæreas* Satellitum Præfectus nono Calendas *Februarii* cùm annos regnasset tres, menses 10 & dies 8, vixisset autem annos 29, anno *V. C.* 794, à *Christo* nato 42, *Ipso* quartùm, & *C. Sentio Saturnino* Coss.

5. *Caligula* mortuo, Patres Imperium Populi & Senatus reducere conabantur authore *Saturnino* Consule, ut singulus quisque seipsum in Principatum evehendi opportunitatem obtineret & Remp. in pristinas difficultates conjiceret. Militibus autem contrarium visum est, qui rectè Reip. interesse dicebant ut Regimen Monarchicum esset, privatis tamen commoditatibus inhiabant. Libidinem itaque effrenem Principatum disponendi auspicati Prætoriani *Tiberium Claudium Drusum Germanici Cæsaris* fratrem, *Drusi* filium, in Imperatorem eligunt de vita ipsa adeo desperantem ut in latibulum se abdidisset.

6. *Claudius Chæream* capite multavit, Ditionem *Agrippæ* auxit qui *Jacobum Apostolum* occidi jussit, & ab Angelo percussus misere periit. Principes aliquot restituit, *Rhodios* & *Lycios* libertate privavit qui seditionibus ortis *Romanos* aliquot interfecerant. Eo regnante *Britanni* à *Julii Cæsaris* tempore intacti tumultuarunt, contra quos profectus insulæ partem recepit, magna cum pompa *Romam* rediit & splendidissimè triumphavit. *Messalinâ* uxore omnium fœminarum impudicissimâ prout meruerat punitâ, *Agrippinam* neptim suam duxit quæ priori marito *Domitio Ænobarbo* filium *Domitium Neronem* peperat.

rat. Hunc generum ſuum factum, uxoris artibus inductus, poſt adoptavit, quamvis ſibi filius eſſet *Britannicus* biennio tantùm *Nerone* Minor. *Britanni* ab ejus diſceſſu haud ſemel rebellarunt, victi tamen ſunt & *Caractacus* omnium Principum *Britannicorum* potentiſſimus *Romam* Captivus ducitur.

7. *Claudius* anno ſuo duodecimo *Agrippam Agrippæ* filium *Tetrarchiis Philippi* & *Lyſaniæ* donavit, ablata *Chalcide* poſtquàm eam tenuiſſet per quadriennium. *Rhodios* priſtinæ libertati reſtituit, & *Ilienſes* oneribus omnibus levavit ut *Romanæ* gentis authores. Non longe pòſt tempore uxor eum veneno ſuſtulit virum hebetem & ſtolidum, dum privatus eſſet, timidum ſemper; &, licet Principem, libertorum ſuorum Mancipium, inter quos *Narciſſus* & *Pallas* locos primos obtinebant. Ita periit autem ille, qui intra temporis exigui ſpatium, Senatores 35 equites 300 ad mortem damnaverat, tertio *Iduum Octobris*, ætatis anno 64°, cùm annos regnaſſet 13, menſes 8 & dies 20, anno *V. C.* 807, à *Chriſto* nato 55, *M. Aſinio Marcello* & *M. Acilio Aviola* Coſſ.

8. *Claudii* ſucceſſor fuit *Domitius Nero* cujus mater *Agrippina* mortem mariti celaverat eo uſque donec Imperium filio confirmarat. Principium *Neronis* encomiis adeo celebratum eſt ut *Trajanus* Imperator dixerit quinquennii ejus primi laudes Principem nullum attigiſſe. Tandem inter ipſum matremque (quæ Imperium totum arripere ſtudebat) ſimul-

ſimultatibus ortis perſonam depoſuit. *Britannicum* fratrem ut æmulum veneno necavit & *Poppæam Sabinam P. Ollii* filiam deperiens ejus monitis adeò contra matrem excanduit, ut naturæ ipſius dictamine ſpreto eam interſici juſſerit, Senatu Populoque miſerè factum probantibus, quæ erat tunc *Romanorum* animorum tenuitas & abjectio.

9. Ab hoc facinore in omnem morum pravitatem ſe devolvit. *Corbulo* in orientem miſſus in *Armenia* rem bene geſſit, cujus *Tigranem*, nepotem *Archelai Cappadocis*, Regem conſtituit. Anno ſequenti *Britanni* defectione facta *Camalodunum* Coloniam & *Verulamium* municipium *Romanum* conciderunt, ægreque *Suetonii* ceſſerunt armis cui *Turpilianus* ſuccedens pacis ſpecioſo nomine ſegnitiem velabat. Proximo anno *Albinus Feſto* Procuratori *Judææ* qui *Felicem* ſequebatur, ſucceſſor eſt datus. Eodem tempore *Agrippa* Pontificem creavit *Ananum* filium *Anani* ſeu *Annæ* illius qui exemplo plane novo ipſe officio illo functus filios quinque habuit ſibi ordine ſuo ſucceſſores. Hic *Ananus Minor*, *Jacobum Juſtum* fratrem *Jeſu Chriſti* occidi juſſit, atque eo facto bonis omnibus vehementer diſplicuit, *Joſepho* teſte; at propterea quòd Pontifices vitæ & mortis poteſtatem nullam haberent, *Agrippa* eum Sacerdotio privavit.

10. Non multùm pòſt *Nero Poppæam* duxit & nefandæ libidini ſeipſum tradidit ita ut ſe uxorem *Pythagoræ* cuidam jungeret, & fœdiſſimorum ſodalium alterum *Sporum*, quaſi fœminam,

fœminam, in matrimonium assumeret. *Romæ* flammis subjectis, histrionis in habitu *Ilii* excidium cecinit, & contra *Christianos* de maleficio accusatos primam persecutionem excitavit. Contra Principem sic belluæ in modum grassantem conjuratio facta est *Cn. Pisonis* operâ, qua detecta, cum authore perierunt *Lucanus* Poeta, ejus Pater *Mela*, avunculi *Annæus Novatus* seu *Junius Gallio* (sic à patre adoptivo appellatus) & *L. Annæus Seneca Neronis* ipsius Præceptor, de cujus moribus *Lipsio* potiùs quam *Dioni* Historico fides est adhibenda.

11. *Nero* Histrionicam artem exercens & à *Poppæa* uxore scommatis exceptus eam gravidam calcium ictu occidit. Non ei deerat luxuria nec vitium ullum aliud quo minus obtineret quod *Domitius* de filii nativitate nuncio accepto dixisse fertur: *Ex se & Agrippina nihil nisi execrabile detestandum & quod in Reip. cederet perniciem oriri posse*, cùm in eo non solùm familiæ suæ sed etiam gentis *Romanæ* vitia omnia coivisse videantur: Domum ædificavit sumptibus stupendis magnificentissimam. *Isthmum Peloponnesi* transfodere aggressus est.

12. In *Attica* adhuc hærens quum ludis *Olimpicis* reverteretur (quibus strenuum cantorem se & aurigam *Græcis* præbuerat) nuntium accepit à *Cestio Gallo Syriæ* Præside de *Judæorum* rebellione, qui Christi sanguinis reatu laborantes tyrannide Procuratorum penè opprimebantur; *Flori* præcipue qui eo im-

impudèntiæ atque impietatis devenerat ut præconis voce per regionem totam latrocinii copiam nequiſſimis hominibus faceret, & cædes horrendas patraret, ut eos in rebellionem conjiceret quo faciliùs poſſet ſcelera ſua admiſſa velare.

13. *Judæi* hujuſmodi artibus in tumultùs irritati variis in locis cæſi ſunt, & *Hieroſolymitani* duces ſibi præfecerunt ad bellum aperte gerendum, *Nero* diu deliberans quem contra eos mitteret, *Veſpaſianum* tandem à puero in re militari verſatum, delegit, quem non ita pridem è ſuo conſpectu abegerat quòd Hiſtrionica illi ars, ut Majeſtate indigna, parùm arrideret. *Nerone* autem, poſt biennium in *Græcia* exactum, *Italiam* verſus redeunte *C. Julius Vindex* origine *Gallus* Senatorii ordinis vir & *Ser. Sulpicius Galba* qui *Tarraconenſem* in *Hiſpania* Provinciam regebat in eum conſpirarunt. *Galba* purpuram à militibus oblatam accepit, cumque *Romam* verſus feſtinaret, *Nero* à Senatu hoſtis judicatus & ægre amicorum Conſilio parens *Epaphroditi* liberti ſui operâ uſus ſeipſum interfecit, cùm non obſcure ſignificaſſet ſe quandoque ſublaturum eſſe prorſus ordinem Senatorum. Periit 4 *Idus Junii*, cum regnaſſet annos 13, menſes 7, & dies 28, ætatis ſuæ 32, *V. C.* 821, *A. D.* 69, *C. Silio Italico* Poeta, *M. Valerio Trachalo* Coſſ.

14. Dùm *Nero* eccleſiam Chriſti primus perſequeretur S. *Paulus* Apoſtolus *Romæ* ſecuri percuſſus eſt, S. *Petrus* verò crucifixus.

Petro

Petro in ſede *Romana* *Linus* ſucceſſiſſe dicitur; *Jacobo Juſto* Epiſcopo *Hieroſolymitano* *Simon Cleopæ*. Eccleſiæ *Antiochenæ* *Euodius* primus ab Apoſtolis præfuit, cui ſucceſſit *Ignatius Johannis* Apoſtoli diſcipulus. *Marco* Evangeliſtæ anno *Neronis* octavo vel nono in ſede *Alexandrina* ſucceſſit *Anianus*.

CAP. III.

A Neronis morte uſque ad Domitiani interitum poſtremi Veſpaſianorum.

Spatium Annorum 27.

1. A *Claudii* tempore ſtatus Reip. *Romanæ* eò redactus fuerat infortunii ut penes exercitum eſſet creare *Cæſarem*. Hinc mirabili quadam rerum mutatione à *Romanis* illis atque priſcis familiis auguſtum illud imperii decus & faſtigium ad exteros fuit delatum, & quidem aliquot pudendæ conditionis homines. Nam ex iis quidam fuerunt *Hiſpani*; nonnullis *Pannonia, Dacia, Dardania, Dalmatia, Gallia, Thracia, Cappadocia* dedit originem.

2. Miſera etiam & anceps Imperatorum erat conditio, cùm ipſorum dignitas omnis atque

atque ſalus eſſet non in Senatus & Populi, ſed in legionum ac militum poteſtate. Sic ut permirum videri poſſit ullos fuiſſe qui munus hoc tam periculoſum & injuriis opportunum ſuſciperent. Etenim inde à *C. Cæſare* qui ſpectante Senatu concidit, ad *Carolum* uſque Magnum 30 circiter fuerunt ex iis interfecti, 4 verò ſibi mortem ipſi conſciverunt. Semper aliquid erat quod in illis deſiderarent milites: Neque bonos magis quam improbos ferre poterant & ad minimam occaſionem, concitata turba, jugulabant eos quos etiam invitos ad culmen illud honoris pertraxerant. *Cæſarem* metuebat Senatus, ipſe verò *Cæſar* ab impuri militis voluntate & nutu propemodum pendebat.

3. Hos ſibi ſpiritus ſumere cœperant indè poſt *Cæſaris* mortem, præſertim legiones veteranæ quibus per *Galliam, Hiſpaniam, Africam* ille fuerat uſus: Et *Cicero* hoc ipſum deplorans, *Fortes quidem illæ ſunt*, inquit, *ſed propter memoriam rerum quas geſſerunt pro Populi Romani libertate & dignitate Reip. nimis feroces, & ad ſuam vim omnia noſtra conſilia revocantes.* Aſt ad illum modum *Galba Cæſar* creatus ſpem de ſe privato conceptam vix Princeps aluit, dignus quidem imperare viſus ſi non imperaſſet, & extra vitia potiùs quam cum virtutibus. Quum ſeveritate odium militum incurriſſet *Othonis* operâ ab iis occiſus eſt 17 Calend. *Februarii*, ætatis ſuæ anno 73°. poſtquam ſeptem regnaſſet menſes.

4. *Galba*

4. *Galbâ* occiſo, *M. Salvius Otho* à militibus ſuis Imperator ſalutatus Imperium invaſit, qui, cùm *A. Vitellius* in *Germania* etiam à ſuis eſſet electus, nequid ex hac contentione damni Reſpub. pateretur, manus ſibi ipſe intulit. *Vitellius* Principatu invaſo ſe totum Galliæ tradidit & *Neronem* in omnibus laudans crudele ejus ingenium imitandum ſibi propoſuit. Adeò ſe immerſit voluptatibus ut de bello loqui vel ſermonem admittere non ſuſtineret, quinetiam de eo rumoribus omnibus per urbem interdixit, donec tandem *Veſpaſiani* adventu terreretur qui, legionibus in *Judæa* impellentibus, purpura ſe induerat. Hic *Judæos* in multas factiones diviſos & partium contentione inaudita languentes cladibus variis affecerat, regionemque totam ſubegerat præter tria Caſtella & *Hieroſolyma*. Cùm variarum provinciarum exercitus eum ad imperium ſuſcipiendum vocarent, tandem annuens *Italiam* verſus movebat, *Vitellius* autem omnibus contumeliis affectus, occiſus & in *Tiberim* projectus eſt anno ætatis ſuæ 57°, cùm Imperium tenuiſſet per menſes 8 & dies 5.

5. Dùm hæc fierent, motus quidam in *Germania* & *Gallia* facti ſunt qui tandem *Petilii Cerealis* induſtriâ ſunt compoſiti. *Sarmatæ*, *Iſtro* ſuperato, in *Romanas* provincias penetrarunt omniaque ferro & igne vaſtantes à *Rubrio Gallo* caſtigati & repreſſi ſunt multis amiſſis. *Titus* interea *Veſpaſiani* filius in *Judæa* à patre relictus bellum gerebat & *Hieroſolyma* obſeſſa

obsessas diu tandem expugnavit. Inaudita aliàs de factionibus populi hujus miseri à *Josepho* oculato teste memorantur; & de vulgi ærumnis fame gravissima laborantis. Urbs ipsa templumque consumptæ sunt incendio *Septembris* 8°, *Vespasiani* secundo, ipso *Titoque* filio Coss. 38° à morte *Christi* cujus sanguis gravis admodum super eos erat. *Hierosolyma* capta sunt Sexies, ab *Asochæo Ægyptio, Nebuchadnesare, Antiocho Epiphane, Pompeio, Herode* atque *Sosio*, & *Tito*; bis excisa, à *Nebuchadnesare* & *Tito*. Ad hoc ultimum excidium ab illo tempore quo *David* Rex urbem à *Jebusæis* ceperat intervenerunt anni 1179, ab urbis autem primordiis 2177.

6. *Judæorum* captivorum numerus ad 97000, eorum verò qui obsessi peribant ad 1100000 assurgebat. *Vespasianus* terram vendi jussit, gentique tributum annuum imposuit, quod templo solvi solebat Capitolio nunc solvendum. Bellum tandem à *P. Sylva* finitum est, *Massada* Castello expugnatâ, cùmque *Judæi* in *Ægypto* & *Cyrene* tumultuarent eorum templum ab *Onia* conditum occlusum est, ipsi vero statim sunt oppressi duce *Jonathane* capto, qui cùm inter alios *Josephum* Historicum falsò accusaret flagris fuit cæsus & vivus combustus. Hue usque *Josephus* bellorum historiam nobis contexuit, cui statua erecta est, cujusque libri digni sunt habiti qui *Romæ* Bibliothecâ publicâ asservarentur. Antiquitatum *Judaicarum* vo-

lumina anno *Domitiani* 13 demum absolvit, cùm ipse annos haberet 56, ut ad calcem operis testatur.

7. *Vespasiano Lex Regia* renovata est qua Imperium Populi in *Augustum* ejusque successores fuerat translatum. *Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum, Thraciam, Ciliciam* & *Comagenem* Populi *Romani* Provincias fecit. Moderatus & clemens habitus, paulo avarior, Scientiarum tamen liberalium fautor eximius, utpote qui stipendia primus ex publico solvi Doctoribus voluit. Consulatu suo novo ex dysenteria interiit, anno ætatis 69°, decennio in imperio exacto, anno *V. C.* 832, *A. D.* 79. *Tito* unà cum *Patre* Septimùm Consule.

8. Patri successit *Titus* (octavo *Calendas Junii*) qui unà cum *Britannico Claudii* filio educatus fuerat. Ambitionis, luxuriæ vitiorumque aliorum privatus suspectus & tanquam *Nero* alter habitus, Princeps factus morum suavitate suspiciones omnes sustulit & mutatione quadam fœliciſſima *Amor & Deliciæ humani generis* & fuit & audivit. Magno Imperii universi luctu & lamentis post biennium menses duos & dies 20 obiit, ætatis anno 42°, *V. C.* 834, *A. D.* 81. *M. Plautio Silvano, M. Annio Vero* Coss.

9. *Tito* successit *Domitianus* frater qui eum sustulisse à quibusdam creditur, licet antea veniam obtinuisset sceleris designati. *Neronem* potiùs *Caligulam* vel *Tiberium* quàm patrem vel fratrem retulit. Principio crudelitas ejus

ad

ad muſcas reſtricta quas ſtylo ſolus transfigere ſolebat, Modeſti tamen perſonam exuit & crudelis ad modùm eſt factus poſtquam *Antonius* in *Germania* ſuperiori, vitiis & contumeliis ejus laceſſitus rebellaſſet. Cum *Chattis*, *Dacis*, & *Sarmatis* bella feliciſſime geſſit deque iis triumphavit. Tandem exoſus omnibus à ſuis eſt interfectus 14° *Calendas Octobris*, ætatis ſuæ anno 45°, imperii 15°, *V. C.* 849. *A. D.* 96. *T. Fulvio Valente*, *C. Antiſtio Vetere* Coſſ. Vixerunt ejus tempore *Statius*, *Juvenalis*, *Martialis* Poetæ.

10. *Dionyſius Areopagita* à *Paulo* Apoſtolo *Epiſcopus Athenarum* primus factus dicitur. *Lino* Martyri in *Romana* ſede ſucceſſerunt *Cletus* (ſive *Anacletus*) & *Clemens*. *Aniano* primo *Alexandrino* Epiſcopo ſucceſſit *Abilius*. Epiſcopi *Byzantini* hoc ordine recenſentur: *Andreas* Apoſtolus, *Stachys*, *Oneſimus*, *Polycarpus*, *Eleutherius* anno ſecundo *Domitiani* electus. *Domitianus* ſecundam contra *Chriſtianos* perſecutionem ſuſcitavit, qua *Johannes* Apoſtolus in *Pathmo* Inſula exulans *Apocalypſin* ſuam ſcripſit. Illo in libro *Nicolaitarum* hæreticorum meminit: Hæreſes enim multæ in Eccleſia nunc fuerant exortæ. *Euſebius Simonem Magum* Hæreſiarcharum primum fuiſſe vult. Præter *Nicolaitas*, *Cerinthii*, *Menander*, *Baſilides*, & eorum diſcipuli, *Carpocrates* aſſeclæque ejus *Gnoſtici* cum *Ebionitis* Eccleſiam Dei vexare cœperunt.

CAP. IV.

A Domitiani interitu usque ad cædem Pertinacis & Imperium Romanum venum Expositum.

Spatium Annorum 97.

1. *Domitianus* somniasse dicitur caput & cervicem auream ex humeris suis fuisse enatam, quod Principum sequentium, exterorum licèt, virtus & modestia satis confirmavit. Proximus à *Domitiano* fuit *Coccejus Nerva* qui Principatu cum Populi libertate conjuncto (quod antea nemo fecerat) nihil præstantius feciſſe existimatur *M. Ulpium Trajanum* adoptando, quo facto vix per menses tres superfuit, ab iracundia vehementiori febre contractâ ex qua mortuus est sexto Calendas *Februarii* cum annos vixisset 65, imperasset unum cum mensibus 4 & diebus 9, anno *V. C.* 851. *A.D.* 98. *Ipso* quartùm, *Trajano Cæsare* secundùm Coss.

2. *Trajanus Augustus Dacos* bis reduxit ad officium. In *Armeniam* & *Parthiam* profectus, deditione & gratiâ *Parthos* sibi adjunxit & *Parthicus* cognominatus est. Imperium *Romanum* longissime produxit. Contra ecclesiam Christi autem bellum gerenti (secunda persecutione excitata) nutare res cœperunt, & plerique omnes ab eo subjecti populi rebellarunt,

runt, præcipuè per *Armeniam* & *Meſopotamiam*. *Parthi* etiam regem ipſis datum rejecere. Cùm in *Italiam* cæpiſſet reverti, *Judæi* rebellantes variis in locis ſtrages edebant horrendas & terræmotus fiebant graviſſimi. Obiit tandem in *Cilicia* ex dyſenteria poſtquam annos regnaſſet 19, menſes 6 & dies 15, ætatis ſuæ anno 64, *Olympiadis* 224ª primo, *V. C.* 870, *A. D.* 117. Eo regnante *Plutarchus*, *Lucianus*, *Plinius Secundus*, *Suetonius*, *L. Florus* & *Cor. Tacitus* floruerunt.

3. *Trajano* ſucceſſit *Ælius Adrianus* conſobrinæ ejus filius, *Plotinæ* Imperatricis operâ. *Judæos* domuit qui indigniſſimè ferentes *Hieroſolymis*, quæ habitari permiſerat, templum *Jovi Olympio* ædificatum, rebellaverant. *Gallias*, *Germaniam Britanniam* & *Hiſpanias* inviſit: Deinde *Mauritaniam*, *Parthos*, *Aſiam*, *Græciam*, perque *Siciliam Romam* rediit. Inde rurſus in *Africam* profectus *Romamque* reverſus denuo *Græciam Aſiamque* petit, illinc autem in *Arabiam* contendit & pòſt in *Ægyptum*. *Adriano* rerum potito, Eccleſia perſecutionem aliquam ſubiit, quæ tamen *Quadrati* & *Ariſtidis* apologiis ſublata eſt ab Imperatore, in id literis ad *Minutium Fundanum Aſiæ* Proconſulem datis quas *Juſtinus Martyr* in apologia ſua ſecunda edidit. Curioſiſſimus omnium fuit, ſcientiæ egregius ſectator, at in doctiores omnes ſummè malevolus. Obiit ex hydrope quo in iracundiam vehementem inciderat 4° *Iduum Julii*, cùm annos vixiſſet 62, regnaſſet 21, cum menſibus 11;

anno *V. C.* 891. *A. D.* 138. *Sulpitio Camerino, Quintio Magno* Coſſ.

4. Ejus tempore *Ptolomæus Alexandrinus* Aſtronomorum Princeps floruit, *A. Gellius* ſeu *Agellius*, *Juſtinus Trogi* Epitomator aliique docti: Juriſconſulti *Alburnius Valens*, *Iuſcianus*, *Vindius Verus*, *Ulpius Marcellus*, *Arrianus*, *Tertullianus*, *Salvius Julianus*, *L. Voluſius Metianus*. *Adrianus* primùm *L. Verum* adoptavit qui anno ſuperiori diem ſuam obierat, Conſulatus ſui ſecundi die primo, *Calendis Januarii*. *L. Verus* filium habuit *Lucium*, & *Marcum* adoptare juſſus eſt, cùm autem iſti valde eſſent juvenes *Adrianus* ipſe *Antoninum* adoptavit qui juſſus eſt adoptare *Lucium* & *Marcum*, Convocato itaque Senatu *Antoninum* Patribus commendavit.

5. *Antoninus Auguſtus Pii*, ob morum probitatem, cognomentum habuit. Pacem colens & de omnibus bene mereri ſtudens exteros Reges atque Populos literis & humanitate in officio continuit. Philoſophus fuit egregius adeò ut *Cymini Sector* diceretur. Erga Chriſtianos *Juſtini Martyris* & aliorum apologiis benignus eſt redditus & eorum in gratiam edictum promulgavit. *Nonis Martiis* obiit, exactis in Imperio annis 22, menſibus ſeptem & diebus 26, *Olympiadis* 235. anno primo, *V. C.* 914. *A. D.* 161. Eo regnante præter Juriſconſultos & *Juſtinum* Philoſophum Chriſtianum *Polycarpus Smyrnæ* Epiſcopus, *Galenus Medicus Pergamenſis* atque *Ælianus* Hiſtoricus floruerunt.

6. *Antonine*

6. *Antonino Pio* ſucceſſit *Marcus Annii Veri* filius cognomento Philoſophus qui *L. Aurelium Verum* propinquum ſuum Imperii ſocium ſibi aſſumpſit, atque hi duo primi junctâ operâ & æquali poteſtate Remp. *Romanam* adminiſtrarunt ingenio prorſus diſſimiles. *Lucius* bellum *Parthicum* fœliciter geſſit. *Marcus* in urbe Remp. curavit, deinde mortuo *Vero* ſolus imperavit & in *Germanos* rem bene geſſit. *Marcomannos* etiam oppreſſit, *Sarmatas* & *Vandalos Quadoſque* qui *Pannonias* invaſerant. Plerique enim omnes Populi inde ab *Illyrico* uſque in *Galliam* eo tempore contra nomen *Romanum* conſpiraverant. *Vero* potiùs quam *Marco* Perſecutio quarta contra Chriſtianos ſuſcitata attribuenda eſt. *Legio Melitina* ex Chriſtianis conſtans, cùm exercitus *Romanus* contra *Quados* pugnans ſiti pene opprimeretur, precibus pluviam & victoriam obtinuit, atque ex fulgure & tonitru in hoſtes cœlitùs miſſis *Fulminatrix* fuit cognominata.

7. *Marcus* hinc excitatus benignum ſe Chriſtianis præbuit, atque epiſtolis ſuis ad Senatum Populumque datis rei veritatem teſtatus eſt. *Aurelius Victor* ſcribit hunc civitatem *Romanam* univerſis Imperii ſubditis dediſſe quod alii *Antonino Pio* attribuunt. *Romani* autem jus quadruplex alienigenis impertire ſolebant, *Jus Latii*, *Jus Coloniæ*, *Jus Municipii*, & *Jus Civitatis* de quibus omnibus Inſtitutionem noſtram Tirones conſulant. *Marcus* autem *Vendibonæ* diem ſuum obiit *Martii* 17°, anno ætatis ſuæ 58, Imperii 19°,

V. C. 932. *A. D.* 180. *Arrio Præſente* ſecundùm, *Ælio Gordiano* Coſſ.

8. *Marco Aurelio* Principi laudatiſſimo ſucceſſit flagitioſiſſimus filius *Commodus Antoninus* cujus gratiâ eum à Medicis nonnulli ſublatum exiſtimarunt. Conſiliariis à patre deſignatis ad tempus certum uſus aſſentatoribus poſtea auſcultavit atque in omnem turpitudinem erupit. Per legatos tamen devicit *Mauros* atque *Dacos*, compoſuit *Pannonias*, *Germaniam* & *Britanniam*, ipſe interim in omni genere turpitudinis & crudelitatis vitam degens. Tandem catalogus quo nomina inſcripſerat morti deſtinatorum in horum manus incidit, à quibus oppreſſus eſt anni *Juliani* die ſupremo, ætatis anno 32, poſtquam annos regnaſſet 13, *A. V. C.* 945. *A. D.* 192. *Ipſo* ſeptimùm & *Helvio Pertinace* tertiùm Coſſ.

9. *Commodo* ſucceſſit *Helvius Pertinax* quem conjuratores, ante Imperatoris obitum palàm factum, elegerant. Hic invitus Imperium ſuſcepit & eximii Principis ſpem omnibus fecit, militum autem rapinas & vim coercens odium eorum incurrit qui licentiæ ſub *Commodo* indultæ recordari hominem è medio ſuſtulerunt, Imperii die 85. Ætatis ſuæ 69. *Q. Sofio Falcone, C. Julio Erucio Claro* Coſſ.

10. *Trajano* regnante *Johannes* Apoſtolus *Epheſi* mortuus eſt. *Simeoni Cleophæ* crucifixo ſucceſſerunt *Juſtus Judæus*, *Zachæus*, *Tobias*, *Benjamin* & *Johannes*. Anno *Trajani* 11° *Euariſto* Epiſcopo *Romano Martyri* ſucceſſit *Alexander*

ander & huic *Martyri Ciſtus.* Hunc excepit *Teleſphorus*, hunc *Hyginus*, hunc *Pius*, & hunc *Anicetus.* A *Chriſti* Domini noſtri morte uſque ad *Adriani* 18 annum Epiſcopi in Eccleſia *Hieroſolymitana* fuerunt 18 *Judæi* omnes. *Gentilium Marcus* primus fuit. Poſt *Abilium Cerdo* Eccleſiæ *Alexandrinæ* præeſſe cœpit anno *Trajani* primo, cui ſucceſſerunt *Primus*, *Juſtus*, *Eumenes*, *Marcus*, *Celadion*, *Agrippas*, *Julianus*, & *Demetrius.* In ſede autem *Antiochena Ignatio* Martyri ſucceſſit *Heros*, atque huic *Cornelius* anno circiter 12° *Adriani.*

11. Circa annum Domini 110 *Thebulis* Hæreſiarcha primus fuit in Eccleſia *Hieroſolymitana.* Eodem tempore Eccleſiam vexarunt *Ophitæ*, deinde *Caini*, *Cerdon*, *Valentinus*, *Marcion*, *Marcellina*, *Montanus*, *Secundiani*, *Ptolomæi*, *Marcoſii*, *Colobaſii*, *Heracleonitæ*, *Archontici*, *Encratitæ*, *Severiani*, *Marcionitæ*, *Pepuziani*, *Artotyritæ*, *Alogi*, *Adamitæ*, *Theodotus*, *Artemon*, *Marcianus*, & *Noetus.*

CAP. V.

A Pertinacis interitu & Imperio venum exposito usque ad Maximini Cædem Imperatoris primi absque ullo Senatus consensu confirmati.

Spatium Annorum 45:

1. MIlites, *Pertinace* occiso, Imperium indicant, quod maximo pretio emit *Didius Julianus* Jurisconsultus consularis dignitatis, vir locupletissimus. Eodem tempore *Pannonias* rexit *L. Septimius Severus* origine *Africanus* vir promptus & sagax qui *Pertinacis* cæde audita à militibus suis Imperator salutatus *Italiam* invasit. Senatus convocatus Imperium illi, *Juliano* autem mortem decrevit cùm imperasset per menses 7, & mors ei magno constitisset.

2. *Severus*, Imperio suscepto, *Nigrum Syriæ* Præsidem æmulumque suum opprimere statuit, ne autem inimicum à tergo relinqueret. *Clodium Albinum*, virum nobilissimum qui *Britanniæ* præerat & Principatui inhiabat, *Cæsaris* titulo inescavit, donec, *Nigro* in Oriente oppresso, eum etiam reversus prælio fuderit. *Arabiam* invadens auso suo excidit, in *Parthiam* autem, dum rediret, delatus re bene gesta *Ctesiphontem* Metropolin cepit. *Judæos* per *Syriam* debellavit, Regem *Persarum Abagatum* subegit.

egit. *Britanniam* communivit, muro utrinque ad Oceanum ducto per transversam insulam, & subjectis populis *Eboraci* tandem vitam finiit, vir egregius in re bellica & Imperatorum Maximorum res gestas æquasse visus. Cùm ab infimo pene loco ad summum fuisset honoris fastigium evectus, illud tamen moriens in ore habere solebat: *Omnia fui & nihil expedit.* Obiit pridie *Nonas Februarii*, postquàm annos regnasset 18, vixisset ferè 66, *A. V. C.* 964. *A. D.* 211. *Q. Epidio Rufo, Pomponio Basso* Coss.

3. *Severus* duos reliquit filios *Antoninum Bassianum* (*Caracallam* à barbaro quodam habitu quo populum donaverat dictum) & *Getam*, æquali potestate successores. *Antoninus* autem, fratre in sinu matris occiso (quocum, patre adhuc superstite, simultates continuas exercuerat) contra alios omnes sæviit. Bellum intulit *Parthis* & *Armeniis*, *Papinianum* Prætorio præfectum, quòd parricidium defendere noluisset, interfeciisse dicitur. Floruerunt hoc tempore complures Jurisconsulti, plerique omnes *Papiniani* auditores. *Opilii Macrini* insidiis tandem qui sibi ab eo metuebat, *Antoninus* periit 6°. *Iduum Aprilis*, exactis in Imperio annis 6 & mensibus duobus, *Olympiadis* 249 anno primo, *V. C.* 970. *A. D.* 217. *Erutio Præsente* & *Extricato* Coss.

4. *Bassiano* sublato Imperium per biduum vacavit quod demum delatum fuit ad *Macrinum* qui pace cum *Parthis* facta *Antiochiæ* se voluptatibus

voluptatibus tradidit adeo ut militum contemptum incurreret qui *Mæsæ* sororis *Juliæ* (uxoris *Severi*) promissis illecti ad *Bassianum* nepotem ejus ex *Soæmide* filia imperium detulerunt. *Bassianus* hic Solis *Sacerdos* à Deo suo *Heliogobalus* cognominatus omnium Imperatorum fœdissimus erat. Impellente avia, consobrinum suum *Alexianum* adoptavit obque morum infamiam summam cùm annos regnasset 5, vixisset 18, fuit interfectus.

5. *Alexianus* (seu *Alexander*) aviæ *Mæsæ* & matris *Mammææ* curâ modestus & strenuus vir factus *Artaxerxem* regem *Persarum* (qui anno ejus quarto *Parthis* regno exutis vetus Imperium recuperare cogitaverant) ingenti prælio vicit, *Mesopotamiam* ab *Heliogabalo* deperditam recuperavit: Per Legatos belligeravit in *Mauritania*, *Illyrico*, & *Armenia*: In *Germanos* deinde profectus qui *Galliam* vastabant, a militibus suis interfectus est *Moguntiaci* 4° *Nonas Octobris*, postquàm annos vixisset 29, regnasset 13, *A.V.C.* 988. *A. D.* 235. *L. Catilio Severo*, *L. Ragonio Quintiano* Coss.

6. *Alexandrum* excepit *Maximinus Thrax* cujus insidiis fuerat interfectus, ex bubulco miles, atque ex milite summâ industriâ usus Imperator à militibus suis factus. Vir erat stupendæ Magnitudinis, & consimili ratione ventri indulgebat. Totis viribus in *Germaniam* profectus vicos longè latèque incendit, hostium vim magnam concidit, multo plures cepit, militemque reduxit opulentum. *Germaniâ* pacatâ

pacatâ *Syrmium* venit & *Sarmatis* bellum inferre cogitavit: Nec id modo ſed etiam ipſius erat propoſiti regiones illas omnes quæ ſunt ſub ſeptentrionibus ad Oceanum uſque *Romano* ſubjicere Imperio, cùm nonnulli, *Carthaginienſi* Præfecto occiſo, quem ob egregiam rapacitatem oderant, *Gordianum* Proconſulem purpuram induere cogerent ſenem octogenarium.

7. Rem eam ratam Senatus habuit & *Maximinum* hoſtem pronuntiavit. At verò *Gordianus* privatis ſimultatibus parum opportune occupatus *Cappellianum Mauritaniæ* Præfectum in ſe excitavit, contra quem pugnans, cùm rem male geſſiſſet, filio occiſo ſeipſum laqueo necavit poſt dies 36 à purpura accepta. *Maximinus* autem ut de Senatu pœnas ſumeret *Romam* contendit: Quo cognito Patres *Maximum* & *Balbinum* Imperatores declarant, atque iis bellum contra *Maximinum* demandant qui *Aquileiâ* obſeſsâ dum in tabernaculo quieſceret unà cum filio à militibus ſuis interfectus eſt. Perſecutionem ſextam contra fideles excitavit, & primus imperavit nullâ Patrum ſententiâ approbatus. Periit poſtquam purpuram geſtaſſet per triennium, *A. V. C.* 991. *A. D.* 238.

8. *Aniceto* Epiſcopo *Romano* ſucceſſit anno *M. Aurelii* 2° *Soter*, deinde *Eleutherius*, *Victor.* Anno *Severi* primo *Victori* ſucceſſit *Zephirinus*, & huic ordine ſuo *Calliſtus*, *Urbanus*, *Pontianus* & *Fabianus* Epiſcopus *Romanus* viceſimus ſecundùm *Damaſum*. *A. Marco* nonnulli in ſede

ſede *Hieroſolymitana* uſque ad *Narciſſum* 13 Epiſcopos numerant. *Narciſſum* digreſſum excepit *Dios*, cui ſucceſſerunt *Germanion* & *Gordius* quo Eccleſiam gubernante reverſus eſt *Narciſſus* & ſedi ſuæ reſtitutus. Cùm autem ob ſenectutem rebus adminiſtrandis eſſet minùs idoneus, *Alexander* ei adjungitur, & poſt ejus obitum Epiſcopus fuit. In ſede *Antiochena Cornelio* ſucceſſit *Theophilus*, *Maximinus*, *Serapion*, *Aſclepiades* anno circiter primo *Caracallæ*, & *Philetus*. Anno circiter *Alexandri* 11° poſt *Demetrium* *Heraclas* *Alexandrina* Eccleſiæ præeſſe cœpit. *Severi* tempore floruerunt *Tertullianus* Presbyter *Carthaginenſis*, *Clemens* *Alexandrinus* præceptor *Origenis*, & *Minutius Fælix*.

CAP. VI.

A cæde Maximini uſque ad Monarchiam Conſtantini Imperatoris primi Chriſtiani qui Imperii ſedem ad Byzantium Thraciæ urbem tranſtulit.

Spatium Annorum 86.

1. MAximini cæde *Romæ* audita, *S.P.Q.R.* lætitiâ magnâ affectus eſt. Novorum autem Imperatorum votis abunde omnia reſpondebant, atque diutius reſponſura videbantur

bantur ni in ſimultates & ſuſpiciones mutuas incidiſſent. Cùm autem ſe odiſſent mutuò & in malam partem omnia acciperent, inde Prætoriani, quibus, à ſenatu electi, inviſi admodùm erant, eos opprimendi conſilium exequi valebant.

2. His occiſis cum per biennium rebus præfuiſſent ad *Gordianum* adoleſcentem rerum ſumma defertur qui quarto Imperii ſui anno per *Mœſiam* atque *Thraciam* in *Perſas* profectus hoſtes *Romani* Populi in iis locis profligavit; inde per *Syriam* venit *Antiochiam* quæ tum à *Perſis* tenebatur. Illic frequentibus præliis decertavit & *Saporem Perſarum* Regem vicit, ita quidem ut *Perſæ*, qui jam pene formidabiles erant *Italiæ*, ſuos intra fines recipere ſe cogerentur. Sexto demum Imperii anno à *Philippo* prætorio Præfecto circumventus, qui milites ad ſeditionem concitaverat, occiſus eſt. Percuſſores autem ejus omnes iiſdem gladiis ſibi dicuntur mortem conſciviſſe.

3. *Gordiano* igitur ſucceſſit *M. Julius Philippus Arabs* ex *Trachonitide*, filius ducis cujuſdam latronum inſignis. Idem ei poſt quinquennium exitus fuit. *Quinctus Trajanus Decius* enim miſſus ad exercitus ſeditionem reprimendam purpuram à militibus oblatam accepit & *Philippum* ad *Veronam* prælio commiſſo vicit & occidit, qui cum *Scyphis* Provincias *Romanas* infeſtantibus per legatos bellum geſſerat. *Decius* Patrum ſuffragiis in Imperio confirmatus primùm motus *Galliæ* compoſuit, deinde

deinde Rep. Senatui commendata, profectionem unà cum filio de Senatus voluntate ſuſcepit in *Scythas*, qui terrâ marique *Thraciam* aliaque Imperii loca vaſtabant: Et præliis aliquot victor, hoſte in anguſtias locorum reducto; plenam victoriam reportaſſet, niſi *Gallus Hoſtilianus* extremæ *Mœſiæ* Præfectus illius conſilium ad hoſtem enuntiaſſet, quo factum eſt ut prælio commiſſo pater cum filio inſidiis circumventus interficeretur, qui Perſecutionem ſeptimam in Eccleſiam Dei ſuſcitaverat: Regnavit annos duos cum dimidio.

4. *Vibius Gallus Hoſtilianus* à legione una & exercitus reliquiis Imperator ſalutatus pacem cum *Scythis* fecit Populo *Romano* turpem & ignominioſam, tributum eis dependere promittens, rem inauditam & tanti nominis majeſtate prorſus indignam. Ferociores itaque *Scythæ* facti, rupto fœdere populabantur *Dardaniam*, *Thraciam*, *Theſſaliam*, *Macedoniam* & *Aſiam*, vaſtatis & deletis quamplurimis urbibus. Demùm *Scythárum* exemplo multi alii facti ſunt *Romanorum* hoſtes, complures etiam rebellarunt.

5. In *Syriam* penetrabant *Parthi* & *Armeniam* occupabant, fugato ipſorum Rege *Tiridate*. *Scythas* ex ſucceſſu admodum inſolentes factos *Æmilianus Mœſiæ* Præfectus, ad oram *Sarmaticam*, pollicitationibus & ſpe præmiorum confirmato milite, fudit & longiſſime proſecutus ipſorum quoque fines diripuit, qua de causâ *Cæſar* fuit ſalutatus à milite. *Gallus* autem profectus ut obſiſteret, unà cum filio

Voluſiano

Voluſiano Imperii ſocio interfectus eſt poſtquàm annum unum imperaſſet.

6. Interea exercitus alter qui in *Alpibus* erat *Valerianum* nobili genere natum *Cæſarem* creat, quod cum *Æmiliani* milites audiſſent, ne turbis implicarentur, ſuum Imperatorem interficiunt & ad *Valeriani* partes tranſeunt, qui datis ad Senatum literis cum Imperator factus eſſet, promiſerat ſe liberaturum *Thraciam* & *Meſopotamiam* ab hoſtibus, recuperaturum *Armenias* & depulſurum undique hoſtes *Romani* nominis. At in bellum *Perſicum* profectus culpâ cujuſdam ducis ſui fuit captus à *Sapore Perſarum* Rege, ita Deo ſuorum mortem vindicante contra quos *Valerianus* perſecutionem octavam excitaverat. *Saporem* vicini Principes & Populi confœderati hortabantur ut captivum dimitteret, hoc enim eſſe *Romanorum* fatum ut victi multo fortiùs reſiſtant, fruſtrà tamen, nam in cuſtodia detento ut ſcabello uſus fuiſſe dicitur equum conſcendens & tandem detracta cute interfeciſſe miſerum.

7. Capto *Valeriano* ſucceſſit ejus filius *Gallienus* qui perſecutionem à patre contra fideles excitatam repreſſit; non autem ſic evaſerunt *Romani* tanti ſanguinis fuſi daturi pœnas. *Gallienus* enim neglecta Rep. ſe totum voluptatibus tradidit ſic quidem ut milites paſſim per Provincias Imperatores novos ſibi eligerent, qui tamen omnes, partim ab illo partim civilibus inter ipſos diſſidiis, Tyranni 30 cum eſſent, oppreſſi fuerunt. Porro *Gallieno* regnante

Gothi

Gothi Thraciam occupant, *Macedoniam* vastant, *Thessalonicam* obsident, *Scythæ* in *Bithyniam*, *Cappadociam* & *Asiam* invadunt, & ab *Euxino Ponto* in *Istrum* devecti *Romanorum* municipiis vim faciunt.

8. Imperator verò tantâ socordiâ fuit ut cùm de Provinciarum defectionibus & publicis calamitatibus audiret, ridiculè semper & contemptim responderet, quasi Resp. nihilominus consistere suamque dignitatem retinere posset, nec ideò facta sit ejus deterior conditio. Contemptus itaque tam domi quam foris Reip. quamplurimos conciliavit hostes. Ac *Scythæ* quidem & *Gothi* cumque his permisti quamplures alii populi erant tum in armis, ac in perniciem Populi *Romani* conjuraverant circiter 320000 hominum; sed hos omnes in *Mœsia* multisque aliis in locis debellavit tandem *Flavius Claudius*.

9. *Gallieno* enim, postquàm annos 6 una cum patre & 9 solus regnasset, occiso successerat *Claudius* origine *Dalmaticus* vir magnæ virtutis & dignus longiori vita, qui *Sirmii* interfectus est, cùm vix per biennium imperasset. In ejus locum fuit electus *Quintillus* frater quem milites cum bonus nimis esset & severus, post dies septem pariter occiderunt. *Valerius Aurelianus* itaque regnavit qui à *Claudio* ad *Gothos Thracia* pellendos destinatus ab ejus interitu purpuram à militibus receperat. Is per *Insubriam* bella fœliciter gessit, *Gothisque* victis *Romam* profectus est & multatis nonnullis ob seditionem excitatam, bellum susce-

cepit,

cepit, ut quæ ſunt ad orientem ſolem & in *Syria* Provincias recuperaret, quas *Zenobia* fortis & animoſa fœmina ſuorum liberorum tutrix obtinebat, ab *Odenato* conjuge ſibi relictas, qui *Gallieno Cæſare* multa fortiter ac præclarè iis in locis geſſerat.

10. Quacunque tranſiret *Cæſar* hoſtes Populi *Romani* fudit in *Illyrico*, in *Thracia* cæteriſque in locis, ac demum in hoſtilem regionem ubi veniſſet, poſt variam & periculi plenam dimicationem vicit & Reginam cepit quæ *Perſarum* & *Armeniorum* auxiliis confiſa fortiſſimè repugnaverat. Ejus regionis quam debellaverat præcipua erat urbs *Palmyra*, cùmque *Cæſar* rediiſſet in *Europam Palmyrani* rebellarunt, occiſo duce & militibus in præſidio collocatis. Reverſus igitur eò captam urbem evertit, interfectis omnibus, ita quidem ut nec ætati parceret ulli neque ſexui. *Ægyptum* deinde quæ tum defecerat recepit & *Gallias* denuo *Romanæ* ditionis fecit: Poſt *Romæ* triumphavit, inde per *Illyricum* profectus *Perſis* bellum indixit, ſed in itinere à ſuis familiaribus interfectus eſt, cum Eccleſiam Dei affligere cœpiſſet, Primus *Romanorum* diadema aſſumpſit.

11. Ab ejus interitu fuit interregnum per menſes 8, Senatu & militibus electionem mutuo declinantibus. Tandem electus eſt *Tacitus* qui menſe ſexto *Tarſi* ex febre interiit. Hunc Patres oraverant ne moriens liberos ſuos, verùm aliquem ſpectatæ virtutis & probitatis virum, Imperii ſucceſſorem faceret. Is erat

Probus

Probus qui tàm ab exercitu quàm Senatu confirmatus *Galliam* recepit & *Francos Germanos* qui illam obtinebant multis prœliis devicit:

12. In *Illyrico Sarmatas* aliasque gentes concidit & in itinere facto per *Thraciam* barbaros populos *Romani* nominis terrore & rerum gestarum magnitudine reddidit sibi devinctos. *Asiam* pacavit & *Parthorum* Regem ad petendam pacem solâ nominis sui famâ excitavit: Pacem cum *Persis* fecit ac inde in *Thraciam* revertit & externos populos devictos in *Romanum* solum transtulit, ex quibus aliqui fidem servarunt, alii contrà, quos tamen omnes magna ex parte pòst oppressit, & cùm rebelliones per *Galliam, Hispaniam* atque *Britanniam* sedasset, iter ingressus per *Illyricum*, ut *Persis* bellum inferret, à suis insidiosè interfectus est.

13. Florebat tum Resp. longè latéque pacatis undique populis, ità quidem ut *Probus* aliquando diceret, brevi futurum ut legionibus atque præsidiis nihil esset opus, quo dicto excitati milites eum è medio tollendum esse statuebant. Post eum subiit *M. Aurelius Carus* ex *Galliæ* Provincia *Narbonensi* qui *Sarmatas* morte *Probi* factos insolentiores & *Italiæ* minitantes fregit, inque *Persas* profectus *Mesopotamiam* cepit, captisque *Ctesiphonte* & *Cochide Parthiæ* urbibus nobilissimis, longiùs profecturus in tentorio suo prope *Tigrim* fluvium fulmine ictus interiit.

14. Ex filiis natu minorem *Numerianum* militiæ secum habuit, alterum *Carinum Galliis* præfecerat.

præfecerat. *Numerianus* in occidentem revertens cùm in lectica decumberet ab *Ario Apro* ſocero ſuo occiſus eſt, & in ejus locum evectus *Valerius Diocletianus* cum quo prælii aliquot conflixit *Carinus* ſed victus à ſuis ob petulantiam interfectus eſt.

15. *Diocletianus* quòd orirentur non in uno loco turbæ & ſeditiones, ſibi Collegam aſſumpſit *Maximianum*. Is *Galliam* commotam pacavit & *Africam*, *Diocletianus* verò *Ægyptum* interfectis turbarum authoribus: *Britanniam* quoque decimo pòſt anno quàm defecerat recepit & ut firmior eſſet Reip. ſtatus, neve propter Imperii ſucceſſionem novi motus excitarentur, *Galerium* adoptavit: *Maximianus* verò *Conſtantium Chlorum*.

16. Contra *Narſem Perſarum* Regem miſſus à *Diocletiano Galerius* infœliciter pugnavit, amiſſa majore parte exercitus, ſed juſſus redintegrare bellum ingenti prælio ſuperavit hoſtem, & longiùs quàm quivis Imperator excepto *Trajano*, iis locis progreſſus, capta *Cteſiphonte*, totam *Aſſyriam* domuit & quinque trans *Tigrim* fluvium Provincias, quæ *Trajano Cæſare* defecerant, recepit.

17. Per *Aſiam* rebus compoſitis in *Europam Diocletianus* rediit in qua pacati tunc erant *Scythæ*, *Sarmatæ*, *Alani*, *Baſtarnæ*, *Carpi*, *Catti*, *Quadi*. Decimam & horrendiſſimam lanienam contra Chriſtianos excitavit. Poſtea tùm ipſe tùm *Maximianus* ejus hortatu, abdicato Magiſtratu, *Cæſares* Imperio præficiunt, *Conſtantium* quidem *Galliis*, *Britanniæ*, *Hiſpaniis*,

Hiſpaniis, Italiæ, Africæ; Galerium autem *Illyrico Græciæ & Aſiæ.*

18. *Conſtantius* Imperii ſui anno tertio *Eboraci* mortuus eſt. *Galerius* adoptavit *Severum* & *Maximianum* ex ſorore nepotes ſuos, atque interea milites *Prætoriani Maxentium Romæ* ſalutant *Cæſarem*; interfecto *Severo*, *Maximianus* Imperii Collegam aſſumpſit *Licinium*. Inter hos magni motus extitere, ideoque nobiles *Romani Conſtantinum* filium *Conſtantii*, qui obſes à *Galerio Romæ* detentus cuſtodiâ fuerat elapſus, & nunc in *Gallia* agebat, evocant ut urbem à tyrannide *Maxentii* liberaret. Ille cum parte copiarum in *Italiam* profectus commiſſo prælio vincit, & tandem ad urbem *Romam* exercitum *Maxentii* plane concidit, qui, adornatâ fugâ, in fluvio ſubmerſus periit.

19. Omnibus aliis, prout meruerant, hoſtibus Eccleſiæ mortuis, Imperium devenit ad *Conſtantinum* & *Licinium* inter quos bello etiam exorto *Licinius* victus & omnibus penè odioſus *Theſſalonicam* amandatur ubi rebus novis ſtudens juſſu *Conſtantini* tandem interfectus eſt. Bellum inde traxiſſe originem nonnulli ſcribunt quod *Licinius* Chriſtianos acerbè perſequeretur, cùm perſæpè rogatus fuiſſet atque monitus à *Conſtantino* ne id faceret. Rerum enim potitus *Conſtantinus* & veram amplexus religionem portus extitit atque refugium *Chriſtianis* tot ærumnis laborantibus & tantùm non oppreſſis.

20. Imperium nunc *Romanum* ſenio & mole ſua laborabat. Cùm habitu eſſet (ut ita dicam)

tam

tam plethorico, ut ſanitatem ſuam bene conſervare non valeret, Valetudenarium à *Conſtantino* ſolum mutare fuit coactum unde in morbum funeſtum incidiſſe videtur. Ad *Byzantium* enim *Thraciæ* urbem, ſedem ſuam tranſtulit Imperator quam novam *Romam* vocari voluit & iiſdem honoribus affici. Cùm hoc modo vires ejus nimis eſſent fractæ, diviſione facta in *Orientale* & *Occidentale*, (nam *Conſtantinus* moriens filiis ſuis tribus Provincias diſtribuerat, unde occaſio miniſtrata fuit) protinùs diminui cœperunt & corruere.

21. *Fabiano* Epiſcopo *Romano* poſt annum unum ſucceſſit *Cornelius*, huic Martyri *Lucius* & huic *Stephanus*. *Stephano*, juſſu *Valeriani*, ſecuri percuſſo, ſucceſſit *Sixtus*, quo decollato eodem tempore quo *Stephanus* Diaconus Martyrium ſubiit, electus eſt *Dionyſius*, quem ſecuri ſunt *Felix*, *Eutychianus*, *Caius*, *Marcellinus*, *Marcellus*, *Euſebius*, *Miltiades*, & *Sylveſter* qui, cùm *Nicææ* Concilium haberetur, *Romæ* Epiſcopus fuit.

22. Ab *Alexandro* Eccleſiæ *Hieroſolymitanæ* *Mazabanes* præerat, quem ordine ſuo ſequebantur *Hymeneus*, *Zambdas*, *Hermon*, *Macarius*. In ſede *Antiochena* *Phileto* ſucceſſit *Zebinus* ex quo *Babylas*, *Fabius*, *Demetrianus* numerantur & *Paulus Samoſatenus* qui Chriſtum Deum eſſe negans excommunicatus & deprivatus eſt in Synodo ſecunda contra eum habita, regnante *Aureliano*. Illi ex voluntate Patrum ſucceſſit *Domnus* quem *Timeus*, *Grillus*, *Dorotheus*, *Tyrannus*, *Vitalis*, *Philogonus* & *Euſtathius* (qui in *Sabellii* hæreſin incidens

Concilii

Concilii *Antiochiæ* habiti decreto damnatus est) sequebantur.

25. *Alexandrinam* Ecclesiam, post *Heraclam*, rexit *Dionysius Origenis* Discipulus, *Maximinus*, *Theonas*, *Petrus* qui *Diocletiano* regnante Martyrio fuit coronatus, *Achillas* & *Alexander* qui Concilio *Niceno* interfuit, & de S. Trinitate curiosè locutus occasionem præbuit *Ario* cuidam è Presbyteris suis hæresin invehendi. Anno *Philippi* quinto, *Donato* Episcopo *Carthaginensi* successit *Cyprianus*, qui sæpius pellebatur in exilium. Anno *Valeriani* quarto mortuus est *Origenes* vir stupendi ingenii, vitæ austeræ, industriæ mirandæ & ad miraculum penè doctus, doctrinæ tamen impuræ uti inter alios demonstravit *S. Augustinus*.

26, *Manes Persa*, ex quo *Manichæi* sunt dicti, anno *Probi* primo hæresin suam propagare cœperat, *A.D.* 277. Ejus tamen opinio haud adeò graves turbas concitabat ac *Arii* pravum dogma, quod cum Synodis antea variis fuisset damnatum, *Constantini* jussu *Nicææ* urbis *Bithyniæ* indictum fuit & habitum Concilium longe frequentissimum, quo non ex *Europa* tantùm & *Asia* sed *Ægypto* etiam & *Libya* convenisse dicuntur Episcopi 318. Contra *Arii* hæresin Symbolum *Nicenum* factum est *Junii* 19°. *Hosius* Concilio præfuit, primusque Canonibus subscripsit. Canonum autem plurium quam 20 Scriptor nullus fide dignus meminit. Atque adeo non tantùm de idolorum cultu & lamienis horrendissimis sed etiam de hæresi Ecclesia Dei triumphavit.

Δοξα τῶ Θεῶ.